Conuenientes in memoria A

Vari f. Jo. Ph. Ph. chizzola quatuor V.
Aptiui carmina.

V 6826 2a

8
38-D
19

CONTRO-VERSIARVM, QVIBVS NVNC exagitatur Chriſti fides et religio diligens & luculenta explicatio.

Per Albertum Pighium Campenſem.

Cuiuſcunq; tandem fidei fueris, legiſſe non pœnitebis.

Bibliothecæ S. Mariæ Transpontinæ

Singularum controuerſiarum capita, uerſa pagella indicabit.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

8-26-D-19

EXPLICATE LIBRO PRIMO
Controuerſiæ.

i De peccato originis.
ij De iuſtificatiõe hominis, fide, & operibus.
iij De æccleſia.
iiij De Euchariſtia, an in ea maneant panis uiniq; ſubſtantię.
v De Miſſę ſacrificio, atq; eius utilitate ac ualore
vi De Miſſis priuatis.
vij De Cõmuniõe ſub utraq; aut altera ſpecie.
viij De Adoratione Chriſti in Euchariſtia.
ix De Pœnitentia, & uniuerſis quæ ad eandẽ pertinent, Contritione, Confeſſiõe, Satiſfactionibus.

EXPLICATE LIBRO SEcundo Controuerſiæ.

x De ueritate ſeptenarij ſacramentorũ, & uſu eorundem in uniuerſum.
xi De ordine æccleſiaſtico.
xij De humanis traditionibus.
xiij De cultu & inuocatione ſanctorum.
xiiij De uotis monaſticis.
xv De cœlibatu, aut coniugio monachorum, & ſacerdotum.
xvi De poteſtate æccleſiaſtica.

ALBERTVS
PIGHIVS, CHRISTIANO LE-ctori in Chriſto S.

VT extra omnem eſt cōtrouerſiam, nullam eſſe tam barbarā nationē, nullam gentem tam efferatam, cui nō diuinitatis quidam, ac numinis ſenſus inſtinctu naturali inſederit: nullam proinde ab ipſo mundi initio regionem, nullam urbem, nullam domum repperiri quæ religione prorſus caruerit, atq; ea, uelut tacita confeſſione diuinitatis nonnullū ſenſum prodiderit, Quem & in ipſa idolatria prodiderunt homines, qui etiā ligno & lapidi colendo ſe maluerunt demittere, ꝗ nullum Deum uideri habere, Vt etiam & hoc extra controuerſiam eſt, nulla re, ꝗ efficaci religiōe, atq; eius unitate, ꝗuis falſa, in unius corporis ſocietatem conciliari, cōtineriq; liberos homines, nihil eos magis ſeparare, & cōtra ſe diuidere, ꝗ in religione diſſidium, pugnam & diſcordiā, Ita & hoc extra controuerſiam ſit oportet, nihil eſſe poſſe utilius humano generi, nihil magis neceſſarium, in eius ſynceritate concordia: qua, non ſolum paratur & conſeruatur pax inter homines, ſed etiam hominum erga Deum pax conſtat: et ad uitam illam beatam, mimortalemq; nobis eſt aditus, Quæ cū præcipue pendeat, ex unitate ſynceræ atq; orthodoxę fidei, nihil egit ab initio hoſtis

ille humani generis diligentius, ac maiori ſtudio, q; ut eam quoquo modo corrumperet: in eã introduceret queſtiones & controuerſias: & unum hac, alterum illac, quaqua perſuaſione illiceret: & abdu ceret ab unitate orthodoxæ & catholicæ fidei, ab illo corpore ad quod congregantur illę aquilę, in quo ſolo eſt Chriſtus, uia ad ſalutem, uita & ueri tas, in deſertum: in aliquos angulos: in ſingularitatem & nouitatem aliquam. Aduerſus cuius inſidi as, tametſi ſuos, & cautos, & ſalutari antidodo ſatis premunitos Chriſtus reddiderit; nempe, ut obturemus aures, uelut ad uocem incantantium, nouæ alicuius doctrinæ profeſſoribus: illis non credamus, etiamſi reſpondere non poſſimus eorum argumentis & rationibus: non exeamus extra ſepta ouilis ſui: non ſeparemur ab illo corpore, ſed fir miter in eo nos contineamus, etiam, qualiſcumq; nobis diuerſa quæ ingeritur, oſtẽtatur, & docetur doctrina appareat. Inuenit tamen ille ſemper aliquos, ſalutaris illius præmonitionis & doctrinæ Chriſti parum memores, quos ſeduceret: uarijs ad hoc inſtrumentis abuſus & artibus: nunc pſeudoprophetarum ſuorum uitæ ſeueritate, & ſimulata ſanctimonia: quæ facile perſtringit imperitorum, & ſimplicium animos, ſibiq; apud illos authoritatem facit, & ijſdem inſinuat: nunc etiam ſingulari eruditione, eloquentia, & ſcripturarum peritia, ex

qui

quibus magna probabilitate aduerſus catholicæ fidei ueritatem, ac ſimplicitatem, inducebant teſti monia: & uenena ſua, magno artificio tecta & ce lata ſub aromate eloquiorum cœleſtium propina bant incautis. At nunꝙ ab initio, neſcio qua fatali animorum ad nouitates propenſione, qua paſto rum ſocordia ac negligentia, ꝗ nunc, meſſem fe cit tam uberem: nunꝙ ſimplicius, minore cum ne gotio, & artificio. Neꝗ enim ſunt admodum ar tificioſi impoſtores, per quos, tantum negocium aggreſſus, tanto ſucceſſu perfecit: ſiue uitã eorũ, ſiue eruditionem & litterarum peritiam ſpectes. Neꝗ enim in illa, neꝗ in hac, quicꝗ admiratione dignum eſt cernere: quicꝗ quod ulli merito poſſit imponere; ut mihi mirum uideatur, tam multos ui ros principes, optimates, prudentes alioqui, gra ues, & cordatos, tam multas inſignes ciuitates, & reſpublicas, abduci ab illis potuiſſe. Ne tamen hic ignem, quod dicitur, fodiamus gladio, ſed contra potius, Chriſtiana nobis mutuo occurramus cha ritate & modeſtia, quomodocumꝗ demum, & quocumꝗ malo genio, hæc pugnæ, hæc diſſidia, in fide ac religione in æccleſiam introierunt, per ui ſcera redemptoris noſtri Chriſti Ieſu, atꝗ eius pre cioſum ſanguinem, obſecro, & obteſtor omnes, ne ſalutem ſuam tam uilem habeãt, ut eam permit tant quibuslibet: qui ſuum forte in his turbis agũt

negotium. Necꝫ enim de re parua, aut negligēda, non de fortunis, non de ditionibus, nō de uita corporali, ſed de æterna ſalute, aut damnatiōe agitur, Ipſi per ſe, controuerſias uniuerſas quæ inter illos & nos ſunt, expendant diligentius, & curent intelligere: neqꝫ ita ſimpliciter credant, quę ipſis dicuntur a ſuis illis myſtis & doctoribus. Res enim longe habet aliter: & dedimus operam, ut quiuis orthodoxā ueritatē per ſingulas facile poſſet intelligere. Ad quod nos animauit, primum pijſſ. ac religioſiſſ. principum noſtrorū. Imp. Caroli, & Ferdinandi Cæſaris, pro reparanda unitate fidei, religionis ſynceritate, & Chriſtiana pace in æccleſia, ſingulare ſtudium. Deinde, etiam ſpes, quam non exiguam, diuerſæ quoqꝫ a nobis fidei principes, optimates, ſtatuſqꝫ de ſe præbuerunt: expetentes indici Chriſtianū colloquium, in quo utrinqꝫ docti aliquot, colloquuturi inter ſe (ſi forte reddita acceptaqꝫ mutuo ratione ſuæ ſententiæ, conuenire poſſent in catholicam Chriſtianamqꝫ fidei cōcordiam) conuenirent Vuormaciam: eo ipſo ſatis cōteſtantes, ſe perteſos iamdudum, iſtarum controuerſiarum, (quæ magna rerum atqꝫ ordinum omniū confuſione uigent in æccleſia, & quas in publicam pernitiē Chriſtianæ Reipub. palā uergere, nemo nō intelligit) Chriſtianę adhuc pacis & cōcordiæ ſe eſſe percupidos, & orthodoxam ueritatem

tem intelligere & ſequi. Acceſſit hæc, Quod & ego Vuormatiæ exiſtens inter conuocatos cæteros, aduerſariæ doctrinæ præconum & antiſtitū uocibus aliquot iactari perſentiſcere, ſe iamdudū reddidiſſe orbi rationem ſuæ fidei, quā certo uerā crederent: a qua, niſi certiori ratione accepta, nec poſſent, nec uellent recedere: id quod, & ſcriptis ſuis palam conteſtari uidentur, atq; eam a nobis rationē eam, orbem exigere: ob plerosq; multos toto orbe terrarum, quibus hæc publica, tanto tēpore perdurans, de fide pugna & cōcertatio, faltē dubitationes & ſcrupulos in fide iniicit. Quibus ego rationibus permotus, & quoniā non magnū illius colloquij fructum perſpiciebam, ob plæraq; quæ non eſt neceſſe aſcribere, ne qua parte meum in æccleſiam ceſſaret officium, hanc ipſe mihi deſumpſi prouinciam, ut ſummatim ſingula pertractarem, controuerſiarū quę inter nos ſunt, capita, iuxta ordinem confeſſionis fidei illorum, quam ante annos aliquot Auguſtæ exhibuerunt Imperatori, & imperij proceribus, Inde ſperans certiorem fructum, q̄ ex omni colloquio, peruenturum, non ſolum ad abſentes, toto orbe ſcandalizatos, & nonnihil hæſitantes ex his publicis de fide cōcertationibus: ſed etiam ad poſteros, Qua tamen in re, non tam eruditioni, q̄ cauſæ noſtrę confiſus ſum, atq; illius adiutorio, cuius cauſa agitur, Hoc tamen

tamen, quo æquiorem nobis te præbeas Lector, oro te ut perpetuo memineris, procul domo, libris rebuſq; familiaribus, peregre, in apparatu procinctuq; uiatico, tempore exiguo, quo ſeruiremus tẽpori, hæc lucubrata a nobis: immo, priores duas, nempe, De peccato originis, & de fide, operibus, & iuſtificatione hominis controuerſias, inter imprimendum elaborauimus, ut non potuerimus, anteq; iam prodijſſent, earundem cõferre cum fine principium, Spero tamen in Chriſto, quod laboris tui nõ pœnitebis, ſi uno has ueritatis ſtudio legeris. Vale Ingolſtadij Nonis Martij, Anno a nato Saluatore.

M.D.XLI.

DE PECCATO ORIGINIS, CONTROVERSIA PRIMA.

NOn eſt leuis momenti, nec in paucis aut exiguis pugnans, ut quibuſdam forte uidetur, de peccato originis inter aduerſarios & catholicos controuerſia, a qua explicanda diligentius, poſt habitum de eadē Vuormatiæ colloquium, ut multa me deterruerunt, primum, quod fortaſſis ægre laturos quoſdam hoc ſuſpicabar: & aduerſariorum, qui ſuæ doctrinæ myſteria illic ſatis artificioſe & ſtudioſe cęlata, inuulgari ac traduci egre laturi eſſent, & luculentius redargui: & noſtrorū, qui noſtram diligentiam (ut ſumus fere omnes homines) ad ſuam rapturi iniuriam. Deinde, quod difficillimā eius explicationem cernerem, ut quam hactenus a nemine omnium, nec ab omnibus in unum, quos mihi uidere contigit, ſatis explicatam inueniſſem, Quam nobis difficiliorem fecit, uita uiatoria, & a libris familiaribus abſentia. Poſtremo, quod uerebar etiā hinc inuenturos aliquos anſam aduerſum nos alicuius calumniæ, quaſi inuulgaremus ſecretum Vuormacieñ. colloquij. Ita, aduerſum hęc omnia, nos armauit zelus religionis & fidei. Qui, ut aduerſus omnem illā difficultatem nos animauit, ac niti coegit, & Chriſti gloriā, ꝙ hominum æſtimationem pluris facere, atqꝫ hoc potius cauere, ne tecta ac diſſimulata impietas, uideretur a nobis tuliſſe approbationis calculum, Ita, aduerſus calumniā ex indicto ſecreto Vuormatieñ. colloquij, hoc nobis ſuccurrebat, Quod nullum nobis uerbum dicendum foret, inexplicanda hac controuerſia, quod dictum eſſet in Vuormatiē. colloquio, ſed plane diuerſiſſima omnia: et proinde nō fore illi aduerſum nos locum calumniæ: ut quam, res ipſa facile redargueret, In hunc modum, perpenſis utrinqꝫ omnibus,

Et quia putabam, reparatiōis, iuſtificationiſq; noſtræ myſterium, rite explicari non poſſe (quod proxima controuerſia faciendum eſt) niſi ante intelligeretur lapſus noſter in origine, induxi in animū exordiri ab hac prima, ne ſine capite (quod aiunt) prodiret fabula. Tu proinde lecto Chriſtiane, noſtros hos labores boni conſule.

De peccato originis qd certum habeat orthodoxa fides et definitio ecclesiaſtica.

De peccato originis, ante D. Auguſtini tempora, nulla unq; concertatio aut controuerſia inuenitur fuiſſe in æccleſia, immo, mira apud ſcriptores omnes ſermonis parcitas, & ſobrietas. Hoc tamen ſimpliciter, & unum de illo credebant omnes, neminem inde liberari, niſi per unam mediatoris Chriſti gratiam, cuius morte, illud, mortis ab Adam in nos omnes introductæ, & in uniuerſos propagatione tranſmiſſæ, damnationiſq;, ruptū ſit deletumq; chyrographum: quo nemo uſq; ad illam baptiſmi ſacramēto, aut æquiualenti aliquo perceptam regenerationis gratiā, non teneatur obnoxius. Hoc (inquā) unum & certum eſt, quod hac de re, ab initio orthodoxi crediderunt omnes: In quo uno, etiam quieuit & ſtetit definitio ſedis apoſtolicæ, & catholicorum Epiſcoporum omnium, aduerſus Pelagium et Cœleſtium, qui primi, negarūt nos reatū originalis delicti naſcendo contrahere. Quemadmodum clariſſime conſtat ex uarijs librorum Auguſtini locis, & præcipue, ex eius ad Optatū, de origine animarū, epiſtola, quæ numero eſt, clvij. Quo uno ſaluo, cætera omnia, quæ de hoc uaria dicuntur, atq; intelliguntur a uarijs, ipſe cuiuſq; ingenio permittenda cenſet, modo Deum authorem peccati non faciant.

Peccati originalis in nobis effectus.

Itaq; cum catholicæ æcceleſiæ definitio de peccato originis, nihil plus habeat, quam, quod ſit, & quod propagatione ab Adam, ei ipſi ſubdimur, & qui eius in nobis effectus ſint, nempe, moriendi neceſſitas, & omnium quæ na-

turam

turam noſtram corpoream & mortalem de ſe conſequun-
tur, miſeriarum & incommodorum, cathena quędam per-
petua; quæ nos conſtrictos ab ipſo conceptu, & materno
utero in mortem rapit, a quibus, niſi peccaſſet noſtri gene-
ris origo, nos liberaſſet Dei gratia, Ad hæc, inteſtinum in
nobis diſſidium, & aſſidua pugna carnis aduerſus ſpiritũ,
Voluntatis infirmitas quædam, & naturalis pronitas ad
carnis ſui hoſpitis deſyderia, rationis a ſenſibus dependen-
tis, ad comprehendenda illa uere bona inuiſibilia, pigritia,
ac tarditas, atq; adeo cœcitas, Quæ partim plane ſuſtuliſ-
ſet, partim mitiora reddidiſſet, iuſtitia illa, quã originalem
dicimus, Poſtremo (quod eſt complementum malorũ om-
nium) quod ob id ipſum, naſcimur iræ filij, extorres a Dei
regno, & damnationi obnoxij, Hæc, inquam, de peccato
originis, cum certa tantum habeat æccleſiaſtica definitio,
etiam extra controuerſiam ſunt in præſenti controuerſia:
ſed uniuerſa ea nobiſcum affirmant aduerſarij: & recte no-
biſcum damnant contra ſentientes Pelagianos, & alios.

Quid ſit pec-catũ originis, eccleſiaſtica de finitione, cer-tum non eſſe. & proinde ua-rias de eo, or-thodoxorũ eſ-ſe ſententias.

Quid uero ſit ipſum peccatũ originis, & in quo conſi-
ſtat eius propria ratio, æccleſiaſtica definitione certum nõ
eſt: et proinde uarię de hoc ante nos fuerunt, atq; etiã nunc
ſunt orthodoxorum ſententiæ: & adhuc ſub iudice lis eſt.
Auguſtino fere uiſum eſt, concupiſcentiam carnalem, in-
concupiſcibiliter genitis, & lege naſcendi communi pro-
pagatis ab Adam, uere rationem peccati habere: per ba-
ptiſmum tolli eius reatum, & uniuerſam culpæ, & peccati
quam habuit rationẽ, ipſam uero in nobis relinqui ad ago-
nem. Alijs non probatur ea ipſa Auguſtini ſententia, nec
uidetur concupiſcentiam illam, qualis eſſe poteſt in par-
uulis, ueram peccati rationem habere poſſe, ut in qua, di-
ligenter expendentes omnia, nihil inueniunt, quod Dei
ipſius opificium non ſit, & propterea ad ueram peccati

rationem uicinius collimantes, peccatũ originale definiũt, carentiam iuſtitiæ originalis debitæ ineſſe. Cuius opinionis D. Anſelmus lib. de partu uirgineo, author fuiſſe uidetur. Et quamuis inter duas has de peccato originali definitiones & ſententias, fere ſcholæ hœreant, niſi quod quidam, uelut media uia quærentes incedere, ex duabus unã faciant, & utramq; in unum confundant: nulla tamen earũ omnium ex æccleſiæ definitione certa eſt: imo, omnes mihi certo atq; euidenter falſæ uidentur, cuius meæ ſententię rationem mox explicaturus ſum, Non tamen damno eos qui aliquam ſequuntur ex prædictis ſententijs: nec demũ, ſi quis afferret nouam aliquam, quãdiu, certa nulla de hoc ipſo eſt, catholicæ æccleſiæ definitio, ac ſententia. Aduerſarios uero, non damnare non poſſum, quod ipſi ſibi hanc authoritatem arrogent, ſtatuendi, definiendiq; nobis id, de quo hactenus inter orthodoxos libere diſceptatum eſt: & tanq; certum id proferant in articulo ſuæ fidei, quod nõ ſolum incertum, ſed etiam certo falſum, immo plane impiũ eſt. Qua equidem in re, eo intollerabiliores ſunt, quod D. Auguſtini ſequi ſe profitẽtes ſententiã, bis fere per omnia ab eodem diſſentiunt: pro eius, quamuis non certa, ſed (ut mihi uidetur) parum probabili ſententia, aliam introducẽtes plenam in Deum conditorem noſtrum blaſphemiæ, quemadmodum poſt euidens faciemus.

In aduerſarijs quid dãnet in hac cõtrouerſia.

Diui Auguſtini hac de re ſententia quæ fuerit, ex plęriſq; librorum eius locis clariſſime colligitur. Siquidem cap viij. lib. i. de pecc: me: ac remiſs: peccatum originale, affirmat carnalem concupiſcentiam, in concupiſcibiliter genitis ab Adam, qui peccato ſuo, ea, uelut tabe quadam, infecerit omnes e ſtirpe ſua, ut prædictum eſt, genitos, Et cap. xxxviij. eiuſdem. Per baptiſmum autem euacuari illud ipſum peccatum, quod in carne noſtra eſt, non ut con-

D. Auguſtini ſententia, De peccato originis.

cupiſcentia conſperſa & innata, repente abſumatur & non ſit, ſed ne obſit renato, quę inerat nato, ſitq; illi poſt regenerationem, exercitium ad uirtutem, ſi Dei gratiam non recepit in uacuum. Et rurſus. Non extinguitur, inquit, lex peccati, quæ in membris noſtris eſt, repugnans legi mentis noſtræ, ſed ignoſcitur quicquid ab homine factum eſt, cum eidem concupiſcentiæ ſubiecta mente ſeruierat. Ipſa uero, ſoluto reatus uinculo, quo per illam, diabolus animam captiuam retinebat, & interclusione deſtructa, quæ hominem a ſuo creatore ſæparabat, maneat in certamine, quo corpus noſtrum caſtigamus, & ſeruituti ſubijcimus.

In eandem ſententiam habet ibidem lib: ij. cap: iiij. Cõcupiſcentia, inquit, tanq; lex peccati manens in membris corporis mortis huius, cum paruulis naſcitur: in paruulis baptizatis a reatu ſoluitur: ad agonem relinquitur: ante agonem mortuos, nulla damnatione proſequitur: paruulos non baptizatos, reos innectit: & tanq; iræ filios, etiam ſi paruuli moriantur, ad damnationem trahit. In grandibus autem baptizatis (in quibus iam ratione utentibus, quicquid eidem concupiſcentię mens ad peccandum conſentit, propriæ uoluntatis eſt) deletis peccatis omnibus, ſoluto etiam reatu, quo uinctos originaliter detinebat, ad agonem interim manet: ſibi ad illicita non conſentientibus nihil omnino nocitura, donec abſorbeatur mors in uictoria, & pace perfecta, nihil quod uincatur exiſtat, Conſentientes autem ſibi ad illicita, reos tenet. Et hoc eſſe malum uult, a quo ut liberemur, orare nos docuit dominus, quod perficietur in fine. Quod malũ maneat in carne noſtra, nõ natura in qua diuinitus creatus eſt homo, ſed uitio, quo uolũtate prolapſus eſt. Hoc malum habitare in carne ſua, ſciuit, inquit, & Apoſtolus, & præcepit, ne regnet in no-

bis

bis Hactenus ille loco memorato. Et lib. I. de nuptijs, & concupiſcentia, cap. XVIII. Cōcupiſcentiam carnis, non eſſe ex naturali connubio ueniens bonum, ſed ex antiquo peccato accidens malum: propter eam fieri, ut de iuſtis, & legittimis nuptijs filiorum Dei, generentur filij non Dei, ſed ſœculi, Ex concupiſcentia carnis, quod naſcitur, mundo, non Deo naſcitur: cuius reatum, ſola regeneratio dimittit, quem generatio trahit &c. Hæc concupiſcentia, quę ſolo ſacramento regenerationis expiatur, peccati uinculum, generatione traijcit in poſteros: tametſi ipſa, in parentibus regeneratis, peccatum non ſit, niſi quodam modo loquendi, quia a peccato facta eſt; ut lingua, locutio: manus, ſcriptura: aut etiam, quia ſollicitat ad peccatum, ſicut dicimus frigus pigrum. Hæc atq; eiuſmodi nunc citato loco. Quæ ideo aliquanto prolixius aſcripſimus, quo clare pateat Auguſtini hac de re ſententia. Quam ſequi ſe dum profitētur aduerſarij, ſuam (quod mox euidens faciemus) pro eadem nobis intrudunt ſententiam, ab illa Auguſtini diuerſiſſimam: & uelut articulum fidei certum nobis ſtatuunt. Cum nec illa, ut dixi, Auguſtini, certa ſit.

Epilogus ſententiæ Auguſtini, de peccato originis & cōcupiſcentia.

Tradit ille, ut audiſti, peccato Adæ, carnalis concupiſcentiæ occulta tabe ac contagione, infectam uniuerſam poſteritatem eius, ut quæ ſit in carne noſtra, non natura in qua diuinitus creatus eſt homo, ſed uitio quo prolapſus eſt. Deinde, ut hæc ipſa concupiſcentia, noſtro corpori inſperſa, atq; innata. (quæ & ipſa lex dicatur ab Apoſtolo, quæ in membris noſtris eſt, legi mentis noſtræ repugnans) in nondum baptizatis, uere, & proprie peccatum ſit, quæ ignoſcatur quidem, ſed non tollatur in baptiſmo. Ignoſcatur inquam, non, ut nō ſit, ſed ne in regeneratis amplius peccatum ſit: ipſa in ſe manente ad certamen, & exertationem noſtram. Notabis autem Auguſtinum perpetuo

tuo loqui, de concupiſcentia carnis, non rationis: non uoluntatis, nō ſpiritus: de ea inquam, quæ in carne noſtra eſt, aut conſperſa, & innata carni: quam, & illam legem membrorum dicit, repugnantem legi mentis noſtræ, & manere in membris corporis mortis huius, habitare in carne noſtra, & naſci cum paruulis. Notabis ſecundo, affirmari ab eodē, concupiſcentiam hanc, manere in baptizatis, ſed non habere rationem peccati. Quæ duo, cur memoriæ notanter mādari cupiam, poſt intelliges.

Quod autem non ſolum incerta, ſed & falſa ſit dicta Auguſtini ſententia, & primum, qua parte dicit, Adam, peccato ſuo, carnalis concupiſcentiæ tabe infeciſſe poſteritatem ſuam uniuerſam, maxime quomodo hoc cōmuniter intelligitur, (nam ut ſane idipſum poſſit intelligi, poſt intelliges) ut peccatum illud corrupiſſet naturam Adæ, eatenus ſanā, & integram, & feciſſet morbidam quandam in carne qualitatem, per quam, effrenato impetu deinceps ferretur in uetita, & rebellaret rationi ac ſpiritui, quæ corruptio, ſeminis ex eadem infecti propagatione deriuaretur in filios, ita mihi demonſtrari poſſe uidetur.

Falſa oſtenditur dicta Auguſtini ſententia.

Si peccati illius eſus de interdicto fructu, is effectus fuit in carne Adā, neceſſe eſt, ut illud, ei⁹ cauſa naturalis fuerit. Necq; enim peccans, uolebat ſibi & poſteris illam carnis corruptionē accire, nec in eam ferebatur, ut in ſuæ uolitionis obiectum. Si autem peccatum illud, ui quadam ſuæ naturæ eum in modum corrupit naturam, neceſſe eſt, ut uis illa corruptrix illi competierit, uel quia peccatum, uel quia hoc peccatum. Singulari illius peccati, nihil eiuſmodi, præ alijs peccatis, naturaliter comperijſſe inuenies. Proinde ſi corrupit naturā, quia peccatū, corrupit. Ergo uis eadem, inerit peccatis omnibus, & ſingulis: & tanto pernitioſior, quāto grauiora ſunt, Quanto igitur erit noſtra natura, quā

Quod peccatū Adæ humanā naturam corrūpere non potuerit in ſua ſubſtantia.

eorũ qui priores nati ſunt, corruptior: ut quę, per tot, tã grauiũ peccatorum a primo parente noſtro, ad nouiſſimum commiſſorum Chyliades, continuo facta ſit deprauatior.

Sed ratio ipſa, per ſe plane intelligit, commentum hoc eſſe, ut dicatur corporea natura, corrupta in ſubſtantia, & aliqua eſſentialis corruptio in ea facta per peccatum primi hominis: ſiue actum uoluntatis eius elicitum ſpectes, quo, neglecto creatoris mandato, mulieri acquieuit: ſiue culpæ, aut deformitatis rationem, quæ erat in actu eiuſmodi. Huic, ut meræ priuationi, nulla aſcribi poteſt actio corruptiua ſubſtantiæ, Vt autem actus ille uoluntatis, quo ille nihil minus uoluit, ui ſuæ naturæ corruperit ſubſtantiam, euidenti ueritati aduerſatur. Nihil enim in uniuerſa rerum natura tam malignum eſt, quod primo intendat, aut non eſſe, aut corruptionem alicuius: ſed tantum generatio, prima in intentione eſt: ad quam concomitanter ſequitur corruptio contrarij, atq; incompoſſibilis ei quod intenditur per generans. Quid igitur generare intendens actus ille uoluntarius Adæ quo diuinum mandatum præuaricatus eſt, corrupit integritatem humanæ naturæ, & ſubſtantiæ, præſertim corporeæ?

Quod concupiſcentia carnalis in paruulis nondum baptiſatis uere et proprie, peccatum non ſit.

Deinde etiam hoc mihi euidenter falſum uidetur, quod dicit concupiſcentiam illam carnalem, quæ in carne noſtra eſt, repugnantem legi mentis noſtræ, propriæ, & uere eſſe peccatum in his qui baptizati non ſunt, quod ignoſcatur quidem in baptiſmo, ne amplius peccatum ſit, attamen maneat, reatu eius ſublato quo per illam Diabolus animam captiuam detinuerat, quo paruulos abſq; baptiſmo hinc diſcedentes, uelut iræ filios reos nexoſq; ad damnationem pertrahat.

Hoc ante omnia admonendus es lector, Auguſtinum (quod ſupra audiſti) de ui illa concupiſcibili innata inſper-

ſacq;

ſaq; corpori,& non de eius motibus,hoc eſt,carnis concu- piſcentijs, legi mentis noſtrę aduerſantibus loqui, quæ in paruulis recens editis,aut in materno utero adhuc exiſten- tibus nulle ſunt, nec eſſe poſſunt, ut, non ſolum omni ad- huc uſu rationis deſtitutis, ſed omnis quoq; rei diſcretione carentibus. Quos, ſi qua concupiſcentia, reos,nexoſq; ad damnationem pertrahit, uim eſſe illam concupiſcibilē ne- ceſſe eſt,ut nondum explicantem actus ſuos,ſed adhuc pla ne ſepultam, neq; dum ullam rerum concupiſcibilium di- ſcretionem habentem,qua ſine,illa ferri non poteſt in obie cta ſua prorſus incognita. Vt autem hæc ipſa uis illa concu piſcibilis, proprie peccatum ſit, culpa,iniquitas, de ſe Deo odioſa,et execrabilis,et nos in eius ira,indignatione,aut of- fenſa conſtituens, mihi abſurdiſſime dici uidetur: Nec mi- nus abſurde, quod eadem ipſa manere poſſit, & non eſſe Deo & abominabilis,ſi talis aliquando fuerit.

Auguſtinū ne ceſſario loqui de ui concupi- ſcibili inſperſa innataq; carni

Cuius meæ ſententiæ,priuſq; rationem explicem,hoc ante mihi prēfandum uidetur, Auguſtinum,quantū equi- dem meminiſſe poſſum, nec tentare quidē uſq;,ſeu autho- ritate ſcripturæ,ſeu ulla ui argumentationis,ſuam illam de cōcupiſcentia,& peccato originali ſententiam aſſerere,ſed ſolum ſimpliciter affirmare. Lutherus uero,cui ea ipſa pla- cuit Auguſtini ſententia, in eadem aſſerenda uerboſus, & prolixus eſt,ſed parum efficax,ut cuius præcipua ratio, ex ultimo Decalogi præcepto ducitur. Quo, cum concupi- ſcere prohibeamur, uult concupiſcentiam omnem , etiam illam quæ in carne eſt, uelut huic præcepto contrariam,eſ- ſe peccatum, & legis tranſgreſſionem.

Auguſtinum nusq̄ probare, illam concupi- ſcentiā in par- uulis eſſe pec- catum.

Lutherum in- efficaciter pro bare.

Sed ipſa præcepti uerba, hanc illius ſententiam mox euidenter redarguūt. Nam illo prēcepto prohibetur actus, aut motus concupiſcentiæ, ſeu carnis, ſeu uoluntatis illam intellexeris, non uero,uis ipſa concupiſcibilis inſperſa , in-

nataqꝫ carni, unde hij motus prodire diceretur: dicitur enim. Non concupiſces domum proximi tui, nec deſyderabis uxorem eius, non ſeruũ, non ancillam, non bouem, non aſinum, nec omnia quæ illius ſunt. At noſtra queſtio eſt, de concupiſcentia illa carnis, qualis ante rerum omnium diſcretionem eſt in paruulis, quos per eam ipſam diabolus, ſecundum animam captiuos, ante baptiſmum retinere ille affirmat, & hinc diſcedentes, uelut iræ filios, reos, nexoſqꝫ ad damnationẽ pertrahere (Neqꝫ enim illi, adhuc cõcupiſcunt, aut concupiſcere poſſunt domum proximi, nec deſyderant uxorem eius, non ſeruũ, non ancillam, non bouem, non aſinum, nec quicq̃ omnium, quæ illius ſunt) hoc eſt, de ui illa concupiſcibili, quæ carni inſperſa, atqꝫ innata eſt, quam, & fomitem dicunt. Hæc ſingi omnino non poteſt prohiberi illo interdicto Decalogi, primo, palam reſiſtentibus interdicti ipſius uerbis, ut iam demonſtratũ eſt, deinde, ipſa rei de qua agitur, natura, quæ, inſit, non inſit, in noſtra poteſtate non eſt, nec interdici poteſt, non magis, ne naſcamur cum capite, oculis, naribus, ore, uentre, aut q̃, ne nobis inſit uis tangibilis, guſtatoria, olfactoria, auditoria, & cætera, quæ Deus, & natura nobis indidit. Nam, & uim illam cõcupiſcibilem ſibi amicorum, & ſuauium, quæ in carne eſt, qua etiam refugit ab horum cõtrarijs, Dei ipſius, & naturæ opificium eſſe mox demonſtrabimus.

Itaqꝫ quo clarius pateat iſtam carnis concupiſcentiam in nondum baptizatis, proprie peccatũ non eſſe, quo etiã ante omnem eius motum, uel in materno utero, ſub ira, & offenſa dei conſtituuntur paruuli, et mortis, damnationiſqꝫ reatu inuoluuntur, ante omnia, ut methodo agamus, nobis conſtet oportet, propria peccati ratio, alioqui abſqꝫ ſcopo ferretur oratio, & aliam nos, aliam aduerſarij peccati, rationem intelligẽtes, nihil aliud, quam uerba profunderemus,

Inueſtigatur ꝓpria peccati ratio.

in uentum

in uentum, & ridicula euaderet omnis diſputatio. Cuius methodi, dum obliuiſcūtur pleriq;, nihil mirum eſt, ſi poſt prolixam diſceptationem, omnia æque incerta maneant, ut ab initio.

Nec eſt, quod imaginantur quidam, aliam eſſe rationē peccati, ſecundum quam peccatum originis, aliam item ſecundum quam, peccatum actuale peccatum dicatur. Sunt enim hec, primę peccati ſpecies, originale inquã, & actuale, & ſecundum unicam, ueram, propriamq; peccati rationem, originale peccatum, qualecumq; demum illud dixerimus, ęque, ut actuale, peccatum, & eſt, & dicitur. Nam ęquiuoce etiam Chriſtus, etiam hoſtia oblata pro peccato, etiam concupiſcentia carnis, aut fomes poſt baptiſmũ, peccata dicuntur in diuinis ſcripturis, quemadmodum paulo poſt explicabimus.

Peccatum originale, & actuale, uniuoce peccatũ dici.

Propriam autem, ueramq; peccati rationem, Ioannes prima ſua epiſtola mihi explicare uidetur. Omnis, inquit, qui facit peccatum, iniquitatem facit, quandoquidem peccatum eſt iniquitas. Et rurſus, Omnis iniquitas, peccatum eſt. Conuertuntur ergo inter ſe, peccatum, & iniquitas: & hæc, illius, propriam rationem explicat. Nam, quod iniquitatis, quam peccati, ſit nobis notior ratio, ex eo eſt, quod illius mox ſe offert poſitiuum contrarium, ex cuius notione, ignota eſſe non poterit iniquitatis ratio: quod in peccato, perinde non eſt. Recte itaq; notionem peccati nobis explicauit arcanorum ille diuinorum conſcius Euangeliſta, & Apoſtolus, cum dixit, peccatum eſſe iniquitatem. Nec definiuit ignotum per ignotius, ſed per id, quod cuiq; facile patet, & notum eſt. Iniquitas ſiquidem, æquitati eſt contraria. Aequitas autem, eſt iuſtitia, aut rectitudo, quam Deus a nobis exigit, ad ſuæ legis regulam. Eſt ergo iniquitas, obliquatio a rectitudine,

Peccatũ proprie iniquitas, hoc eſt, legis tranſgreſſio.

quæ nobis lege præſcribitur, aut legis tranſgreſſio, ut in eo etiam ueriſſima comprobetur illa Pauli ſententia, qua aſſirmat, præuaricationem non eſſe, ubi lex non eſt.

Sicut autem infinitæ iuſtitiæ, & æquitati, non aduerſari, neq; diſplicere non poteſt iniquitas, atq; iniuſtitia, atq; iniquum, iniuſtumq; eidem non odibilem reddere, ita, ut quid modo tale ſit, modo idem in ſe immutatumq; permanens, tale non ſit, neceſſe eſt circa rectitudinis regulam, aut legem, mutatum eſſe aliquid, ut noua lege uetetur, quod antea interdictum non fuerat. Vt uero una eademq; manente æquitatis, & iuſtitiæ regula, idem aliquid in ſe manens, nunc proprie, primo, uereq; peccatum ſit, nunc non ſit, fieri prorſus non poteſt.

Fieri non poſſe, ut eadē manente rectitudinis regula, idē aliquid in ſe permanens, nunc peccatū ſit, nūc nō ſit.

Quapropter, qui uim illam quæ in carne noſtra eſt, concupiſcibilem, quem fomitem dicunt, ante baptiſmum proprie peccatum faciunt, quod nos in Dei offenſa, atq; ira conſtituat, & æternæ damnationis reos faciat, poſt baptiſmum uero, eandem ipſam, ab omni culpa peccati, & iniquitatis ratione abſoluunt, intelligunt, quam præter rationem faciunt, cum una eademq; maneat æquitatis, & rectitudinis, qua diuinæ iuſtitiæ conformemur, regula, a qua, quicquid ante baptiſmum diſſidet, etiam poſt baptiſmum diſſidet, et quicquid diſſidet, peccati, iniquitatis, & iniuſtitiæ rationem habet, atq; oculis diuinæ maieſtatis odioſum eſt.

Sed ne ab inſtituto longius digrediatur oratio. Eſt, ut diximus, peccatum ſecundum propriam ſuam rationem, legis præuaricatio. Obliquatio nempe, aut error, a regula, cui conformari teneamur. Vnde conſtat, nec legis, nec peccati rationem conſtare his, qui liberum uoluntatis arbitrium tollunt ex hominibus. Debet enim

Nec legis, nec peccati rationem conſtare his qui tollunt liberum arbitriū ex hominibus.

adeſſe

adeſſe illi cui lex fertur, rationis iudicium, quo poſſit uim legis apprehendere. Debet quoq; & obſequium legi debitum habere in ſua poteſtate. Vt ligno, & lapidi ſtulte quis lege prę ſcriberet, ut mouerentur ſurſum, aut ne deorſum caderent: homini, ut auium inſtar uolaret per aera: cęco, ut uideat: ſurdo, ut audiat: claudo, loripediq; ut recte, expediteq; ambulet. Nec impoſſibile aliquid, inquit Auguſtinus, potuit Deus imperare, quia iuſtus eſt: nec damnaturus eſt hominem pro eo quod uitare non poteſt, quia pius eſt.

Ad hanc autem, quam nunc diximus, rationem propriam peccati, analogia quadam facta, ſunt & aliæ quædã peccati acceptiones in ſcripturis. De quo, ne quis dubitare poſſit, unus Pauli locus abunde conuincit. Eum, inquit, qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur iuſtitia dei in ipſo. Eum, inquam, nempe Chriſtum Ieſum, qui non nouerat peccatum, agnus quippe innocens, & ſine macula, qui abſtulit peccata mundi, patrj factus obediens uſq; ad mortem, mortem autem crucis, idem ipſe pater, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur iuſtitia dei in ipſo. Peccatum fecit, ea locutionis ratione, qua ſcriptura utitur, cum dicit, ſacerdotes commedere peccata populi. Et in Leuitico, & imponet, inquit, manum ſuam, ſuper caput peccati ſui, hoc eſt, hoſtiæ pro peccato, in quam, quodammodo transferri uidetur peccati maledictio, & offenſa a peccatore, ut patiatur ipſa quod ille commeruerat. Sic in Chriſtum peccata noſtra, dũ ipſe pro illis ſatiſfecit, quodammodo translata ſunt. Peccata enim noſtra ipſe pertulit, in corpore ſuo, ſuper lignum.

Acceptiones uariæ peccati in ſcripturis, ſecundum quandam analogiã ad eius rationem propriã.

Hoſtia pro peccato, ut peccatum dicatur.

Ad hanc monetã pertinet, quod idem dicit Apoſtolus, miſiſſe deum filium ſuum, in ſimilitudinem carnis peccati, & de peccato, inquit, damnauit peccatum in carne, uel (ut

admonet Origenes uerius legi in quibuſdã græcis codici- bus) & pro peccato, damnauit peccatũ in carne. Certe, ipſa demõſtrat locutionis forma, in tribus his uerbis uarie pec- catum accipi. Eſt itaq; quod dicit, eodẽ Origene interpre- te, Per hoſtiam carnis ſuæ (quam, peccatum ab eodem di- ci ex more diuinarum ſcripturarum iam palam fecimus) damnaſſe illum, & deſtruxiſſe peccatum, pro quo expian- do in ara crucis ſe obtulit, Damnaſſe ergo Deum patrem peccatum totius mundi, pro illo peccato, illa carnis ſui filij hoſtia, uelut pro noſtræ redemptionis precio.

Vis concupiſcibilis carnis nobis congenita, ut peccatum dicatur ab Apoſtolo.

Ita quoq;, quia ex peccato eſt, quod uis illa concupiſci bilis quæ in carne noſtra eſt, aduerſetur ſpiritui, atq; etiam, quia ea, uelut inſtrumento quodam ad ſibi ſubijciendum iugo peccati hominem, aduerſarius noſter, ille ſerpens anti quus utitur, eandem ipſam, etiam peccatũ, ſicut illam, car- nem peccati, & corpus mortis appellat Apoſtolus, ut cum dicit. Peccatum, occaſione accepta per mandatum ſe- duxit me, & per illud occidit. Hic certe non accipere il- lum in propria ſua ſignificatione, peccatum, pro iniquita- te, aut legis iuſtitiæ tranſgreſſione, indubitatum eſt; ut ea uelut per occaſionem ex mandato acceptam ſeduxerit nos, ſed cogimur uelut authorem quendam peccati hic intelligere, ſeu illum, de quo Eua, Serpens ſeduxit me: aut certe, concupiſcentiam propriam, de qua Iacobus, Vnuſquiſq; uero tentatur a concupiſcentia ſua abſtractus & illectus, deinde concupiſcentia cum conceperit, parit peccatum, peccatum uero cum conſumatum fuerit, gene- rat mortem. Vides itaq;, quod ſit illud peccatum, quod nos tentat, & ſeducit ad peccatum, quo conſuma- to, per illud ipſum, mortis nos reos facit: nempe concupi- ſcentia, quæ occaſionem ad nos ſeducendum ex mandato accepit, irritata uidelicet, lege ſibi contraria, & facta effe-

ratior

ratior. Quam eandem, idem Paulus intelligit, cum dicit Nunc autem,non ego operor illud,ſed quod habitat in me peccatum,ſcio enim quia non habitat in me,hoc eſt,in carne mea,bonum. Loquitur autem de motibus ueteris hominis,& carnis peccati, qu s aduerſantes legi mentis noſtræ, & ſpiritus ,in ſe adhuc uehementes,atq; efferos ſentiunt,qui nouitati uitæ ſtude e incipiunt:quos dicit,a ſe aut a nobis non fieri,ſed a peccato quod in nobis, hoc eſt , in carne noſtra habitat , concupiſcentia inquam, aut fomite A nobis, ut huiuſmodi, proprie non ſit, quod ſimpliciter nolumus,& quod nobis inuitis in nobis ſit. Illa enim dicimur facere, quæ uoluntarie facimus, & in poteſtate noſtra habemus non facere. Si quis alius/per nos inuitos, repugnanteſq; quid faceret, non nos, ſed ille/id ipſum uerius, ac proprie diceretur facere. Vt ſi quis alterius, ſui impotentis,articulis/ ſcriberet falſam ſyngrapham, aut falſum teſtimonium, huic, non illi, imputaretur hæc falſitas . Vere proinde Apoſtolus. Si autem quod nolo, illud facio, iam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum. Si concupiſco ſecundum carnem aduerſus ſpiritum , nolens, & inuitus ,iam non ego proprie dicendus ſum concupiſcere , aut illius concupiſcentiæ author , ſed habitans in me peccatum , hoc eſt , uis illa concupiſcibilis, quæ & fomes peccati, inſperſa, innataq; carni . Nam quod non proprie hic loquatur de peccato,hoc eſt,iniquitate,aut obliquatiõe a rectitudine, quam regula diuinæ iuſtitiæ a nobis exigit, per ſe eſt notum atq; euidens : Cum illam Deus neceſſario odio habeat, neq; eam ſolam, ſed & illum, in quocumq; ea ipſa reperta fuerit. Similiter enim odio ſunt Deo, impius, & impietas eius. At peccatum illud. De quo hoc loco Apoſtolus loquitur , etiam in iuſtificatis eſt , ac Deo placentibus,

A nobis non fieri motus carnis,qui nobis inuitis in nobis aduerſantur ſpiritui.

Quod Apoſtolus concupiſcẽtiam carni noſtræ inhabitantem peccatum appellans, non ſecundum propriam ſuam rationem peccatum accipiat.

centibus, etiam hijs qui primitias ſpiritus acceperunt. atq; adeo, in illo ipſo Apoſtolo. Deinde, peccati ſedes, non caro, res inquam bruta, nec legis, nec iuſtitiæ, aut iniuſtitiæ capax, ſed uoluntas eſt. De eadem quoq; carnis concupiſcentia, idem loquitur Apoſtolus, cum iterum dicit. Non ergo regnet peccatum, in ueſtro mortali corpore, ut obediatis concupiſcentijs eius. Quam ea locutionis figura (ut etiam ipſe Auguſtinus cap. xviij. lib. I. de nup. & concup. docet) fere perpetuo peccatum appellat, quomodo ſcripturam manum, loquelam, linguam, & frigus pigrũ dicimus, quia, & ex peccato eſt, & nos, repugnans legi iuſtitiæ, ad peccatum inclinat, & ſollicitat, ſi ea neglecta, illi potius auſcultauerimus. Iubet proinde Apoſtolus, non, ne in nobis ſit, quod noſtrę poteſtatis nõ eſt, ſed ne regnũ illi concedamus, ne obediamus concupiſcentijs eius, quod in noſtra poteſtate eſt, cum diuinę gratiæ paratæ omnibus eam fideliter expetentibus, adiutorio.

Hanc itaq; tam uariam, & multiplicem acceptionem peccati, qui nõ ante diſtinguunt in ſcripturis, dum inquirunt, num quid proprie peccatum ſit, & dici debeat, neq; in eo, quam explicauimus, analogiam attendunt, & principalem, propriamq; eius ſignificationem non diſcriminãt a cæteris, abſq; methodo inquirunt, & uelut Andabatarũ more in tenebris dimicant, nec recte ſecant uerbum ueritatis, iuxta præceptum Apoſtoli, nihil proinde mirum eſt, ſi in craſſiſſimis hereant, atq; implicentur erroribus, & multũm diſputando, non multum profecerint, ſed poſt omnẽ diſputationem æque incerta permaneant omnia.

Nobis uero, ea ipſa diſtincta accuratius, & explicata luculentius per ſe demonſtrat continuo, id, ad quod demonſtrandum inducta eſt, uim nempe illam concupiſcibilem, quæ in carne noſtra eſt, tametſi fomes peccati ſit, & ad

peccandum

peccandum nos illiciens, non tamen proprie peccatū eſſe, nec dici poſſe, ſiue ante, ſiue poſt baptiſmum eandem intellexerimus: hoc eſt, iniquitatem, & obliquationem a rectitudine, quę lege a nobis exigitur, quę nihil eſt aliud, quam legis tranſgreſſio: ſed tantum, qua diximus, analogia, peccatum dici, quomodo dicimus ſcripturam, manum, aut frigus pigrum. Quod qui negat, neceſſe eſt, ut legem, cuius ſit tranſgreſſio, proferat. Quæ cum nulla ſit, nec eſſe poſſit, primum, quoniam hij quibus nec liberi arbitrij, nec rationis uſus ullus eſt, lege obligari non poſſunt, nempe, paruuli, quemadmodum non ſolum diuinæ philoſophiæ profeſſorum, ſed totius humani generis concordi ſententia alibi euidentiſſime demonſtrauimus, deinde (quod eadem euidentia, eodem totius humani generis conſenſu conſtat) quoniam lege interdici non poteſt, quod prorſus uitare nō poſſumus, immo, quod neceſſario, atq; ineuitabiliter nobis ineſt: nec a nobis ineſt, ſed ab alio, et ſi qua, in re eiuſmodi, imaginari poſſet culpa, & iniquitas, non habenti, ſed autori eius merito imputari deberet, ſicut ſi peccatum eſſet, cœcum, claudum, & mancum eſſe, non cœco, claudo, aut manco, qui contra uoluntatem ſuam iſta pateretur, ſed illi qui alteri cœcitatem ſua uoluntate intuliſſet, aut membro mutilaſſet, merito hoc imputādum foret, & hic, nō ille peccare merito diceretur. Euidenter hinc ſequitur, concupiſcentiam illam, quam diximus, carnis nec in paruulo, nec in adulto, nec ante, nec poſt baptiſmum, proprie, & uere eſſe peccatum. In paruulo, utraq; ratione iam dictā. Et quia rationis uſu deſtitutus, nondum ſub lege eſt. Et quia ineſt neceſſario, atq; ineuitabiliter: neq; a nobis, ſed a natura, atq; eius opifice, reſultat enim, æque ut mortalitas, ex compoſitione, ac temperatura partium corporis, quas ita miſcet ac temperat natura, aut uis illa naturæ quæ uiget

Ex ratiōe peccati explicata euidenter conſequi, concupiſcentiam illam carnis, nec ante, nec poſt baptiſmum proprie peccatum eſſe.

in ſemine, cooperante ipſo naturæ authore. Et abſque ulla culpa, fuit in corpore organizato, et iam apto ad receptionem rationalis animæ, priuſquam, eandem recipiat, quemadmodum, & in animantibus cæteris. Et ſi Deus crearet corpus ſimile, quod ad ſubſtãtiam pertinet, ei quod ex ſemine factum eſt, ſed præter comunem generationis legem, in alicuius mulieris utero, atq; illi animam infunderet, ſimiliter naſceretur ille, & prodiret, ut nos, cũ ui illa cõcupiſcibili, quę in carne eſt, qua, eadem, ut res omnis, appeteret ſibi ſalutaria, amica, ac delectabilia; & refugeret, abhorreretq; ab horũ contrarijs, nullo reſpectu legis iuſtitiæ, cuius, uelut res bruta, capax non eſt. Sed ad rationis hoc officium pertinet, eandem, & cohibere, & dirigere, & in obſequium ſuum cogere, & aſſuefacere. Naſceretur quoq; idẽ ille, ęque ut nos, in rerum omnium ignorantia, et in eadem permaneret, donec ętate exiccatius factum cerebrum, uiribus animæ per id ipſum explicandis inſtrumẽtum aptum fieret. Naſceretur paruulus, et continuo incremento ad ſtatum perueniens, & omnibus interim, quibus, & nos ſubiectus calamitatibus, et miſerijs, deficeret deinceps, et in corruptionem tenderet. Hęc enim omnia, naturales conditiones ſunt, eius quam circumferimus naturę corporeę, quam inhabitat anima. A quibus tamen, ſi iuſtitiam, quam accepimus, etiam cõſeruaſſemus in origine, nos uendicaſſet diuina gratia.

Epilogus de Auguſtini ſententia.

Et hactenus, de Auguſtini ſententia, qua concupiſcẽtiam illam inſperſam, innatamq; carni noſtræ, in nondum regeneratis, affirmat peccatum originis, & per eandem in Dei offenſa, atq; ira eoſdem conſtitui, & æternę damnationis reos fieri, quæ per baptiſmum, eadem nihilominus in ſe manens, omni reatu, omni quoq; culpę, peccati, & iniquitatis ratione abſoluatur, non ſolum, quod certa nõ ſit, ut a

quibuſuis

quibuſuis, uelut inter articulos fidei nobis obtrudi debeat, immo, quod certo falſa ſit, mihi ſatis demonſtratũ uidetur.

Nihilo his ueriora, aut probabiliora mihi afferre uidẽtur, qui peccatũ originale, carentiam iuſtitiæ originalis debitę faciunt, cuius (ut ſupra indicauimus) opinionis, Anſelmus lib. I. de partu uirgineo, author fuiſſe uidetur. Nã ante hunc, neminem inuenio, qui illam ipſam iuſtitiæ originalis carẽtiam peccatũ originale fecerit, nec in Auguſtino, quãtum ego equidem meminiſſe poſſum, ullum uerbum eſt, quo illam ipſam carentiam, nobis peccato deputauerit. *Quod peccatum originale non ſit carentia iuſtitiæ originalis debitæ*

Et quanquam ad ueram ipſam peccati rationem, hæc magis collimare uideatur opinio, quæ eſt iniquitas, aut iniuſtitia, oppoſita iuſtitiæ, aut rectitudini, quæ a nobis lege exigitur, quam prædicta Auguſtini, quę uim illam concupiſcibilem peccatum facit, propter quod, & Scoto, & alijs pleriſq; probabilior uidetur, æque tamen ſibi non conſtat, ſed multa includit euidenti ueritati pugnantia.

Supponunt ex communi catholicorũ ſententia, quod Adam acceperit illam originalem iuſtitiam, nõ ſolum pro ſe, ſed pro uniuerſa poſteritate ſua, aut humana natura, quę tunc in ipſo erat, ut in origine, ea tamen cõditione, & lege, ſi creatori ſuo adherens, perſtitiſſet in eius obedientia, qui cum peccauit, & diuinum mandatum tranſgreſſus eſt, non ſoli ſibi, ſed et nobis, eam iuſtitiam perdidit. Hactenus cum eiſdem non pugnamus. Et fatemur nos, et accepiſſe, et perdidiſſe iuſtitiam illam in origine. Sed unde carentiam eius iuſtitię, aut adultis nobis, aut paruulis proprie peccatũ demonſtrent, & nos eſſe debitores illius iuſtitię, nihil habent, immo, id ipſum, euidenti ueritati aduerſatur. *Carentiam iuſtitiæ originalis, non poſſe nobis imputari ad peccatũ*

Quod dicunt ideo nos eſſe debitores eius, quia eandẽ, in Adam, uelut communi omnium parente, et accepimus,

 & perdidimus,

& perdidimus. Dicunt tantum, at ſine ratione, immo, contra euidentem rationem dicunt.

Primum. Quia non quicquid accepimus, etiam ſi noſtra ipſorum culpa idipſum perdiderimus, ad peccatũ nobis imputatur eius carentia, niſi legem proferrent, qua obligaremur illud habere continuo, et perpetuo. Accepimus pleriq; noſtrum, ſanitatem corporis, & noſtra, ſeu ignorantia, ſeu negligentia, ſeu intemperantia, eandẽ perdidimus, & pro ea morbum contraximus. Qua in re, peccauimus quidem, quod ſanitatem neglexim⁹, nec tutati ſumus, ut potuimus, attamen, morbus ipſe, aut ſanitatis contracta ex noſtro peccato carentia, proprium peccatum non eſt, niſi legem protuleris, per quam obligemur ſani eſſe perpetuo, ita, ut carere ſanitate, aut contrarium illi morbum habere, peccatum ſit. Itaq; cum nulla lex proferatur, per quam obligentur omnes, & adulti, & paruuli habere originalem illam, quam dicimus, iuſtitiam, datam Adæ, per quam, & immortales eſſemus, & pacatis nobis uteremur, abſq; ulla pugna carnis aduerſus ſpiritum, non eſt conſequens, carentiam eiuſmodi, proprium peccatum eſſe, ex hoc, quod eandem, etiam quomodocunq; accepiſſemus.

Deinde, ut daremus uniuſcuiuſq;, quod a deo accepimus, doni, ita nos debitores eſſe, ut deputaretur nobis peccato eius carentia, hoc ſane intelligendum foret in ijs, qui propria ſua ipſum culpa perdidiſſent. Vt ſi omnes naſcerentur membris integris, & præceptum eſſet integritatem illam membrorum, & ſeruare, & habere perpetuo, ſi quis ſua malitia inuitum mutilaret alium, non poſſet mutilatio hæc, aut integritatis carentia ipſi mutilato imputari ad culpam, ſed illi tantum, qui ſua culpa, illius cauſa extitit. Itaque non poteſt carentia

eius

eius, quod etiam ipſi proprie accepimus, etiam quacunque lege poſita, de ſeruando, & perpetuo habẽdo eo ipſo quod accepimus, cuiquam imputari ad culpam, niſi qui propria ipſum, & non aliena culpa perdiderit. Nec quicque refert, pater ille ſit, per quem ipſum perdidimus, an extraneus, ſed hoc unum refert, quod ſibi, ſuæque uoluntati, & propriæ culpæ imputari poſſit, aut non poſſit, quod mancus ſit, ut dicam uerbi gratia. Aeque enim, in nunc propoſito caſu extra culpam foret, ſi quis inuitus mutilaretur a malo patre, quam ſi ab extraneo?

Quanto ergo minus imputari nobis poteſt ad culpam, iuſtitiæ illius originalis carentia, quam nec ipſi proprie accepimus? quam ut omnes habeamus, nulla lex exigit, nec poteſt exigere? quam nulla noſtra culpa perdidimus? Quam ut habeamus, in noſtra poteſtate non eſt, ſed ex alieno, diuinæ nempe uoluntatis, pendet arbitrio? De qua quod ipſam in carne mortali nemini dare uelit, certiſſimus.

Accepit eam Adam, non nos, ſed accepturi eandem fuiſſemus, & nos, ſi ille in ſuo perſtitiſſet officio. Sua illam culpa perdidit, In quo, & ſi peccauerit grauiſſime, nec tamen illi ipſi, ad propriam culpam imputata fuit amiſſę carentia, niſi legem protulerint, qua, exacta in ipſo fuiſſet perpetua eius exiſtentia.

Certe, ut eſſet lex aliqua quæ exigeret ab omnibus eius poſteris, tam paruulis, quam adultis, ut eam haberent iuſtitiam, ipſa rerum natura non patitur.

Fieri enim non poſſe, ut lege obligetur quis, cui aut deeſt rationis utendæ facultas, qua poſſet uim legis apprehẽdere, aut liberi arbitrij ea poteſtas, qua eandem, faciens quicquid poſſet, implere, & debitum legi obſequium in ſua poteſtate haberet, alibi a nobis euidentiſſime demon-

ſtratum eſt, & ita per ſe notum eſt, ut eius demonſtrationi neceſſe non ſit hic diligentius inſiſtere. Quæ ratio, etiam quicquid demum eſſet illud, quod præciperetur, ut nulla lege ſinit obligari paruulos, qui ſub lege nondum ſunt, ita nec adultos ad faciendum, aut uitandum, quod factu, aut uitatu ipſis eſſet prorſus impoſſibile, ſed debet legis obſequium eſſe in eius poteſtate, quem lex obligat, niſi quis uoluerit, nobis præcipi poſſe, cœlum digito contingere, aut auium inſtar ſublimes ferri in aera. Nec immerito orthodoxi ſanctiſſimiq; patres noſtri, execrati ſunt eorum ſententiam (quæ nunc placet aduerſarijs) qui auſi ſunt affirmare contrarium. Nec pro ijſdem faciunt, quæ aduerſus euidentem, & communi etiam mortalium ab initio omnium conſenſu probatam (quod alibi clariſſime demonſtrauimus) ſententiam inducunt, primum & ultimũ præcepta decalogi, nempe de diligendo Deo ex toto corde noſtro, in tota anima noſtra, & in tota mente noſtra, & de non concupiſcendo, quorum neutrum impleri a nobis poſſe pro huius uitæ ſtatu contendunt. Sed ut in primo, ob id errant, quod contemnunt uerã ſcripturarũ intelligentiam in eccleſia querere, ſed ſuo ſenſu metiuntur, & intelligi uolunt omnia, ita in hoc ultimo, ſe reddunt plane ridiculos. Vt quo omnem concupiſcentiam, non ſolum eius actus, ac motiones, ſed uim quoq; illam concupiſcibilem, quæ in membris noſtris eſt, prohiberi intelligunt, adeo, ut eandem, etiam in paruulis baptizatis uere peccatum affirment, & præcepto legis contrariam. Sed paulo ante demonſtrauimus, non uim illam concupiſcibilem, ſed eius motus, non qualeſcumq;, nec de quibuſcumq;, ſed qui ex nobis, hoc eſt, corde, & uoluntate noſtra prodeunt, uetari hac lege decalogi. Nobis enim, non carni brutæ dicitur, Non concupiſces. Quæ autem nos libera uoluntate

Nulla lege obligari poſſe paruulos.

Ad impoßibile obligari neminem poſſe.

Soluuntur Argumẽta aduerſariorum in cõtrarium.

Vt perperam intelligant præceptum de non concupiſcẽdo.

tate facimus, ea demum facimus. Quæ inuiti in nobis patimur, ea a nobis fieri negat Apoſtolus, ſed a peccato, id eſt, a fomite peccati, qui in nobis eſt. Nec quidlibet concupiſcere, eſt prohibitum. Neq; enim pauper uetatur concupiſcere neceſſarias, aut honeſtas diuitias: eger ſanitatem, & robur corporis: eſuriens cibum, & potum ſitiens. Sed quid? Non concupiſces, inquit, domum proximi tui, nec deſyderabis uxorem eius, non ſeruum, non ancillam, non bouem, non aſinum, nec omnia quę illius ſunt. Et hæc lex, nobis impletu eſt impoſſibilis?

In illo primo mandato, ut dixi, errant ideo, quia penes ſe, & non in catholica eccleſia quærunt ſcripturarum intelligentiam. An forte ipſum non legerat diligentiſſimus ille diuinarum ſcripturarum excuſſor, & ſtudioſiſſimus diuinorum mandatorum obſeruator Hieronymus? an ignorauit fieri non poſſe, ut quamdiu mortale hoc corpus circumferimus quod aggrauat animam, quod nos in multa neceſſario ſecat, ac diſtrahit, ut ex toto corde, in tota anima, tota mente noſtra, Deum diligamus, ita ut nihil ſit in nobis eius amore uacuum? nulli locus amori rei alterius? Hæc inquam an ignorauit ille, cum aduerſariorum execraretur uelut in Deum blaſphemam ſententiam, & anathema in eoſdem pronunciaret, qui dicunt Deum præcepiſſe nobis quicq; impoſſibile? Numquid eadem neſciuit Auguſtinus, cum diceret Deum non potuiſſe, nec poſſe impoſſibile aliquid nobis imperare, quia iuſtus eſt? Minime omnium. Sed intellexit uterq;, ſicut hoc ipſum intellexerunt orthodoxi omnes, ſummam illam plenitudinē, et perfectionem charitatis proponi quidē nobis, primo illo, & maximo omnium mandato, uelut ſcopū pręceptorum omnium, in quem perpetuo collimaret noſtræ in eis obedientiæ ſtudium, ſemper conaretur proximius accedere,

De primo mādato.

Summam illam charitatis plenitudinem proponi quidem nobis primo illo & maximo mandato, at nō exigi.

accedere, non tamen, ſub neceſſitate exigi, & in obligatio-nem uenire, uelut impoſſibilem pro huius incolatus tem-pore, quo ad illam ipſam perfectionem, tendimus quidem, ſed non peruenimus: conamur, ſed non aſſequimur: quam diu has domos inhabitamus luteas, quamdiu hic uidemus per ſpeculum in enigmate, quam diu peregrinamur a do-mino. Sed tunc locus illi perfectioni erit, quando euacua-bitur quod ex parte eſt, & omnis abſorbebitur imperfectio, quando ambulabimus, non per fidem, ſed per ſpetiem, & ipſum quem diligimus intuebimur. Cuius, ut tunc plena erit cognitio, ita & perfecta dilectio. Interim a nobis hic nihil exigitur, quod noſtrę mortalitatis, conantis quicquid poteſt, & adiuta diuina gratia, qualis in hac uita exhiberi ſolet mortalibus, uires ſuperat. Ille Deum diligit, quod hic ſatis eſt, qui cætera mandata eius ſtudioſe obſeruat, qui diligenter exequitur, quæ faciunt ad nominis eius hono-rem, & reuerentiam, atq; odio proſequitur, & execratur cō-traria, qui fratrem propter Deum diligit, atq; illi opera di-lectionis ſyncere impendit, qui ſe in omnibus, diuinæ uo-luntati ſubijcit. Qui, inquit, habet mandata mea, & ſeruat ea, ille eſt qui me diligit, & rurſus. Qui diligit me, ſermo-nes meos ſeruat. Hæc eſt itaq; illa metha amoris Dei, qui hic a nobis exigitur, mandatorum eius obſeruatio. Quod ipſum apertiſſimis uerbis confirmat Iohannes dicens.

Metha amoris Dei qualis hic à nobis exigi-tur.

Hæc eſt charitas Dei, ut mandata eius cuſtodiamus, & mandata eius grauia non ſunt. Attende quid dicat. Mandata eius grauia non ſunt, nedum, non impoſſibilia. Sed iugum, inquit ille, meum ſuaue, & onus meum, leue. Is ergo mandatum illud primum, & maximum, quantum hic a nobis exigitur, ſatis obſeruat, qui cętera mādata Dei obſeruat omnia. Itaq; tametſi Chriſtus tentanti ſe legis doctori, & interroganti quod magnum mandatum eſſet

in le-

in lege, maximum, & primum illud eſſe, quod diximus, recte reſpondit, altero tamen interrogante, quid faciendo, uitam conſequeretur æternam, mandatorũ quidem Dei obſeruantiam exegit, ſed illius maximi mandati impletionem non exegit, ut ad aſſequendam ſalutẽ neceſſariam. Reſpondit itaq; illi, ut ſeruaret mandata, ſi uellet ad uitam ingredi. De quibus autem mandatis diceret, iterum interrogatus, cætera quidem enumerat, at illud maximum, eiſdem non connumerat: ut quod noſtræ mortalitatis infirmitatem, in ſua illa, qua proponitur perfectione, ac plenitudine excedit: ſignificans etiam illud ipſum ſatis ſeruari a nobis, quantum eſt ad aſſequendam ſalutem neceſſarium, ſi nihil cęterorum omiſerimus. Ad cuius tamen perfectionem, uelut ad ſcopum quendam, perpetuo nobis ſtudio collimãdum, conandumq; ſit, ſagittariorũ inſtar, inter quos, ad ſagittam ſe exercentes, certamen eſt, non, quis eorum ſcopum attigit, ſed quis acceſſit uicinius, et minus ab eo declinauit. Ita, & inter nos optimus eſt, qui ad perfectionem maximi illius præcepti acceſſit uicinius, qui minus in ſe, aliaq; diuiſus, magis in Deum unitur, ut illi toto corde, tota anima, tota mente adhereat.

Apta ſimilitudo.

Sed, ut reuertamur ad id, unde nonnihil digreſſi ſumus. Iterum dicimus, non ſolum, nullam legem proferri poſſe, quæ exigat ab omnibus Adæ filijs, ut adultis, ita paruulis, ut originalem illam, quam dicimus, iuſtitiam habeant, ſed prorſus fieri non poſſe, ut qua ſit lex eiuſmodi. Quoniam fieri prorſus non poteſt, ut ulla lege obligetur quis, cui non eſt, aut rationis utendę facultas, qua poſſet uim legis apprehendere, aut liberi arbitrij ea poteſtas, qua eandem, faciens quicquid poſſet, adimplere ualeret, & legi debitũ obſequium in ſua poteſtate haberet. Vtraq; ratio, ab omni lege abſoluit paruulos: Secunda, nec adultos ad hanc iuſtitiã ori-

Cõcluditur ex præmiſſis, carẽtiam iuſtitiæ originalis, non eſſe peccatum, nec adultis nec paruulis.

ginalē habendam, ulla lege obligari poſſe demonſtrat. Cū id prorſus in eorū poteſtate non ſit, non magis, quā, ut immortales naſcantur, et cū rerū omniū ſcientia, ut equorū, et canū uelocitatē habeant, aſinorū robur, ad ferenda onera.

Ex quibus euidenter patet, originale peccatū non eſſe in nobis carentiam iuſtitiæ originalis debitæ. Ad quam habendam, cū nulla lege obligemur, aut obligari poſſimus, nec paruulis, nec adultis nobis, peccato ulla ratione deputari poſſe eius carentiam, manifeſtum eſt.

Quod peccatū originis nō ſit complexū ex concupiſcētia, & carētia iuſtitiæ.

Quod, ſi nec eſt concupiſcentia illa carni noſtrę inſperſa, innataq;, quæ hominem ad ſua deſyderia pertrahens, legi mentis noſtrę repugnat, nec debitę originalis iuſtitię carentia, eadem euidentia cōſtat, nec ex his duobus complexum eſſe, ut opinantur, qui conciliare uolunt Auguſtini, & Anſelmi, quamuis diſcrepantiſſimas ſententias, aut inter eaſdem, media quadam uia incedere.

Aduerſariorū in definiēdo te meritas.

Itaq;, quorſum a nobis hæc paulo prolixius pertractata ſunt, intelligunt opinor ex his aduerſarij, quam faciant temere, dū ſibi hanc authoritatē arrogāt ſtatuendi, definiēdiq; nobis id, de quo hactenus, ob immenſam ſui obſcuritatem, parū admodū, diuinarū ſcripturarū luce, niſi quouſq; ſupra diximus, illuſtratā, inter orthodoxos libere diſceptatum eſt, & forte, a nullo certa inuenta ueritas. Pro qua, illi, ſua nobis ſomnia proferentes, non ſolū incerta, ſed euidenter falſa, in articulo ſuæ fidei, uelut certam ueritatē ſtatuūt, & inculcāt credulo ipſis populo. Qua equidē in re, eo (ut diximus) intollerabiliores ſunt, quod D. Auguſtini, quāuis parū certam, ac firmam (quod nunc demonſtrauimus) ſententiam, ſequi ſe profitentes, ab eadē tamen diſſentiunt bis per omnia, ſed pro ea, aliā introducunt, plenam in Deū conditorem noſtrum blaſphemiæ. Quam in editis pleriſq; ſuis libellis clarius explicantes, in cōfeſſione ſua Auguſtana, atq; eius apologia obſcuris uerbis inuoluunt, & innu-

unt

tunt magis, quam explicant, ut niſi quis ex alijs libris eorũ, (ad quos apologia lectorem remittit) eandem iam ante intellexerit, non poſſit ex his certam intelligere.

D. Auguſtini ſententiam, eius ipſius uerbis, ſupra clariſſime aſtruximus, qui ſentiens in ſe moleſtã hanc pugnã, rebellionemq́; carnis, aduerſus ſpiritũ, quã ex peccato originis, in nos emanaſſe apud orthodoxos oẽs certũ eſt, dum quęrit in ſingulis ſingulare, & proprium peccatũ originis, nihil inuenit aliud, præter illam concupiſcentiã inſperſam, innatamq́; carni, quam apoſtolus, legẽ membrorũ repugnantem legi mentis noſtræ, & ſuis deſyderijs inclinantẽ hominẽ, captiuantemq́; in legem peccati, & mortis, immo, & peccatum, in carne ſua habitans dicit, quod operatur, quas inuiti ſentimus in nobis, cõcupiſcẽtias carnis, aduerſantes legi iuſtitiæ, atq́; ipſi etiam rationis præſcripto, & uoluntatis remurmurantes imperio, ut non poſſit, uitę nouæ ſtudium aggreſſus, ante crucifixã, mortificatam, rationiq́; ſubiectam hanc carnem peccati, ſiue magna difficultate, bonum perficere: ubiq́; diſerte, ac diligẽter exprimẽs, hanc, de qua loquitur concupiſcentiam, hoc malum, hoc peccatũ in carne noſtra habitare: illi inſperſam, innatamq́; eſſe: carnis hãc eſſe concupiſcentiam, non rationis, non mentis, aut ſpiritus, immo, per illam, carnem cõcupiſcere aduerſus ſpiritũ, ut dicit apoſtolus: illam repugnare legi mentis noſtræ.

Quantum diſſentiant aduerſarij ab Auguſtini ſententia, quã tamẽ ſeq́ profitentur.

Cõtra aduerſarij, totius ueteris hoĩs, hãc cõcupiſcẽtiã intelligũt, uoluntatis, rationis, mẽtis, ſpũs, breuiter, oĩm quæ ante regeneratiõẽ in hoĩe ſunt, quanq́; nihil ſpũs ante regeneratiõẽ opinẽtur eſſe in hoĩe. Auguſtinus cõcupiſcẽtiã illã, quã ante regeneratiõẽ pc̃m̃ affirmat, poſt regeneratiõẽ, nõ ſolũ ab oĩ reatu, ſed etiam ab oĩ culpa abſoluit, ſed ſolũ nobis ad exercitatiõẽ, & agonẽ relinq, neq́; aliter peccatũ dici, niſi quemadmodũ ſcripturã manũ, loquelam linguã, frigus pigrum dicimus, clariſſimis uerbis affirmat.

Contra aduerſarij,hanc,etiam poſt baptiſmū,in nobis uere,et proprie peccatum eſſe contendunt,quorū,quo clarius hac de re,intelligatur ſententia,et euidentior omnibus fiat eius falſitas,ex alijs libris eorum,quibus ea apertius explicata eſt,ad quos remittit nos apologia, eadē nobis paulo diligentius aperienda,excutiendaq; eſt: plus enim in receſſu includit myſterij, quam ex articulo confeſſionis ſuæ Auguſtianæ, atq; eius apologia facile poſſit intelligi. Et quando inter omnes eius doctrinæ profeſſores, unus mihi Ioannes Caluinus,minus callide,magiſq; aperte, & candide,atq; etiam diligentius omniū,eam ipſam conari uideť aſtruere,&explicare eius myſteria,ex illo,uelut cōmunis ſententiæ eorum diligenti interprete,ea ipſa ad clariſſimæ ueritatis lucem expendere,& clare conſpicienda,qualia ſunt, ſub oculos ponere conabimur.

Explicatur aduerſariorū, de peccato originali ſententia.

Is itaq;, capite ſecundo inſtitutionis,quā inſcribit, chriſtianę religionis,hominem, bifariam cōſiderandum docet, primum,in ea integritate,in qua, in ipſa ſua origine conditus extitit,deinde,in miſeria,in quam,eiuſdem originis culpa,et peccato delapſus eſt. Conſtare ſiquidē creatū Adam, ad dei ſimilitudinem,& imaginem:quam, in conformitate noſtri ſpiritus cum Deo,hoc eſt,diuinę ſapientiæ,iuſtitiæ, uirtutis, integritatis, ueritatiſq; participatione,imaginantur cōſiſtere. His dotibus prædiţum ipſum,ea lege,ut non ſolus ipſe,ſed & filij eius omnes,in ijſdem uicturi fuerant,ſi modo ipſe perſtitiſſet in ea integritate,quam acceperat: nō tamen perſtitiſſe diu,ſed ſua potius ingratitudine, ſe reddidiſſe indignum, atq; excidiſſe illis omnibus. Et in locū eorundem,ceſſiſſe teterrimas peſtes,ignorantiam,impotentiam, impuritatē,uanitatem,iniuſtitiam: quibus miſerijs immerſum,& obuolutū,ſuā quoq; eiſdē implicauiſſe,ꝓgeniē.

Hanc eſſe hęreditariā naturæ, antea bonę corruptionē,

et prauitatē, quæ contracta in Adam, ab eo, propagatione in nos omnes tranſierit, qui ab impuro ſemine deſcendentes, iſta peccati contagione infecti naſcimur: hanc nos in ira Dei conſtituere, & damnationi merito obnoxios: hanc nos ita omnibus naturæ noſtræ partibus uiciatos, peruerſosq; reddere, ut uniuerſa hæc quam naſcendo accepimus natura, non ſit niſi peccati ſcaturigo, & ſemen quoddam, cuius fructus ſint illa, quæ carnis opera ſcriptura appellat, quæ inceſſanter producat, non ſecus atq; fornax incenſa flammam, ac ſcintillas efflat, aut ſcaturigo aquam ſine ſine egerit. Ita ut ſpiritus S. per ſcripturam clare pronunciet, omne figmentum humani cordis, hoc eſt, quicquid ingenium noſtrum concipit, agitat, inſtituit, ac molitur, tantūmodo, ſemper, & neceſſario malum eſſe.

Definitio peccati originalis ſecundum aduerſariorū ſententiam.

Non eſſe tamen, ut in Deum naturæ authorem, mali huius noſtri cauſam referamus, ſed naturæ noſtræ deprauationi ruinam hanc noſtram imputandam potius: a carnis noſtræ culpa, noſtram perditionem eſſe. Herere quidē exitiale uulnus in natura noſtra, permultum autem referre, acceſſerit ne illud aliūde, an ab origine inſederit. Conſtare, per peccatum inflictum fuiſſe, non eſſe ergo, cur, niſi de nobis ipſis queramur, Deum ab initio condidiſſe hominē rectum, ipſum autē infinitis ſe immiſcuiſſe queſtionibus. Et hoc pacto ſibi pulchre tueri uidentur cōditoris cauſam, aduerſus eos, qui his ſuis uitijs Deum authorem audent inſcribere.

Vniuerſum hominem hijs Chriſti uerbis depingi uolunt, Quod natum eſt ex carne, caro eſt. Quod ſi in hominis natura nihil ſit niſi caro (nihil enim ſpiritus niſi per regenerationem habere nos affirmant) atq; ea ſit carnis peruerſitas, ut toto ſuo affectu ſimultatem cum Deo exerceat, ut cum legis diuinę iuſtitia conſentire nequeat, ut nihil denīq; niſi

Vt uniuerſum hominem, ante regenerationem carnē faciant.

niq; niſi mortis materiam parere, cum affectus carnis, mors ſit, teſte Apoſtolo, hinc palam conſequi, hominis naturam nihil poſſe quam neceſſario repugnare Deo.

Vt hois naturam nihil poſſe, quam neceſſario repugnare Deo.

Id ſignificari illo Hieremiæ. Cor hominis fraudulentũ, & peruerſum præ omni re, clariſſime uero uerbis illis Apoſtoli ad Rom. Quod non eſt iuſtus quiſquam, non eſt intelligens, aut requirens Deũ, omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, ne unus quidem: ſepulchrum patens eſt guttur eorum, linguis ſuis doloſe agunt, uenenum aſpidum ſub labijs eorum: quorum os, maledictione, & amaritudine plenum eſt, quorum pedes ueloces ad effundendum ſanguinem: In quorum uijs cõtritio, & infœlicitas, quibus prę oculis timor Dei nõ eſt.

Quibus quidem fulminibus, nõ in certos homines, ſed in uniuerſam filiorum Adam nationẽ uolũt inuehi Apoſtolum, nec in unius, aut alterius ſęculi deprauatos mores, ſed accuſare naturæ corruptionem perpetuam. Neq; enim aliter conſtare ſuam argumentationem Apoſtolo, qua docere conatur, ineluctabili calamitate oppreſſos omnes homines, ex illo peccato originis, a qua, emergere non poſſint niſi una dei miſericordia, niſi de clade, & exitio naturæ illa proferat teſtimonia, ex quibus; naturæ prauitate, non conſuetudinis uitio, tales eſſe conſtet omnes homines, quales hic deſcribuntur ab eodem. Omnibus enim eiuſmodi portentis obnoxiam pronunciari uolunt ab Apoſtolo, omnẽ animam. Quæ uniuerſa, etſi non unaquelibet exerat, coercita nonulla Dei gratia, unumquemlibet tamen hominé, hydram iſtam incluſam, habere in pectore. Quam, ſi dominus libere pro ſua inclinatione uagari ſineret, & non iniectis frenis, quatenus ad conſeruandã rerũ uniuerſitatẽ expedire prouidet, coerceret, nullã eſſe tam rabioſam beluã, quę tã pręcipitãter feratur, nullũ quamlibet rapidũ, ac uiolentũ flumen, cuius adeo impetuoſa ſit inundatio.

Diligenter attende quã prodigioſam faciant naturã hominis.

Sed

Sed hæc frena, ſpecialia Dei dona eſſe, non communes dotes naturæ. Quam uniuerſam, omni bene agendi facultate, ita deſtitui uolunt, (tametſi in rebus indifferentibus, ac ciuilibus, & actionibus quæ nec iuſte per ſe, nec uitioſe ſunt, liberam illi agendi facultatem nunc concedant) ut nec diuina gratia opitulante ſuas, & ipſa partes poſſit habere, in bono opere, immo etiam ſub ipſa gratia neceſſario repugnare Deo, atq; eius gratiæ, uniuerſamq; aboleri oportere in nouo homine, non medicari, aut corrigi

Vt omnem facultatem liberi arbitrij tollāt in bono opere.

Proinde fidelem a regeneratione animam, in duas partes diuiſam affirmant, quarum ſit inter ſe perpetuum diſſidium. Nam qua parte a ſpiritu Dei poſſidetur, & regitur, immortalitatis amore, & cœleſtis regni deſyderio, ad iuſtitiæ, puritatis, ſanctitatiſq; ſtudium, tota intentione intentā eſſe, qua uero parte naturalem adhuc affectum retinet, mūdi amore implicitā, prauiſq; cupiditatibus imerſam, & peccati luto defixam, quid pulchrum, & beatum ſit, nec uidere poſſe, nec Deum, iuſtitiamq; non auerſari: atq; inde conflictum naſci in nobis, paleſtrāq; duriſſimam, quæ piū hominem, per totam uitam non leuiter exerceat, ut dum ſpiritu ſurſum erigitur, a carne deorſum retrahatur: dum ſpiritu ad imortalitatem feſtinat, carne ad mortalitatem deprimatur: dum ſpiritu iuſtitiam cogitat, in Deū dirigitur, mundūq; contemnit, carne contra ſollicitetur ad iniquitatem, a Deo auertatur: & ad mundi alliciatur illecebras. Atqui duos hos athletas, & ſi ſuo certamine piam animam diſtrahant, diſpari tamē conditione inter ſe congredi, ſuperiores ſemper in hac pugna, tenente ſpiritu, cuius impetum remoretur quidem caro, ſuis illis obſtaculis, dum quærit abrumpere: & ardorem minuat, dum molitur extinguere.

Vt fidelem animā a regeneratione in duas partes diuiſam intelligāt

Hinc conſtare, inter hominem animalem, et regeneratū quantū ſit diſcriminis,; Illū, etſi pungatur, lancineturq; ſua

conſcientia

Inter hominē animalem & regeneratum quod diſcrimē intelligant.

conſcientia, ne ſolido torpore in uitijs ſuis acquieſcat, illis tamen delectari toto cordis deſyderio, ſibi in illis placere, illis libenter obſequi, nec quicquam in illis, niſi pœnam horrere. Hunc uero, præcipua uoluntatis parte legi iuſtitię adherere, odiſſe, atq; execrari peccatum, quod per imbecillitatem committit, ſibi ipſi diſplicere, conſenſione alio potius ferri, in dulcedine legis magis oblectari quam uoluptatum blanditijs, nec unquam ſcienter peccare, niſi repugnante nō ſolum conſcientiæ teſtimonio, ſed etiam cordis affectu.

Hæc eſt communis Lutheri, & ſuorum omnium de peccato originali ſententia, diligenter quidē, ac dilucide (quātum res ipſa ferebat) explicata a Caluino (quod negare nō poſſunt aduerſarij) & magnificis uerbis ornata, a nobis autem (quod idem ille nō inficiabitur) fideliter, et abſq; fraude, abſq; eo ut rationibus, argumentiſq;, in enarrando, probabilitatis, aut efficatię detraxerimus aliquid, in luculentū contracta compendium. Quam adeo fœcundam, ac tot ſcatentem, tam admirandis, nouis prodigioſiſq; myſterijs, cum in Vuormatienſi colloquio (in quo tamen de unica hac cōtrouerſia, a deputatis utrinq; colloquutoribus, multis ultro citroq;, etiam triduo actum eſt) plane diſſimulatam, atq; intactam cernerem, & ab aduerſarijs in capta conclusione diligenter cautum, ut uniuerſa hæc, ſicut manſerunt intacta, ita, & ipſis manerent integra, ne forte nonnullorum, aut oſcitatione, aut præuaricatione, aut calliditate, cauſæ religionis præiuditium fieret, aut Ariminenſis concilij, in celeberrimo hoc conuentu, renouaretur exemplū, religioni ſane quam perniſtioſiſſimum, non eſt uiſum mihi, hanc ita diſſimulanter præterire, ſed ad uiuum attigere, aperire Silenum, et ſub claram lucem, oculis omnium cōſpicienda proponere omnia eius myſteria, preſſiusq; excutere, quid ueri falſiq; intus contineant. Id quod nemo, in cuiuſquam

Cur diligentius explicauerit aduerſariorū de peccato originali ſententiam.

tiſquam detractionem, aut contumeliam factum interpræ-tabitur, ſed unius religionis zelo, qui me coegit, quamuis in itinere, a Vuormatia Ratiſponam properātem, ne deeſ-ſem occaſioni, atq; oportunitati, tumultuaria, et uix ſex, aut ſeptem dierum opera, utcumq; explicare hanc con-trouerſiam. Quam unam omnium, ob ſui difficultatem, & quia, niſi coarguendo receptas iamdudum, ſaltem in ſcho-lis, etiam ſanctorum nonnullorum ſententias (quod per ſe ſtatim inuidioſum eſt) plane explicari non poſſe intellexe-ram, intactam reliqueram: alteri loco, ubi minori cum inui dia id potuiſſem, eius explicationem reſeruans. Sed coegit me zelus ille, mutare conſilium, & uel ſupra uires, tam bre ui, tam incommodo ſtudijs, & lucrubrationibus tempore, rem tam arduam, tam omnium tractatorum confeſſione obſcuram, aggredi: inuidiam omnem contemnere, neglige re exiſtimationem propriam (quam aliquam fortaſſis com-parare potuiſſem, per otium, & tempus, rem a nemine ſatis explicatā, explicando luculentius, ac diligentius) quo pub licæ utilitati ſeruirē, cui condonabit pius lector, ſi forte tan to argumento non ſatisfecerim. Neq; enim de re parua, aut negligenda hic agitur, ſed de noſtri uera cognitione, unde maxima ſui parte, doctrinæ, religionis noſtræ pendet cog-nitio: & de qua, ſi falſis, peſtiferiſq; opinionibus eiuſmodi, ſemel imbuti fuerimus, uelut error principij, in q; plurima ſe extendit alia. Proinde ad rem.

Epilogus ſen-tentiæ aduerſa riorum de pec cato originis.

Audiſti lector, aduerſariorum de peccato originali ſen tentiam, quam quo propius, & diligentius intueor, & ex-cutio, eo minus credo, recte intelligi a ſuis illis aſſertoribus, non ſolū, propter euidentē eius in ſe falſitatem, ſed ob mul timodā, atq; inexplicabilē, quā in eadē uideo, pugnantiā. Et dabo operam, ut & ipſis aperiantur oculi, niſi eos ſtu-dio clauſerit, & tu etiā una mecū hæc ipſa intellecturus ſis.

Audiſti quid peccatũ originale definiant, nempe, naturæ corruptionem, & prauitatem hæreditariam, quæ contracta in Adã, ab ipſo, propagatione in nos omnes tranſierit. Corruptionem autem, & prauitatẽ eiuſmodi, quæ ipſa deo odibilis, nos quoq; in eius odio conſtituat, ac reos iræ, damnationiſq; faciat. Et uitiatis, peruerſiſq; naturæ noſtræ partibus omnibus, omnis iniquitatis fructus neceſſario, atque inceſſanter parturiat, ita, ut nihil ſit natura noſtra, quã natiuitate accepimus, q̃ peccati quoddam ſeminarium; ſit tota, & uniuerſa, caro, cuius affectus mors, & quæ cũ Deo neceſſario pugnet: a qua, quicquid alicunde prodit, neceſſario malum ſit; ſit ipſa naturaliter, & non accedente integræ naturæ, uitio, mala: & proinde immedicabiliter mala; & quam non ſanari, ſed aboleri, tolliq; oporteat per gratiam, ut cui, uelut fera quædam indomita, nec cicurabilis, neceſſario repugnet, etiam ſub ipſa gratia. In quibus, ut prætercam ea, quibus nobis tollunt omnem liberi facultatẽ arbitrij ad bonum, tantum eam concedentes in rebus ciuilibus, externis, & indifferentibus, quam ſuam ſententiã, callide tegũt, non recantant; decimo octauo ſuæ confeſſionis articulo (Nam argumentum hoc de libero arbitrio, gratia, & modo operationis eius in nobis, uniuerſiſq;, quæ ad hoc ipſum pertinent, nempe, diuina præſcientia, prædeſtinatione, reprobatiõe, prouidentia, qua mundus gubernatur, proprio libro, diligenter, & copioſe explicare decreui) quæ ad præſentem proprie controuerſiam pertinent, ea tantum hic nobis excucienda ſunt.

Vt omnem nobis ad bonũ tollant facultatẽ liberi arbitrij.

Si eſt itaq; originale peccatum, ea noſtræ naturæ prauitas, quę omnes eius partes ita peruaſerit, ut alia totius natura, quam naſcendo accepimus, non ſit, quã eiuſmodi prauitatis natura, hoc mihi uelim reſpondeant, an quid aliud naturam humanam, quam ex rationali anima, & corpore

Demõſtratur falſitas ſententiæ aduerſariorum de peccato originis,

eius

eius uſibus apto, ac diſpoſito, q̃d informat, reſultans quoddam compoſitum intelligant? Puto, quod aliud nihil inuēturi ſunt.

Non eſſe eam naturæ noſtræ corruptionē et prauitatē, quā peccatū originale faciunt.

Huius itaq; naturæ, primę partes ſunt, rationalis anima, & corpus naturale organicum, aptū rationalis animæ, motioni, & actionibus. Corpus, actione cauſarum naturalium, cooperante illis Deo, fit ex ſemine in materno utero: quod, cum animæ rationali ſuſcipiendæ iam eſt idoneum, ea, creata a Deo, eidem infunditur. Prauitas illa, quam affirmant, naturæ, ſi qua eſt, ex prauitate, & corruptione partium eiuſdem, neceſſario pendet. Nam ſi integro, perfecto, omnibuſq; numeris cōſumato corpori, creata a Deo pura, & ab omni prauitate, corruptioneq; aliena infunditur rationalis anima, nō poteſt praua, corruptaq; ex his reſultās natura intelligi: ſed quales partes ſunt, talem, & naturam ex eis prodire neceſſe eſt: niſi in ipſa earum compoſitione, peccatum intelligas. Quomodo, ex bono frumento, malus panis poteſt confici. Sed, ut hoc, eſt artificis, aut piſtoris, ita illud, foret creatoris peccatum, qui animam infundens corpori, illius compoſitionis unicus, ſoluſq; author eſt.

Hāc rationem diligēter pondera.

Corpus, quale eſt, ex ipſis, quibus componitur principijs, & compoſitionis ratione, ac temperatura, tale eſt; hoc eſt, corruptibile, mortale, & ut feratur in ea, quæ ſibi ſunt amica, ſuauia, & ſalutaria, etiamſi aduerſentur iuſtitiæ, cuius, per ſe, capax non eſt. Et qualecumq; eſt, nulla in eo, aut prauitas, aut corruptio imaginari poteſt Deo odibilis, ac diſplicens, priuſquam illi infundatur anima. Deo enim nihil diſplicet, quam peccatum, & iniquitas, cuius, corpus ſine rationali anima, capax non eſt.

Anima creatur a ſolo Deo, & prius creatur, quam infundatur corpori: prius dico, natura, ſi non tempore. Prius enim, ut ſit anima, quam ut corpus informet, neceſſe eſt.

Quemadmodũ, prius ſol eſt, ꝙ luceat, aut ꝙ ſit lumẽ, quod ab illo producitur, cauſa nempe, ſuo prior effectu. In hoc priori conſiderata anima, talis eſt, qualis a Deo creata eſt, nec quicquam habet, quod a Deo non habeat. Pura proinde, munda, & omnis corruptionis, omnis prauitatis expers ſit, oportet.

Natura ergo, quæ ex horum duorum coniunctione, ac compoſitione reſultat, non poteſt eſſe tam naturaliter praua, ac peruerſa, ꝙ aduerſarij eam faciunt. Vnde enim hanc prauitatem contraheret? Non ex ſuæ compoſitionis partibus, quæ anteꝗ componerentur, nullam eiuſmodi prauitatem habebant, immo, utraꝗ talis erat, qualis a Deo creata erat. Non ex ipſa compoſitionis ratione, cuius ſolus Deus temperator, & author eſt, qui mali author non eſt, Vnde igitur?

Cauilli aduerſariorũ remotio.

Si peccato corruptam naturam ſeminare dicant, & ſemen illud, naturæ uitium, corruptionemꝗ referre, & ſimilem, hoc eſt, corruptam naturam producere, ut leproſos, & morbidos, fere generare eiſdem uidemus ſubiectos uitijs. Vere quidem, aut certe probabiliter iſta dicerentur, ſi natura ſeminans, in naturalibus ſuis ſecundum corpus, unde ſemen deſcinditur, corrupta eſſet, ut eam corruptionem, etiam ſemen ipſum referat, & quod generatur ex illo ſemine, nempe, corpus organicum, ſuſceptibile animæ, atꝗ eius aptum motionibus, & actionibus. Sed corruptio eiuſmodi, peccatum non eſt, nec in ipſo ſemine, nec in eo, quod inde progeneratum eſt, corpore, qualecumꝗ demum illud uitij finxeris, non magis, ꝙ alius quiuis morbus, lepra, epilepſia, cœcitas, & quæ ſunt huius generis. Ipſa enim rerũ natura non patitur, non admittit ratio, ut peccatũ, hoc eſt, iniquitas, diuinæ legis tranſgreſſio, atꝗ inobedientia, (quę ſola eſt propria, ueraꝗ peccati ratio, quemadmodum ſupra

ſupra demonſtrauimus) primo ſit in corpore. & non in anima, quæ ſua inobedientia Deum offendit. At ſolum corpus a parentibus trahimus, non animam, quæ munda creatur a Deo, & infunditur corpori. Vnde ergo, & quo pacto illa, tam dãnabilẽ, tam Deo odibilem corruptionẽ & prauitatem a parentibus contrahit? Si autem in anima, illa corruptio, illa prauitas Deo odibilis, nõ eſt, ſed tãtum manet in corpore, nõ damnabitur ergo hinc decedentis, abſq; baptiſmate anima. Si eſt, unde, ubi, & quo pacto ipſam contrahit?

Dicis, in carne peccati, & a carne peccati. Quæ eſt illa tam pernitioſa, tam efficax, tam contagioſa corporis, aut carnis peſtis, quæ animam tam repente inficit? Vis illa concupiſcendi, inſperſa, innataq; corpori, qua naturaliter appetit quæ ſibi amica, & delectabilia ſunt, & fugit a ſibi aduerſantibus, nociuis, ac triſtibus? Vnde hoc probas? Cum ſit illa, Dei, & naturæ opificium, conſurgens ex ipſa naturali craſi, & temperatura corporis, & ſecundum eius diuerſitatem, etiam in diuerſis euarians. Quæ, & in cæteris quoq; animantium cernitur. Et hæc, ut ſuo conſortio, tam repente inficere, corrumpere, & peruerſam damnabilemq; reddere poteſt immortalem animam?

Non poſſe carnem, aut quicquid in ea eſt, corrũpere naturam rationalis animæ.

Hoc certum eſt, & per ſe euidens, quod materiale, et corporale eſt, per ſe agere non poſſe, in immaterialem, indiuiſibilem, immortalemq; ſubſtantiam. Cum corporalia hæc non agant, niſi per contactum, aut ſaltem per medium, per quod contingunt id in quod agunt: qualis habitudo corporei ad incorporale, indiuiſibile, inextenſumq; eſſe non poteſt. Non poteſt ergo corpus uitioſum, etiam quicquid illud uitij finxeris, aliquid agere in rationalem animã, quæ ipſi infunditur: eius bonam, quam a deo accepit, naturam aliam facere, corrumpere, deprauare, atq; illa ipſa eius cor-

ruptione Deo odibilem reddere. Minime uero omnium, illo ipſo momēto, ac inſtanti, quo ſibi infunditur: cum etiā hoc repugnet omni uirtuti corporeæ, ſubito, atque iuſtantaneæ agere.

Non eſt, quod hic quiſquam dicat, nos hic patrocinari Pelagio & Cæleſtio, qui his rationibus permoti, negabant in paruulis peccatū originis naſcendo contrahi, Nos enim hoc non negamus, ſed affirmamus, & certo credimus, ſecundum definitionem eccleſiaſticam, Tametſi, quid ſit, cum certo definitum non ſit, poſt alios diligenter inquirentes, quāuis forte etiam inuenerimus, non libenter tamen noſtrā ſententiam proferimus: ſed mallemus, quid non ſit, demonſtraſſe: atq; alijs, quid ſit, diligentius inueſtigādi anſam præbuiſſe, contenti ſubſiſtere. Tamen etiam poſt, ne quis calū̄nietur nullum nos credere, quid ipſum eſſe intelligamus, noſtram indicabimus ſententiam, non ut certam, ſed quæ, una mihi occurrit probabilis. Qua tamē certiorem, & probabiliorem ſi quis protulerit, utraq; manu amplexaturus ſum. Vt autem nunc inductę per nos rationes, nihil patrocinentur impietati Pelagij, & Cœleſtij, etiam tunc reddemus illuſtrius. Hoc certe nō eſſe, quale aduerſarij fingunt, peccatum originis, mihi euidenter demonſtrare uidentur, niſi reſponderint, quarum uim ut ſtrictim repetam.

Epilogus rationis prædictæ.

Recta, pura, & incorrupta eſt, animæ cuiuslibet natura, ut a Deo creata eſt, anteq; infundatur corpori: ante dico, illo ordine naturæ, ſi non temporis: nec quicquam in ſe habet, quod Dei opificium non ſit. Eadem manet eius natura infuſa corpori. Cum nec corpus, nec quicquam in uniuerſa rerum natura exiſtens, uirtutem habeat, aut habere poſſit, corrumpendi illam, quam a conditore accepit naturam immortalis animæ, & faciendi in ea naturam nouā, prauam, & aliam, q; a Deo acceperit: falſum ergo ſit oportet,

tet. ex carnis noſtrę culpa, noſtram perditionem, atq; illa in Deo odibilem corruptionem, prauitatemq; animæ noſtræ eſſe. Falſo autem falſius, illius originalis peccati prauitatē, omnes naturæ noſtræ partes ita peruaſiſſe; ut alia earundem natura, quam eiuſmodi prauitatis natura non ſit: ut uniuerſa, ſit quoddam peccati ſemen, fructus illos ſuos mortis inceſſanter parturiens, omnibus flagitijs, & criminibus fœcunda, ac ſcatens: nihil aliud quam repugnare Deo, & legi eius potens. Inſana hæc ſunt, & in Deum blaſphema, uanorum hominum ſomnia, in quibus, nec illi ipſi quid uelint, aut intelligant, intelligunt. Qualiſcunq; eſt natura rationalis animæ recens nati paruuli, ea unum Deū authorem habet, nec quiſquam præter illum ipſum, poteſtatem habet, ut eandem corrumpat, deſtruat, aut aliam faciat, Nihil in illa eſt, quod a Deo non eſt, in quem intolleranda blaſphemia eſt, quod ea ipſa natura nihil poſſit, quā ſuum creatorem odio perſequi.

Vt aduerſarij ad ſua ipſorū principia parū attenti ſint ſed ſecum multis modis pugnent.

Quod ſi aduerſarij, ad ſua ipſorum principia, unde ſuā iſtam deducunt ſententiam, uel pauliſper reſpicerent, atq; inde attenti eſſent ad conſequentiam, eius ipſius ſuæ ſententiæ falſitatem, abſurditatem, & multimodam pugnantiam nobiſcum clariſſime intelligerent.

Confitemur, & nos, Adam fuiſſe creatum ad Dei ſimilitudinem, & imaginem: at rationem huius ſimilitudinis, ac imaginis, magnam partem orthodoxorum patrum, in ipſa rationalis animæ eſſentia, atq; uiribus eſſentialibus, mente, ratione, ac libero uoluntatis arbitrio, intellexiſſe uideo: non uero, in illis dotibus gratuitis, uirtutibus, atq; ornamentis, eidem ſuperadditis: ſapientiæ, inquam, iuſtitiæ, uirtutis, integritatis, ueritatiſq;, quibus eius ſpiritus Deo

conformis

conformis factus fuerit. Nec eſt uero admodum ſimile, ſi tantis ille, tamq; multis inſtructus, ornatus, armatuſq; fuiſſet uirtutibus, ut tam leuiculæ tentationi, ita ſuccubuiſſet facile. In hoc autem omnes conſentiunt, accepiſſe illum, donum originalis, quam dicimus, iuſtitiæ, cuius uim, et energiam omnes conſentienter intelligunt, quod mortalē ex ſui conditione naturam præſeruaſſet a morte, & ſuſtuliſſet hanc, quæ in nobis eſt, pugnam carnis aduerſus ſpiritū, imperfectionem naturæ abſorbente efficatia, ea in re, gratiæ.

Demōſtratur Adæ naturā, nec mutatam, nec aliā factā, nec corruptā, ex ſuo peccato.

Sed acceperit ille, ea quę uolunt, dona ornamentaq; omnia, acceperit omnes quaſcumq; nominare, aut cogitare poſſent, uirtutes, & ea etiam lege acceperit, ut ipſo perſiſtēte in accepta illa integritate, eadem uniuerſa accepiſſemus & nos eius filij, (quæ tamen nunquam demonſtrare poſſent, niſi ultro darentur illis) Quid deniq;? Ille peccauit, & diuini mandati, præuaricatione, inobedientia, & ſua erga Deum conditorē ingratitudine, illis dotibus omnibus, ſe indignum reddidit, atq; etiam priuatus eſt. Recte hactenus.

Sed hoc nunc nobiſcum perpendant, an illius quas dicunt dotes, illas uirtutes, illa ornamenta, ad ipſam animæ eius eſſentiam, ac naturam pertinuiſſe intelligant, ut quā, iſta omnia, naturali ſua illa, eſſentialiq;, quā acceperat, perfectione, aut eminenter, aut formaliter, in ſe continuiſſe exiſtiment (nihil enim hoc refert ad propoſitum) an uero dotes (quod uocabula quibus utuntur, ſonant) animæ naturę ſuperadditas, nec neceſſario contentas, in ipſa eius eſſentia, nec ab eadem neceſſario profluentes, & quę poſſent ſalua, integra, manenteq; eius ſubſtantia, ab eadem aufferri.

Si primo modo intelligant, non potuit ille perdidiſſe illas dotes, uirtutes, ornamenta, niſi perdidiſſet, & illam ſuā

tam no

tam nobilem animam. Cum non poſſit auferri, a ſubſtantia, uis illa, quæ in eadem eſſentialiter, atcꝫ eminenter continetur, aut ab eadem naturaliter profluit, quemadmodum nō poteſt eſſe ſol, niſi, & uirtutem habeat illuſtratoriā dyaphoni, nec poteſt eſſe ignis, niſi ſit calidus, et uim excalfaciendi habeat. Quis ergo illi abſtulit, nobiliſſimæ illius animę ſubſtantiam? Non ipſe ſibi, necꝫ enim uoluit, necꝫ potuit. Deinde, corrupta ne eſt, cum eam perdidit, illa nobiliſſimæ animæ natura? at corrumpi non poteſt incorruptibilis animæ ſubſtantia. Seruata ergo quodam loco a deo? Quid igitur de ea actum eſt? an damnata? an ſaluata? an ipſi poſt reddita? Et interim ille Adam quid? Permanſit ne miſer ſine anima, poſtcꝫ perdidit illam ſuam nobiliſſimam, & perfectiſſimam animam? an in locū eius intruſa illi eſt, alia corrupta, & peruerſa? a quo? numquid a ſe? An forte, rationalis illa eius anima, in partes erat partibilis, aut duas habebat, bonam unam, & ſuis illis dotibus, Dei exprimentem formam, & imaginem, prauam uero, & cū illa naturaliter pugnanté alteram (quale Manicheorum commentū eſt), quarū illam perdiderit, hanc uero retinuerit? Et quem uniuerſæ iſtius ficticiæ, aut imaginariæ metamorphoſis, alium nobis, quam Deū authorem dabūt? Ipſum ergo, non Adam, cauſam ueram illius tantæ tam horrendæ, quam prędicāt, corruptionis naturæ noſtræ facient, tametſi hic, eius fuiſſet cauſa demeritoria.

Forte, non ipſam animæ ſuæ eſſentiam, aut naturam, ſed integritatem, ſanitatemcꝫ eius, peccato ſuo perdidiſſe, Adam dicent, ſed nihil dicent, nec effugere poterunt, quin ſimpliciter dicant eorum, quę propoſuimus alterum.

Eſt integritas quędam, rei, eſſentialis, quando nihil deeſt rei, quod ad eius eſſentiam, & ſubſtantiam pertinet. Eſt & aduentitia quędam uirtus, & perfectio, quæ, ut integrę

F eſſentiæ,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EM. II

eſſentię,naturæ,aut ſubſtantię ſuper additur,ita poteſt etiam auferri ab eadem in ſe manente integra.

Si ergo de integritate illa eſſentiali, ſubſtãtialiq; animę rationalis Adę loquantur,& intelligant,non potuit ille eã perdere,ſalua animæ ſuæ ſubſtantia. Si de ſecunda dicant, iam fatentur illam animę eius integritatẽ,quã ſuo peccato perdidit Adam,nõ pertinuiſſe ad ipſam animæ eius eſſentiam,ſed illi, ut fuit aduenticia,& ſuperaddita,ita ablatam fuiſſe, ſalua naturali, eſſentialiq; integritate eiuſdem. Nec tamen ablatam illam fuiſſe ab Adam, ſed a deo ipſo, a quo dante, & conſeruante ea ipſa dependebat, quamuis ita demerenti Adam. Nec per illã ablationẽ rectitudinis, integritatiſq; illius ſuperadditæ a deo, & naturæ eius aduentitiæ, corrumpi,deprauariq; potuit ipſa animæ eius in ſe natura, ſubſtantia,aut eſſentia,cui,ut integræ ſuperaduenit,ita integrę ablata eſt. Et ſi ablationem ſuperadditę perfectionis, & iuſtitiæ eiuſmodi, neceſſario cõſequuta fuiſſet corruptio illa,quam hij dicunt,plus quam feralis, & prauitas naturæ animæ ipſius Adæ, Deum utiq;,qui illa ſua dona gratuita abſtulit,eius cauſam,& authorẽ faciunt,& proinde,cauſam,authoremq; peccati, quando eã ipſam peccatũ faciũt.

Excutitur cõmentũ aduerſariorũ,de peſtibus illis teterrimis, quas ceſſiſſe imaginantur in locũ donorum,quibus peccãs Adam ſpoliatus eſt.

Forte, non ſola ablatione illorum donorum ſupernaturalium,illarum uirtutum,quibus creatoris largiſſima,ac indulgentiſſima erga hominem beneficentia animam eius ornauerat, eius naturam ita corruptam, deprauatamq; dicent, ſed quia ceſſerunt in locum earundem,teterrimæ peſtes,ignorantia,impotentia,impuritas,uanitas, iniuſtitia. Atq; his miſerijs immerſum,ſuam quoq; eiſdem implicuiſſe progeniem. Huiuſmodi enim uerba pluſquam tragica perſonant,& ſuis inſtillant,quibus illud ἀυτος ἔφα ſatis eſt. Quæ,ſi ipſi huius ſententiæ authores intelligant,meã ego tarditatem agnoſcam ingenue.

Hoc

Hoc mihi hic uelim explicent, an per illas teterrimas peſtes, ignorantiã, impotentiam, impuritatem, uanitatem, iniuſtitiam, priuationes tantum, earum uirtutum, donorumq; ſupernaturalium, quæ auferente ea Deo perdidit Adam ob ſuam erga ipſum inobedientiam, & ingratitudinem, intelligãt: an uero res aliquas poſitiuas, aliquos habitus prauos, aliqua uitia, quæ animam eius, ignorantia, impotentia, impuritate, uanitate, atq; iniuſtitia repleuerint.

Si primo modo, hoc eſt, ſolas priuationes donorum, & ornamentorum, quę ille perdidit, peſtes illas teterrimas, intelligãt, iam & ego quid dicant, intelligo, ſed eos nihil, quã iactare terrifica nomina intelligo. Nam uniuerſę hæc teterrimæ peſtes, nihil eſſent, q̃ illorum donorũ gratuitorum, et ſupernaturalium carentia, ipſius uero in ſe naturę ſolitudo, ac nuditas. Nec alium hæc tam tetræ, ac ferales peſtes, quam Deum, habuiſſent authorem, qui ſua illa dona, ab ingrato abſtulit, & nudam illi naturam reliquit. Cum priuatio, non aliam cauſam habeat, q̃ eam, quæ aufert habitum, cuius eſt priuatio: ut cœcitatis cauſa eſt, qui uiſum aufert, ſurditatis, qui auditum.

Si uero ſecũdo modo has peſtes intelligant, hoc eſt, res quaſdã poſitiuas, aliquos habitus prauos, aliqua uitia, quæ uelut impetu facto, animam Adæ inuaſerint, obſederint, et ignorantia, impotentia, impuritate, uanitate, atq; iniuſtitia repleuerint. Vnde obſecro, & quo immittẽte, hęc tã multa tã prodigioſa uitiorũ portenta irruperũt, in miſeri illius animã? Nã ſi res quędã poſitiuę hęc fuerint, & ſint, ſi uitioſi quidã, prauiq; habitus deprauãtes animã, quales ſunt morbi in corpore, febres, pleuritis, peripneumonia, opthalmia, ſpaſmus, delyriũ, coma, elephas, cancer, polypus, & id genus innumeri, neceſſe eſt, ut cauſam poſitiuam habuerint.

Non Deum, quem cauſam uitiorum, & peſtium harum, teterrimarum inſcribere, blaſphemum eſt: non diabolum, qui in animam Adæ immediate agere non potuit, & in ea hæc uitiorum portenta producere: non Adam, præſertim, uno illo momēto, quādo mādati pręuaricatione, ſe peccato ſubdidit: nec enim fingere eſt, q d faciēs, eo momēto, ſeu uolens, ſeu nolens, in ſe produxerit, hos uitioſos habitus: neq; etiam poſtea, quia continuo poſt peccatum, admonente, corripienteq; ipſum domino, ad cor reuerſus peccaſſe ſe doluit, & egit ſalutarem pœnitentiam.

Etiam ut Adæ natura peccato eius ſubſtantialiter corrupta fuiſſet, nihil cā corruptionem pertinere potuiſſe, ad eius filios.

Sit tamen quod uolunt, uniuerſa uitiorum, quęcumq; uoluerint monſtra agmine facto, irruerint in animam, iam peccatricem Adæ, attamen nihil potuerunt illa ledere, corrumpere, aut uulnerare eius animæ ſubſtantiam, cuius corrumpendi, uulnerandi, & in ſe ledendi, nulla uis creata poteſtatē habet: multo minus, uitioſa aliqua qualitas, uitioſus habitus, quamuis hic, illi, explicandis proprijs actionibus impedimento foret.

Sed leſerint illa animā eius, corruperint, deprauerint, utcūq; uolueris, quomodo hac corruptione ille potuit implicare ſuam progeniem? per quos canales illam tam tetrā prauitatem, inſtillare in animam recens nati ſui filij? Cuius ſi corpus reſpicias, priuſq; illi infunderetur anima, tale erat, quale a Deo, & natura formatum erat, in materno utero: nec quicq; in ſe habebat, quod Dei non eſſet opificiū: ſi animā, ea pura, & munda a ſolo Deo creata eſt, priuſq; infunderetur ſuo corpori: qui, & ipſe ſolus, eandem infudit corpori, & cum eo, admirabili quodā uinculo, artificio, & tēperatura cōpoſuit. Quis hoc, in ipſis (ut ſic dicam) Dei plaſtis, & fictoris manibus, in ipſo compoſitionis ſuæ momento, ita corrupit, ita deprauauit diuinæ plaſmationis opificium, ut ſuo ipſum authori exoſum redderet?

Confite-

Cōfitemur nihilominus cū orthodoxis omnibus, propagatione, in omnes, tranſiſſe, & tranſire peccatū originis. Quia propagatio, obnoxios, & reos mortis, a gratia, & regno Dei extorres, omnes lege communi, ex illa origine natos facit (quod quo pacto fiat, & iuſtiſſime fiat, poſt explicabimus) Originis peccatum, facit nos iræ filios: & non naturæ ipſius noſtræ ſeu uitiū, ſeu corruptio, nos odio Dei ſubijcit: quæ in recens editis nihil in ſe habet, quod Deum authorem non habet, quemadmodum ſupra demonſtrauimus. Carent quidem illi donis, illis gratuitis, quibus exornatus erat Adam, quæ, & nos in eodem, ut noſtri generis origine, accepimus, & eiuſdem originis peccato perdidimus: cuius, etiam hoc, eſt in nobis contagium. Non tamen hæc ipſa illorum donorum carentia, nos odio Dei ſubijcit, ut ſupra euidens factum eſt. Manet proinde, etiam poſtquam per baptiſmum eidem recōciliati incorporatiq; ſumus, & reſtituti hereditati, regnoq; cęleſti. Non eſt ergo illa donorum eorum carentia, quæ, nec amicis, & filijs ſectis reſtituit, quę nos ante baptiſmum, eius iræ, damnationiq; obnoxios fecerat. Cætera autem uniuerſa, quæcumq; in natura recens nati paruuli conſpiciuntur, ſeu ſecundū corpus ipſum, ſeu ſecundum animam expenderis, quæ hij, corruptionem hanc tam tetram naturę a Deo conditę uociferantur, ipſius naturæ qualis a deo in unoquoq; noſtrū creata eſt, naturales conditiones ſunt.

Eſſe naturales conditiones naturæ qualis à Deo cōdita eſt quas aduerſarij corruptiones naturæ imaginantur.

Quod quo clarius intelligas. Repete exemplum quod prius induximus, & cogita Deum, ut poſſet, præter communem generationis legem, abſq; uirili ſemine creare hominem, in alicuius mulieris utero, qui in eodem, deinceps incrementum ſuſcipiat (ut ſolent alij) ex eiuſdem ſanguine, & ad iuſtum modum iam aucto perfectoq; corpore, partu edatur. Hunc editum, uniuerſum, tam corpore, quam ani-

mo, ſoli ſuæ naturæ permittat, abſque ullis eidem donis ſuſuperadditis, ulla etiam ſupernaturalis beatitudinis promiſſione, aut ad illã ordinatione, ſed ad eũ tantũ finem, quem per ſe, ſuamq; naturam, cum generali illo Dei adiutorio poſſet aſſequi. Hijs adde. Eundem illum, nullo unquam proprio, aut actuali peccato ſe cõtaminaſſe, ſed uel, ante acceptũ rationis uſum, hinc ſublatum in illo ſtatu ſuæ innocentiæ, uel accepto uſu rationis, & liberi arbitrij, ſecũdum naturæ legem, cordi ſuo inſcriptã, uiuere. Hunc cõfer ad eum, qui lege communi propagationis ab Adam naſcitur. Imprimis. Hoc certum eſt, naturarum in hijs nullã inueniri poſſe differentiam, imo, quicquid aduerſarij, naturæ, tam peſtilentem, & noxiam corruptionem uociferantur innatis ab Adam, & peccato originali obnoxijs, idem uniuerſum inuenietur in hoc altero, naturæ innocentis, ut a Deo pura incontaminataq; condita eſt, conditio: fames, inquam, ſitis, dormiendi, uigilandiq; uiciſſitudo, & neceſſitas, carnis ad ſibi commoda, amica, & ſuauia pronitas, nec libera, aut omnimoda eius ad rationem ſubiectio, in ipſa eius natiuitate, & annis infantilibus, rerum omnium profunda ignorantia, & ligatum rationis iudicium, quam diu iuuenili illo humore mergitur cerebrum, cuius moderatam craſim, temperiemq;, ex ipſa noſtræ compoſitionis admirabili tẽperatura, atq; artificio, quo ſua in nobis opera explicet, neceſſario requirit ratio. Eiuſdem quoq; rationis, ex eadem compoſitionis lege, cum ſenſibus colligantia: atq; inde ſumpta ſuæ noticię, et ſciẽtiæ, quam aſſequuturus eſſet, initia: ad hæc, mors ipſa, reſoluto per naturalem calorem radicali humido, ubi non inferretur ui extrinſeca, aut etiam morbo, a quibus ille eiuſmodi, nihilo q̃ nos, foret tutior, aut liberior.

Collatio natiuſb reatu peccati originis paruuli, ad aliquẽ, qui in puris naturalibus a Deo creatus naſceretur.

Quod ſi eadem hæc uniuerſa, iſtiuſmodi nobiſcum forent

rent communia, ut forent indubie, certum eſt, ea ipſa, naturæ noſtræ conditiones naturales eſſe, & Deum authorem habere. Non ſunt ergo, quæ idem ipſe, odio in nobis proſequitur, qui nihil odiſſe poteſt eorum, quæ fecit omnium.

Hoc tamen uerum eſt, quod nos careamus ſupernaturalibus illis, & gratuitis donis, quibus Deus Adam ueſtiuerat, & quibus naturam eius exornauerat, culpa ac demerito peccati eiuſdem, uelut noſtrę originis. Si enim non peccaſſet ille, uniuerſa eadem accepiſſemus, & nos: & eorum beneficio liberi eſſemus, ab hijs noſtræ naturæ miſerijs. Proinde, inter illum quem cogitatione non impoſſibili finximus, & nos, hoc intereſſet, quod ille, nullius culpa, ſed ſolius naturæ conditione, eiſdem per omnia nobiſcum calamitatibus foret obnoxius: nos, originis culpa, propriæ naturæ conditionibus, & miſerijs derelicti ſumus, ut qui in origine, multa, & præclariſſima ſupra naturam dona aſſequuti fuimus, quæ uniuerſa, in eodem, & eiuſdem peccato perdidimus.

Cõcluſio de aduerſariorum ſententia.

Blaſphema eſt ergo aduerſariorum in Deum creatorem uox iſta. Quod tota recens natorum natura, quoddã peccati ſemen ſit, & ideo non odioſam, & abominabilem Deo eſſe non poſſe. Nam tota eorum natura, quanta, quãta eſt, a Deo eſt, qui ſolus, ſecundum corpus, & animam, eius author eſt.

Argumentorũ eorundem ſolutio.

Deum non ſolius Adæ, ſed etiam noſtræ, quam naſcendo accepimus naturæ, authorem eſſe.

Nec quicquam faciunt, dum opus Dei, in integra illa adhuc, incorruptaq; Adæ, non in noſtra natura contemplari nos iubent. Nam ego uiciſſim utrobiq; illos DEI opiſicium contemplari iubebo. In Adam, præter naturam, etiam originalem dictam iuſtitiam, & cætera pleraq; ſupernaturalia, & eximia Dei dona nobiſcũ inuenient.

nient. In nobis uero primum natis, naturam ſolam, illorum autem donorum, carentiam inuenient. Naturæ, ſolus Deus author eſt. Carentia uero eorum ſuperadditorum illi donorum, in nobis authorem non habet, cauſam demeritoriam habet, ipſum nempe peccatum originis.

Proinde præter rationem mihi dicere uidentur, quod dicunt. Non Deo, ſed naturę noſtræ prauitati, ruinam noſtram imputari oportere. Herere quidem exitiale uulnus in natura, ſed plurimum referre, acceſſerit, ne aliunde, an inſederit ab origine. At cum conſtet per peccatum inflictum, non eſſe, cur, niſi de nobis ipſis quæramur.

Naturam ſiquidem eandem, & ante, & poſt peccatum manſiſſe in origine, a nobis demonſtratum eſt, & mirabor ſane, ſi quam in eadem, ex peccato mutationem factã proferre poterunt, ſeu corpus, ſeu animam, ſeu totum ex illis contemplemur hominem. Vtcumq; tamen de origine fuerit, hoc plane certum eſt, qualiſcumq; eſt, quæ nobis naſcẽtibus natura obtigit, uniuerſam a Deo conditore eſſe: cui merito imputandum foret, ſi qua eius eſſet naturalis prauitas. Ad animæ creationem, nec parentes quicquam conferunt. Corpori formando, ſemen ſubijciunt: quod tamen eiuſdem rationis eſt, ſeu a ſanctis, iuſtiſq;, atq; ab illo originis peccato ſolutis, ſeu a peccatoribus decidatur: cum naturæ, non uero, ſeu peccati, ſeu iuſtitiæ, hoc opus ſit: & ex natura quam a conditore, quamuis per ſecundas cauſas accepit, ſuo defungatur offitio. Proinde, ſi qua naturę, in qua naſcimur, culpa eſt, ſi quid eſt in ea, quod Deo odioſum eſt, & abominabile, hoc Dei conditoris eſt, non Adæ, qui nõ eſt, ſed ſecundum animam, cum Deo regnat: non parentum noſtrorum, quorum pleriq; generationi operã dantes, culpa caruerunt, & quamuis alioqui peccatores, naturam filiorum non potuerunt coram Deo culpabilem facere, ſed ani

ma

ma, quæ peccauerit, ſi Deo credimus, ipſa eſt, quæ morie-tur. Hæc autem anima, quæ creata a Deo, infunditur ſibi præparato ab eodem Deo, & natura, corpori, nõ peccauit: nec antequam infunderetur corpori, nec in ipſa infuſione. Neq; hoc, eidem ad peccatũ imputari poteſt, quod nõ per-fectiori, nobiliori, immortali, ſed eiuſmodi tali, hoc eſt, mor tali, & quod ad ſibi amica, & commoda, etiam cõtra ratio-nis iudicium propenſum eſt, corpori infunditur. Non pec-cauit etiam illud ipſum corpus, quod eiuſmodi, non uero nobilius, & perfectius, in materno utero, ex parentum ſe-mine, maternoq; ſanguine cõcretum, formatum, alitumq; ſit: ſed peccauit Adam, humani generis origo, cuius cul-pa, & peccato, etiã hic, naſcitur iræ filius, a Dei gratia, reg-noq; extorris, damnationiq; obnoxius. Quod dicentes, & recte intelligentes, nec a catholica quicq; fide, dicemus alie num, nec in Deum, naturæ, ęque huius noſtræ, ut illius in Adam, conditorem, iniurŋ, blaſphemiq; erimus.

Quod aiunt, permultũ referre, uulnus illud, quod fin-gunt, exitiale naturæ, acceſſerit ne aliunde, an ab origine inſederit, non intelligo, qua ratione, aut probabilitate dici-tur. Quid enim refert obſecro, undecumq; acceſſerit, ſi ſine propria naſcentis culpa acceſſerit? Quam autẽ ille culpam propriam habere poteſt, qui culpari nondum poteſt? qui nullius adhuc legis tranſgreſſor argui poteſt, ut qui ſub le-ge nondum eſt? *Quam parum conſona afferãt aduerſarij.*

Nec illud demum, qua ratione dicatur intelligo. Con-ſtare inflictum uulnus illud lethale per peccatum: non eſſe proinde, cur queramur, niſi de nobis ipſis. Quid igitur? nũ-quid per peccatum noſtrum ipſorum, an uero per peccatũ originis noſtræ, nempe, Adam, hoc uulnus inflictum eſt? Originis pecatum dicturos exiſtimo: cum nec fingi poſſit quicquam ante cõmiſiſſe paruulos, cuius demerito, lethale

illud,quod dicunt, uulnus infligi potuerit. Quid eſt ergo, quod hoc uulnus lethale,noſtræ naturę inflictum,nulli,quam nobis,imputari poſſit, ac debeat:nec de ullo, quã de nobis ipſis ualeamus conqueri? Numquid ipſi, nobis, hoc eſt, unuſquilibet noſtrũ ſibi, lethalis huius uulneris cauſa eſt?

Impertinẽs Ecclesiaſtæ, quã inducunt ſententia.

Nec huc pertinet, quod ex Eccleſiaſte afferunt. Hoc ſcio, quod Deus ab initio fecerit hominem rectum, ſed ipſe infinitis ſe immiſcuit quæſtionibus. De protoplaſte etenim, et origine noſtra, Adam, hoc uerum eſt, quod, cum diuina benignitate, naturæ fœlicitatem, cœleſtium donorũ diuitijs ornatam, aſſequutus teneret, ſua ipſe dementia, in uanitatem prolapſus ſit: ut ipſi, merito ſuum ipſius exitiũ attribuendum fuerit. Sed ad unum quemlibet noſtrũ, præſertim, recens natorũ, & quamdiu boni, maliq; ignoramus differentiam, quo pacto illud pertinet? nũquid ipſi ſe paruuli immiſcuerunt infinitis quæſtionibus, cum ante recti a Deo eſſent conditi?

Quæ ſpiritui S. affingant aduerſarij.

Nec eſt uerum, quod dicunt a ſpiritu ſ. per ſcripturam pronunciari. Omne figmentum humani cordis, hoc eſt, quicquid ingenium noſtrum concipit, inſtituit, agitat, molitur, tantumodo, ſemper, & neceſſario malum eſſe. In Geneſi quidem, de corruptiſſimis eius ſæculi moribus, qui in omnes inundauerãt, ob quos, uno Noë cum ſuis excepto, aquis diluuij deleuit deus uniuerſum genus hominum, ita legitur. Videns autem Deus, quod multa malitia hominũ eſſet in terra, & cuncta cogitatio cordis ad malum intenta eſſet omni tempore, pœnituit eum, quod hominem feciſſet in terra. Sed hæc, de illius ſæculi hominibus, quos uniuerſos, ob innumerabilium, & nefandiſſimorum ſcelerum portenta (quæ apud Beroſum, magis ſpeciatim explicata inuenies) aquis diluuij inuoluit, & abſtulit.

Quod uero refert Moiſes, dixiſſe dominum, de proni-

tate

tatehumani ſenſus ad malum, ab ipſis incunabilis, generatim quidem ad omnes pertinet: ſed nō hoc habet, quod aſſirmant aduerſarij. Non hoc dicit, quod illi affingunt, ſpiritus s. Omne figmentum humani cordis, & quicquid ingenium noſtrum concipit, agitat, inſtituit, molitur, tantummodo, ſemper, & neceſſario malum eſſe: immo, hoc in ſpiritum ſanctum, & in conditorem hominis, Deum, impium blaſphemumq; figmentum eſt. Sed hoc eſt quod dicit, Nequaq; ultra maledicam terræ propter hominem. Senſus enim, & cogitatio humani cordis, ad malum prona ſunt, ab adoleſcentia ſua, Pronitatem inquam, ſenſus, & cogitationis humani cordis ab ineunte ipſa ætate, ad malū affirmat: eamq; affert, uelut rationem mitigandę pœnę, quaſi ea, clementia potius, & miſericordiam, q; iudicij ſeueritatē, & diſtrictionem mereatur, aut nos in ira, aut odio Dei conſtituat. Nec dicit, illam pronitatem ſenſus, & cogitationis humani cordis ad malū, eſſe malum, & peccatum, ut quę, uelut antigoniſtes quidā, ſui exercēdi cauſa, homini data eſt.

Quod inſuper addunt, uniuerſum hominem his Chriſti uerbis depingi. Quod natum eſt ex carne, caro eſt. Affectus ſiquidē carnis, eſſe mortē, & inimicari deo, neq; enim poſſe eius legi ſubdi. Vniuerſum ergo hominē, ita eſſe natura peruerſum, ut toto ſuo affectu ſimultatē aduerſus Deū exerceat, ut cum legis diuinæ iuſtitia conſentire nequeat, nec parere queat, niſi mortis materiam, Hæc inquam, male connectunt, male colligūt, & ſcripturas, non ad ſuam illam amuſſim, et orthodoxæ ueritatis regulam, ſed ad ſuum ipſorum ſenſum intelligunt.

Vt impertinēter inducant hāc Chriſti ſententiā. Quod natum eſt ex carne, caro eſt

Carnis uocabulo, nonnunquam ſenſibilem, ac uiſibilem hominē, nullam autē corruptionem in ſcripturis intelligi, idem ille Euangeliſta teſtatur, qui inducta ab aduerſarijs Chriſti uerba refert. Verbum carnem factum, hoc eſt, ho-

Caro, ut multipliciter dica-

tur in ſcripturis. minem corporeum,& ex carne compoſitum affirmans.

Aliter,carnis uocabulo,carnales , aut animales homines ſignificantur,qui terrenis, & carnalibus adhuc ducuntur affectibus,ſicut contra,qui Deo adherent, & eius ſpiritu uiuificati gubernantur , unus cũ eo ſpiritus dicuntur,& ſunt. Ita Chriſtus. Quod natũ eſt ex carne, caro eſt. Quod natũ eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt. Carnalis natiuitas,carnales homines morti generat, in quibus ad regenerationem uſq; ſere regnant carnis deſyderia, & affectus. At regenerati ex ſpiritu,mortificatis deſyderijs carnis,aguntur iã, uiuificanturq; ſpiritu Dei, & generantur in ſpiritum uiuificantem, Sed his non dicit Chriſtus,uniuerſum hominem ita corruptum, & deprauatũ omnibus ſuis partibus , ut nihil poſſit anima,nihil ratio,nihil uolũtas,nihil ſpiritus,mens,aut cõſcientia hominis, q̃ ſimultatem cum deo exercere , nihil q̃ legis diuinæ iuſtitiæ aduerſari, & neceſſario peccare ; præſertim,cũ rationalis anima,cũ ſuis illis energijs, & uiribus, non naſcatur ex carne , ſed a Deo creata carni infundatur.

Propria,primaq; carnis acceptio. Prima autẽ,& propria carnis ratio,ad quã nunc dicte eius acceptiones ſecundum analogiam quandam, dicuntur, eſt,qua exteriorem,ſenſibilem , & corpoream noſtræ compoſitionis partem, proprie carnẽ dicimus:Quę, cum ex natura ſuæ compoſitionis, & propria temperatura, afficiatur hijs,quæ ſibi ſunt amica,ſuauia, ſalutaria,& refugiat a contrarijs,duris,laborioſis, triſtibus, nullo reſpectu habito diuinæ legis iuſtitiæ, a qua, & exiguntur hęc,& illa ſubinde uetantur, cui,uelut bruta,auſcultare,obtemperare,et ſe ſubdere non poteſt,& quaſi hoſpitij iure,ſibi,ſuiſq; affectibus, naturaliter inclinet,in ſe habitantem animã: hinc illa pugna, illud bellum inteſtinum,& irreconciliabile in homine, inter carnem, ſibi attrahentem uoluntatẽ,& ſpũm,mentẽ, aut cõſcientiã,quę eandẽ ſui officij admonẽs,inclinantẽ ſe

carnis

carnis deſyderijs arguit, & ab eiſdem, ad iuſtitiæ legem, & obſequium retrahit.

De hac illæ loquuntur apoſtolicæ ſententiæ. Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem. Inde, & leges illę, de quibus Apoſtolus, in nobis, inter ſe pugnantes, & contrarię. Video, inquit, aliam legē in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis. Legem mentis, diuinam legem, digito Dei mentibus noſtris inſcriptam. Legem uero peccati, quæ eſt in membris noſtris, illi repugnātem concupiſcentiā carnis intelligit, quæ imperat legi Dei contraria, & captiuum ſub iugo peccati hominem, qui iam dudum ultro ſe mancipauit carnis deſyderijs, ui quadam tyrannica impellit, & ſibi ſeruire cogit, quouſq;, ad Deum ſe miſer conuertens, eius gratia, & ſpiritu adiuuetur roboreturq; eius ſpiritus, & ab illis peccati uinculis, ab illa carnis, cui ſe addixit, ſeruitute excutiat animam, & ſibi aſſerat, a carne retrahat, ad eius monita, ac deſyderia ſurdam faciat.

Vnde in nobis pugna carnis, aduerſus ſpiritum.

Hæc caro, in ſe, mala non eſt, ut Valentinus cum ſuis blaſphemabat, a quibus non admodum diſſentire mihi uidentur noſtri aduerſarij, qui, & hanc, et uniuerſam hominis naturam, etiam ſecundum animam (in quo Valentinianorum impietatem uincunt, & Manichei eidem blaſphemiā copulant) nihil eſſe quam prauitatis quandam naturam, et peccati ſemen quoddam affirmant, naturaliter Deo odioſam, inimicam, & contrariam. Immo, eſt hæc caro, qualemcumq; ex matris utero naſcendo producimus, ipſius Dei, & naturæ bonę opificium. In qua nihil eſt, quod non, admirabili diuinæ ſapientiæ, atq; omnipotentiæ, ſtupendoq; artificio, ita conſtructum, ordinatumq; eſt: nihil, quod nō, conditoris ſui ſapientiam, potentiam, et beneficentiam, clariſſimis uocibus prædicet, & loquatur. Quemadmodum

Carnis noſtræ naturam, de ſe malā nō eſſe.

Valentiniani Manichei.

noſtrorũ Lactantius,& alij plerię demoſtrare conati ſunt, omnium autem clariſſime, & luculentiſſime, doctiſſimus ille Galenus, demonſtrauit libris illis uere diuinis (in quibus etiam ſeipſum ſuperauit, qui in alijs omnibus ſuperauit omnes) quos de uſu partium humani corporis inſcripſit. Quos etiam in laudem conditoris, & demonſtrationem ſapientiæ, potentiæ, & bonitatis eius ſcripſiſſe ſe prædicat, & hymnos creatoris appellat.

Preter carnis intentionẽ eſſe, quod nos ad malum attrahat.

Quod autem ad malum nos caro attrahat, præter eius intentionem eſt: neq; enim, ut diximus, uelut pars bruta quędam, capax eſt, ſeu iuſtitię, ſeu iniuſtitię: ſed, ut res quęq; alia, ui ſuæ naturæ afficitur ſibi amicis, ſuauibus, & ſalutaribus: & abhorret a cõtrarijs. Quod dũ facit, nihil illa mali facit, hoc enim facit q̃d unũ accepit a cõditore, ut faceret.

Carnem nihil peccare dũ cõcupiſcit cõtraria ſpiritui.

Sed male facit illi inhabitãs aĩa, quæ dei ſeruitute abiecta, carnis ſe deſyderijs mancipat, & relicto creatore, uili creaturæ ſibi in mancipium traditæ, ſe indigniſſime ſubdit. Vniuerſa itaq; hæc culpa, non carnis, ſed illi ſe ſubmittẽtis, & mancipantis eſt animæ. Quia tamen, ex peccato originis, quemadmodum mox aperiemus, eſt illa carnis aduerſus ſpiritum pugna, & rebellio, & quia ea, uelut inſtrumento quodam, aduerſarius noſter diabolus utitur ad ſubijciẽdum iugo peccati hominẽ, carnem peccati, & corpus mortis illam appellat Apoſtolus: quomodo, & concupiſcentiam eius, hoc eſt, uim illam concupiſcibilem eidem innatã, peccatum: quod dicit in carne ſua habitare, quemadmodũ ſupra prolixius explicauimus.

Cur caro peccati, et eius cõcupiſcẽtia peccatum dicatur ab Apoſtolo.

Preterea, ut familiare eſt Apoſtolo, ſpiritui, carnem opponere, in lege autem diſtinguat, ſpiritum uiuificantem, a litera occidente, hanc ipſam, ſecundũ analogiam quandã, carnis uocabulo ſignificari, & a Chriſto, et ab Apoſtolo inſolens non eſt. Itaq; ille, cum ex carnali uerborum ſuorum, de man-

Etiã literalem legis intelligẽtiam carnẽ uocari.

de manducando ſuo corpore,& bibendo ſanguine intelligentia,ſcandalizarentur auditorum eius pleriq;. Spiritus, inquit,eſt qui uiuificat,caro non prodeſt quicquã. Ita, & Apoſtolus,legem Moyſi, uelut hominem quendã,in duas partes diuidens,aliud in ea,carnẽ,aliud ſpiritum nominat, & illam quidẽ exteriorem eius faciem,& obſeruantiã quæ ſecundum literam geritur,ſenſum carnis appellat:quemad modum dicit de Iudæis,apud quos literalis illa adhuc obſeruantia uigebat, fruſtra inflatos ſenſu carnis ſuæ, Illam uero ſpiritalem eius intelligentiam,quæ latebat ſub exteriori ea,literaliq; facie, ſpiritum nominat: ſicut,& alibi dicit. Litera occidit,ſpiritus uiuificat. Quem in modum,eandẽ legem ſecundum carnem, nunc impoſſibilem,nunc infirmam,ad auferenda peccata affirmat: ut propterea miſſus ſit Dei filius,qui ſuæ carnis pro peccato oblata hoſtia,damnauit peccatũ in carne:hoc eſt, fugauit,& abſtulit,& peccata noſtra, ipſe in ſe ſuſcepit, ipſe tulit,ipſe portauit, quo ſic iuſtificatio legis, ſed ſpiritus uitæ, impleretur in nobis, qui ſecundum ſpiritum eam cuſtodimus,& non ſecundum carnem,qua parte,& infirma eſt,& nunc impoſſibilis. Qui eni,inquit,ſecũdũ carnẽ ſunt,quæ carnis ſunt, ſapiũt. Carnalis Iſrael,legẽ ſecũdũ carnẽ intelligit. At,qui ſunt Iudęi, ſpiritu, non litera,eandẽ quoq; ſecundũ ſpiritũ intelligũt.

Senſus carnis.

Lex ſpiritus uitæ.

Ad eandẽ,quoq; monetã haud improbabiliter pleriſq;, & inter eos Origeni,etiã hoc pertinere uidetur, quod hijs cõtinuo ſubiungit Apoſtolus. Prudẽtia enim carnis mors eſt,prudentia autẽ ſpiritus, uita, & pax:ut ſit hoc idem cũ eo quod dixit alibi, Litera occidit,ſpiritus uiuificat, Prudẽtia carnis,mors eſt, Nam qui legem ſecundum carnem intelligens obſeruat, ad Chriſtum, qui uita eſt, non uenit. Prudentia uero ſpiritus,uita,& pax:uitam namq;,& pacẽ, hoc eſt,Chriſtum habet, qui ſpiritaliter legem intelligens, obſeruat

Prudentia carnis ut mors ſit contra uero, prudentia ſpiritus, uita & pax.

obſeruat,ipſe enim eſt,& uita,& pax noſtra apud patrem. Ad eandem quoq; intelligentiam pertinere uidetur, quod continuo ſequitur. Quoniam ſapientia carnis,inimica eſt Deo: legi enim Dei non eſt ſubiecta,nec enim poteſt. An Deo inimicum non eſt, quod a Chriſto euacuat? Si circuncidimini, inquit ille, Chriſtus uobis,nihil proderit. Sapientia ergo carnis,Chriſto eſt aduerſaria,nec recipit illum quem miſit Deus,unde,& illa uox eſt. Nos legem habemus,& ſecundum legem debet mori,quia filium Dei ſe fecit. Et legi dei quæ ſecundum ſpiritum eſt,ſubiecta nō eſt, nec ſubijci poteſt,ut illi aduerſaria,& contraria, poſtquam umbras fugauit choruſcans, de crucis patibulo,rutilantis corporis ueritas, & uela ueteris illius templi dirupta ſunt.

Sapientia carnis,ut inimica Deo,lege eius nō poßit ſubijci.

Quanq;,qui in nouiſſimis his locis, Apoſtolum (quod ei familiare eſt) occultum, latentemq; tranſitum feciſſe intelligeret,a lege carnali,aut ſecundum literam, ad illam legem carnis, quæ in membris noſtris eſt,repugnantem legi mentis noſtræ, de qua ſupra, haud improbabiliter intelligeret:

Aduerſarij ut pene ubiq; in aliquo æquiuoco ſe inuoluăt, & ſua captēt latibula.

Intelligis autem, & tu, ex his,lector Chriſtiane,quam aliena,quam nihil ſecum coherentia,in unum confundant, & contra ſuam naturam connectant aduerſarij. Dum in æquiuoco ſeſe inuoluentes,non diſtinctis ante eius ſignificationibus, quicquid de uno ſignificatorum dicitur,abſq; ullo delectu accommodant alteri,quando ſuæ id ſententię, quoquo modo commodat.

Sed hoc uelim, ut per ſe pauliſper expenderent improbabilitatem eius ſententiæ, ad quam,inductam Chriſti male detorquent ſententiam.

Per ſe demonſtratur abſurditas eius ſen=

Vniuerſum hominem eſſe carnem,& nihil nos ſpiritus, niſi per regenerationem habere, qua obſecro probabilitate dicitur? Nihil ne totus homo niſi caro eſt? nihil ne habet ſpi

ritus niſi quem per regenerationem accipit? an non eſt aliqua noſtri pars, ſpiritus, quem creatione accepimus? an nō alius, & diſtinctus in nobis, noſterq; ſpiritus, ab illo Dei ſanctificante nos ſpiritu? In homine tria hæc eſſe, & uelut partes quaſdam eius, carnem ſeu corpus, animam, & ſpiritum, an non clariſſimis uerbis teſtatur Apoſtolus, cum optando dicit. Vt integer ſpiritus ueſter, & anima, & corpus, in die domini noſtri Iheſu Chriſti ſeruetur? An, de Chriſti, ac Dei ſanctificante nos, quem per regenerationem accepimus, ſpiritu, hæc dicit Apoſtolus, ut illum optet ſeruari integrum, in die domini noſtri Iheſu Chriſti? imo audi eundem aperte diſtinguentem, Dei ſpiritum, quem per regenerationem accepimus, a noſtro ſpiritu. Ipſe enim ſpiritus, inquit, teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quod ſumus filij dei, Ipſe dei ſpiritus, qui in cordibus noſtris diffuſus eſt, ipſe inq; adoptionis ſpiritus, in quo clamamus, abba, pater, teſtimonium reddit ſpiritui noſtro. Alius eſt ergo dei ille in nos diffuſus ſpiritus, qui teſtimoniū perhibet: alius noſter ſpiritus, a quo illum diſtinguit Apoſtolus, & cui ille teſtimonium perhibet. Habemus ergo etiam noſtrum, & proprium ſpiritum, quem per creationem accepimus, diſtinctum ab illo Dei ſanctificante nos ſpiritu, quem per regenerationem accepimus? Quod ipſum, etiam Daniel atteſtatur, in illo trium puerorū hymno, Benedicite, inquit, ſpiritus, & animæ iuſtorum domino, Spiritus dicit, pluraliter, & animæ iuſtorum: at ille Dei, nos per regeneratione ſanctificās, unicus, & ſimplex eſt ſpiritus. Quid igit? Sui ne dogmatis euidētē falſitatē adhuc nō intelligūt? Adhuc uniuerſus illis homo ante regeneratione caro eſt: & nihil ſpiritus habemus, niſi quod per regenerationem accepimus?

tentiæ, qua uniuerſam hominis naturā, carnem faciūt & nihil ſpiritus, niſi per regenerationem habere affirmant.

Alium eſſe noſtrum ſpiritū, alium Dei in nos diffuſum ſpiritum.

Quin, & hoc nobiſcum paulo perpendant diligentius, quis ſit ille ſpiritus: inter quem, & carnem, irreconciliabile

H bellum

Hominis proprium, & non Dei illum eſſe ſpiritum, inter quem, & carnẽ in nobis irreconciliabile bellum eſt.

bellum geri, in nobis affirmat Apoſtolus, dicens, ſpiritum aduerſus carnem concupiſcere, & carnem aduerſus ſpiritũ. Numquid ille eſt Dei ſpiritus? numquid eius eſt concupiſcere? eius pugnare aduerſus carnem? Et quæ foret pugna iſtiuſmodi, ubi cũ infinita potentia committeretur, & congrederetur res per ſe infirmiſſima? Dei ſpiritui infinito illi, & omnipotenti, cuius imperio uniuerſa creata ſunt, concupiſcenti aduerſus carnem, an poſſet caro contra ſtare? contra concupiſcere? contra hiſcere?

Et numquid in non regeneratis omnibus, atq; his, qui Dei carent illo ſanctificante ipſos ſpiritu, omnia intus pacata, omnia quieta ſunt? nulla pugna carnis aduerſus ſpiritũ? nulla conſcientiæ, cum male agunt reprehenſio? nulla difficultas, nec carnis contradictio, cũ ea neglecta, ſibi ipſis, uel ſapientiæ, uel uirtutis, uel etiam gloriæ ſtudio, dura, aſpera, laborioſa, & deſyderijs carnis aduerſantia imperant, atq; a ſe exigunt? dum uigilijs, laboribus, fame, ſiti, eſtus, algoriſq; patientia, excubant pro ſalute patriæ? cedi, uulnerari, cruciari, etiam interfici ſuſtinent, ut ea ſalua ſit? an qui ſibi, illorum, indixit, honeſte, & ſecundum leges cõtinenter uiuere, ex forte conſpecta, immo ſe amplexibus eius ingerente in ſuo cubili muliere nuda, ac formoſa, nullam in ſe pugnam ſentit carnis, aduerſus mentem, & ſpiritum, qui illum admonet perſiſtere in honeſto propoſito? An forte dicturi ſunt, nõ poſſe, iſtiuſmodi, deſyderijs carnis reſiſtere, aut nõ obſequi in omnibus?

Eundẽ ſpiritũ inter quem, et carnem, in nobis pugna eſt, etiam mentem uocari ab Apoſtolo.

Sed, & hoc conſiderent, eundem illum ſpiritum, inter quem, & carnẽ, ea in nobis pugna eſt, etiã mentẽ uocari ab Apoſtolo, cuius legi, admonitionibus, & imperijs repugnet lex membrorum, & carnis, quæ in nobis eſt. Condelector, inquit, legi Dei ſecundum interiorem hominem. Video autem aliam legem in membris meis, repugnantẽ legi mentis

mentis meæ,& captiuantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis. Quod alibi dixit, Carnem concupiſcere aduerſus ſpiritũ, hic dicit, legem, quæ in membris noſtris eſt, repugnare, legi mentis noſtræ: hoc eſt, legẽ carnis, legi mẽtis, aut ſpiritus. An igitur, nec mentem ineſſe dicent his, qui nondũ regenerati ſunt, ſed nihil mentis, niſi per regenerationem nos habere? An lege illa ſpiritus, & mentis, hoc eſt, Dei, in ſcripta eorũ mentibus, non regeneratos omnes deſtitui? Et quid de illis Apoſtolus? Cũ enim gentes, inquit, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis ſunt faciunt, eiuſmodi legẽ non habentes, ipſi ſibi ſunt lex, qui oſtẽdunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, teſtimoniũ reddente illis cõſcientia ipſorũ, & cogitationibus intra ſe accuſantibus, aut etiam excuſantibus. Vides, etiam gentiũ cordibus inſcriptam legem illam mentis, & dei. Vides, ut etiã eidem obſequi poſſint, neglecta lege carnis, quę nos trahit, & ſollicitat in contrarium. Vides, quoq; conſcientiæ teſtimonium obſequentibus: accuſationem, ac repræhenſionẽ his, qui ea neglecta, deſyderijs carnis ſe mancipauerunt.

Sed hęc de improbabilitate, abſurditate, & pugnantia eius ſententiæ, qua uniuerſum hominem, ante regenerationem, carnem faciunt, mihi ſufficere uidentur.

Nunc paucis expendendum eſt, quantum ponderis, ac momenti ea ratio habeat, quam ex illis uerbis Apoſtoli, ad Romanos inferũt. Non eſt iuſtus quiſquam, non eſt intelligens, non eſt requirens Deum. Omnes declinauerunt, & quæ ſequũtur. Quibus, non in unius, aut alterius ſęculi deprauatos mores declamare, ſed accuſare perpetuam naturę corruptionem uolunt Apoſtolũ, ut cui propoſitum fuerit, non ſimpliciter, quo reſipiſcerent, obiurgare homines, ſed docere potius, ineluctabili calamitate oppreſſos omnes: a

Ad rationem, quam inducũt ex uerbis Apoſtoli. Nõ eſt iuſtus quiſquam &c.

qua,niſi Dei miſericordia eruantur, non poſſint emergere. Quod,quia probari non poterat,niſi conſtitiſſet de naturę clade,& exitio,protuliſſe ſcripturarum teſtimonia,quibus plus ꝙ perditam,eſſe naturam noſtram,conuinceretur.

Sed hæc falſa eſſe,& alieniſſima,tam ab Apoſtoli,quã a ſcripturarum,quæ ab eodem inducuntur ſententia,indubitatũ eſt:ut quæ in mores, non in naturam dici palam eſt. Cum uitio deputari nõ poſſit, quicquid ui quadam naturæ,ineuitabiliter nobis ineſt:ſeu agamus, ſeu patiamur id. quemadmodum alibi a nobis euidenter demõſtratum eſt: & publicus habet cõſenſus mortalium, ab initio omnium. Neq; aliud,illis intẽdit comprobare Apoſtolus,ꝙ omnes, tam Iudeos,ꝙ Gręcos,peccato eſſe,& fuiſſe obnoxios,quo uſq; inde eripiantur Dei gratia,& miſericordia.

Siquidẽ,in ea epiſtola,uelut arbiter quidam,inter eos, qui ex circũciſione crediderant,& eos,qui ex gentibus, ita ſermonem ſuum ſemper librat, ac temperat Apoſtolus, ut nunc hos,nũc illos,in quibuſdam uideatur arguere, & rurſus partes ſingulas, certa ſpe promiſſionis animare, æquare,& in unitatem componere. Quia ergo, in ſuperioribus, ad deprimendos Iudęos dixerat. Quoniam ſi præputium, iuſtitias legis cuſtodiat, iudicabit eum,qui ex circumciſione, legis pręuaricator eſt:ut rurſus eos,quos humiliauerat, eleuaret, addidit. Quid ergo amplius eſt Iudæo,aut quæ utilitas circumciſionis? Multum per omnem modum, primum,quia credita ſunt illis eloquia Dei. Poſt quæ conſequenter,de ijſdem, quædam in eandem ſententiam prologuutus,iterum ad æqualitatem eos reuocans. Quid ergo, inquit,prę cellimus eos? nequaquam. Cauſati enim ſumus, & Iudęos,& Gręcos,omnes ſub peccato eſſe. Quod,ſi omnes ſub peccato ſunt,ergo nõ erit elationis cauſa uni aduerſus alterum:cum utriq;, non ſuo merito, ſua iuſtitia, ſed ex

Dei miſericordia ad ſalutē ueniant. Probauerat ante Græ-
cos, hoc eſt, gentiles ſub peccato eſſe, cū dixerat. Dicentes
enim, ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt, & mutauerunt glori-
am incorruptibilis Dei, in ſimilitudinē imaginis corrupti-
bilis hominis, etc. propter quod, tradidit illos deus in repro-
bum ſenſum, & quæ ſequuntur, Iudæos quoq; ſub peccato
eſſe, cauſatus eſt, cum dixit. Si autem tu Iudæus cognomi-
naris, & requieſcis in lege &c. Qui ergo doces aliū, temet-
ipſum non doces: qui prædicas, non furandum, furaris, etc.
& per legis præuaricationem deum, inhonoras, &c. Quæ,
quo maioris authoritatis apud illos Iudæos forent, ſcriptu-
rarum authoritate confirmat, ſicut ſcriptū eſt, inquit. Quia
non eſt iuſtus quiſquam, & cætera, quæ ſubijcit ex pſalmo
XIII. Etiam hoc adijciens, ea, ad ipſos proprie pertinere.
Scimus enim, inquit, quoniam, quæcumq; lex loquitur, ijs
qui in lege ſunt, loquitur.

Quomodo intelligenda inducta per aduerſarios uerba Apoſtoli.

Quæ tamen, non ita accipienda ſunt, ut in ſingulis eo-
rū, omnia hæc fuiſſe, & eſſe intelligantur, ſed aliud in alio:
ita tamē, ut in omnibus collectim impleta intelligatur iſta
uitiorum uniuerſitas. Et e diuerſo, conſtituendū eſt ob ocu-
los, eiuſmodi loquendi formas uniuerſales, ſæpe in ſcriptu-
ris, recurrere: in quibus tamen, cogimur querere accommo-
dam aliquam ſententiam: ut eſt illud. Ecce dies uenient di-
cit dominus &c. & dabo legē meam in uiſceribus eorū, &
in corde eorum ſcribam eam, & ero eis in deū, & ipſi erunt
mihi in populum: & non docebit ultra uir proximum ſuū,
& uir fratrem ſuum, dicens. Cognoſce dominum. Omnes
enim cognoſcent me, a minimo uſq; ad maximum, ait do-
minus, quia propitiabor iniquitati eorum, & non memo-
rabor amplius. Et iterum per Eſaiam. In memet ipſo iura-
ui, etc. quia mihi flectetur omne genu, & cōfitebitur omnis

Multas ſcripturæ uniuerſales locutiones, non tamē ita uniuerſaliter, ut ſonant, poſſe intelligi.

lingua Deo. Et per os Dauid. Omnes gentes quaſcunque feciſti, uenient, & adorabunt, coram te domine, & inuocabunt nomen tuū. Cum autem ſcriptura etiam dicat, fore, ut omnis quicunque inuocauerit nomen domini, ſaluus erit. Hinc utique inferret quiſquam, nimis literalis theologus, omnes gentes , quæcunque factæ ſunt a deo, ſaluas fore. Sic & Apoſtolus, Vetera tranſierūt, ecce facta ſunt omnia noua, & rurſus , Quia in ipſo complacuit omnem plenitudinem inhabitare, et per ipſum reconciliari omnia in ipſo, & quod Chriſtus. Si exaltatus fuero, a terra, omnia traham ad me, & illud. Veniet omnis caro in cōſpectu meo, ut adorent in Hieruſalem, item. Effundam de ſpiritu meo ſuper omnem carnem. Illud quoque Alleuat dominus, omnes qui corruūt, & erigit omnes eliſos. Oculi omniū in te ſperant domine, & alia pleraque eius generis , quæ, paſſim in ſcripturis recurrunt, & ſunt obuia . In quibus omnibus, quæ ſimpliciter enunciantur de omnibus, uides tamen non ſimpliciter cōuenire omnibus: & proinde, ſi uera ea, ut enunciata, a ueritatis ſpiritu, nihil dubitamus, certam in illis locutionis figuram, & rationem, ſecundum quam ſane intelligantur, quærere cogimur. Quam, quiſquis in illis inuenerit, non magnopere mouebitur, uniuerſalitate illa ſcripturarum inductarum, per Apoſtolum. Sed nō ſinit huius inſtituti ratio, his explicandis, hic imorari diutius.

Paradoxū aduerſariorum, de fideli anima a regeneratione in pugnantes duas partes diuiſa, excutitur.

Vnum adhuc reſtat paradoxum, in aduerſariorum ſententia , quo uidelicet , fidelem animam a regeneratione in duas partes, diuiſam affirmant, quarum ſit inter ſe perpetuum diſſidium, quemadmodum audiſti ſuperius. Quod mihi ſane eiuſmodi uidetur, ut quo propius, ac diligentius intueor, eo minus intelligam. Quod, an noſtræ tarditatis , an

uero,rei ipſius uitio,abſurditate, & multimoda pugnantia fiat,danda opera eſt,ut tu lector intelligas. Nam mihi ita uidetur,nec ipſos quidem aduerſarios ſatis intelligere,quid in ſuis ipſorum uerbis,intelligãt. Fidelis anima,a regeneratione in duas partes,ut diuidatur,non intelligo. Animam, puto,rationalem intelligunt. Ea certe ſola fidelis, aut infidelis dicit:non uero illa animalis anima, quæ ui ſenſifica,& motrici corpus impartit:necq; illa uitalis, cui accepta referuntur nutricationis, & quæ ad hoc genus pertinent,munia. Rationalis autem animæ,partes quibus conſtituatur, nullas intelligo, cum ſit inextenſa, indiuiſibilis,ſimplexq; ſubſtantia : ſed energias quaſdam, & uirtutes in ea diſtinctas intelligo, quæ ab ipſa eius eſſentia dependent, ac profluunt,perinde,ut uis illuſtratoria,a ſolis ſubſtantia,uis calfactoria,ab ipſa ignis natura.

De rationali anima illos neceſſario loqui.

Animam rationalem,nõ partes,ſed uires distinctas habere, Ratione, *& uoluntatẽ.*

Vires proinde rationalis animæ,rationẽ,& uoluntatem intelligo. Et quia,quamdiu in hoc corporis ergaſtulo inclusa degit anima, ſenſuum adminiculo,in ſuis ratiocinationibus utitur ratio,& quadam ex parte,illis colligata eſt, nonnihil etiam ab eiſdem afficitur,& ſuffunditur caligine, quæ ex carnis affectibus oritur: Quatenus uero ad ſuam originem tendit, & ſe erigit, adiuta ſeminibus,quæ nobis indidit creatoris benignitas, quæ aſſiduo cultu,ſtudio,inueſtigationeq; excitantur, & fructificant,ab illis carnis affectibus eſt ſemotior, liberior,ſpiritualior, & ſuæ naturæ propriæ:atq; ipſam in ſe ueritatẽ, ſyncerius contemplatur, & iudicat. Secundum quam ſane rationem,diuinæ philoſophiæ doctores,in duas uelut partes, aut portiones,ſignificantię cauſa, ſecãt,& uocabulis diſterminãt,rem in ſe indiuiſibilẽ:ſub priori illa ratione,inferiorẽ portionem rationis, ſub

Rationis, ut portiões duæ, Superior quædam, & quædã inferior, dicantur.

ſub hac uero poſteriore; ſuperiorem portionē rationis, eandem rationem appellantes: inferiorem nempe, cum ad ſe inferiora, ſuperiorem uero, cum ad ſuperiora conuertitur. Quam eandem, ut ſic, & mentem, & conſcientiam, appellari in ſcripturis frequens eſt, quæ ſemper deprecatur; & nos ſollicitat, ad optima. Quæ legem Dei in ſe deſcriptam habens, ſuo teſtimonio comprobat, quod ſecundum eandem bene agimus, & male facientes nos, & legem Dei prę uaricantes, reprehendit, nec reprehenditur: iudicat nos, & non iudicatur. Si conſcientia, inquit Ioannes, non reprehendit nos, habemus fidutiam in Deum: Et Paulus. Quia gloriatio noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ. Eandem hanc, etiam ſpiritus nomine deſignari, a ſacris literis, paulo ante, euidens fecimus.

Superior rationis portio, eadem et mens, & conſcientia & ſpiritus.

Voluntas, domina in regno hominis, ut et animæ, & cordis uocabulo, in ſcripturis ſignificetur.

Voluntatem, illam rationalis animæ uirtutem affectuoſam, & liberam, qua uolumus, nolumus, amamus, odimus, proſequimur, fugimus, omnes intelligunt. Penes quam, ut eſt abſolutum imperium in regno hominis, ita totius, hoc eſt, animæ nomine, ipſam ſepe deſignant ſacræ literæ: nonnunquam etiam figurate, cordis uocabulo, ſicut rationem, oculi nomine.

Etiam uoluntatem, in duas illas portiones ſuperiorem, et inferiorē diuidi.

Hanc, & ipſam, eadem, qua rationem: ratione, quamuis in ſe indiuiſibilem, in duas uelut portiones ſecant, ſuperiorem, et inferiorem. Superior eſt, cū ad ſuperiora ſe conuertit: Inferior, cum ad inferiora, ad carnem, atq; eius deſyderia ſe inclinat, formam enim fere ſuā ſortitur, ab his, quibus ſeſe applicat, & amore immergitur.

Voluntas, inter mentē ſpiritūq;, & carnem, contrarios conſiliarios ceu medio loco, poſita.

Eandem hanc, uelut pedagogus quidam, aut certe conſiliarius, adiuncta illi mens, aut conſcientia de melioribus admonet, de culpis caſtigat, & arguit: inde uero ad ſe caro attrahit, ſollicitat, & ſuis deſyderijs inclinat, cui etiam hoſpicij, & coniunctionis quodam iure naturaliter afficitur,

Inter

Inter hos duos, uelut in diuerſa trahentes, pugnanteſq; conſiliarios, carnem inquam, ſeu corpus, & ſpiritum, mentem, cōſcientiam, ceu medio loco, poſita eſt anima, hoc eſt, uolūtas: ſui iuris, & libera, in poteſtate habens, cui uelit accedere.

Quin, & interiorem hominem, ſcripturæ appellant, eā hominis partem, quæ ſenſibus non patet, & ad illa ſe ſuperiora: inuiſibilia, ac cœleſtia erigit. Exteriorem, hoc carneū, & corporeū, quod in nobis eſt: in quod etiam degenerant, eidē ſe inclinantes, & ſubmittentes, uolūtas, & ratio. Quēadmodum, cū Deo adherent, unus cum eo effici dicuntur ſpiritus. Interior, ille homo, condelectatur legi Dei, at exterior eidem repugnat, & carnis deſyderijs captiuare, & ſubijcere querit hominem. Proinde Paulus. Condelector, inquit, legi Dei, ſecundum interiorem hominem, uideo autē aliam legem, in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in legem peccati, quę eſt in membris meis.

Quis homo interior, quis exterior.

Hæc ſunt illa, in quæ diſtingui fidelem hominē, & fidelem animā, & poſt, & ante regenerationē, intelligere potui, ex ſacris literis, & chriſtianæ philoſophiæ doctoribus.

Nunc ipſa, quam aduerſarij nobis proferūt, fidelis animæ a regeneratione diuiſio, paulo preſſius excutienda eſt. Videntur autem mihi in primis ſignificare, ipſam noſtram rationalē animam, ad regenerationem uſq; noſtri, in ſe unitam, ac indiuiſam permanere: a regeneratione autē, in duas partes contrarias diuidi: proinde dicunt, fidelem animam, a regeneratione, in duas partes diuiſam eſſe, quibus perpetuum inter ſe ſit diſſidium. Hoc ergo uellem, ante omnia nobis explicarent, quomodo per regenerationē, in duas, pugnanteſq; partes, diuidatur eatenus una, indiuiſa, atq; adeo, indiuiſibilis anima. Et quęnā illę partes ſint, quas de nouo

Animæ fidelis ſectio, ſecundū aduerſariorū ſententiā, quæ in ſe includat abſurda, & pugnantia.

acquirat, nec ante habuerat, aut ſi habuit, unitas habuerat, quas diuiſerit regeneratio. Nam hęc mihi incomprehenſibilia ſunt, niſi clarius ab illis explicentur. An forte, nõ ipſas ſubſtantiales, ut ſic dicam, animæ partes, ſed quas ſupra diximus, eius energias, uirtuteſq;, hoc eſt, mẽtem, ſpiritumq;, & uoluntatem: aut alias quaſdam intelligunt?

Si alias, ut eas nobis explicent, neceſſe eſt. Quandoquidem nos, pręter eas, quas paulo ante explicauimus, nullas nouimus. Si eaſdem, quomodò in eas, a regeneratione diuiſa ſit fidelis anima, hoc quoq;, ut nóbis explicent oportet. An forte ante regenerationem, hæ uirtutes in anima diſtinctę non fuerunt? An nec fuerunt quidem, ſed per regenerationem datæ ſunt? An fuerunt, ſed indiſtinctæ, atq; una & eadem, & per regenerationẽ diſtinctæ; atq; ex una duæ factæ ſunt?

Deinde, & hoc nobis explicent, ſi duas has partes, in quas, a regeneratione diuidatur fidelis anima; dúas has uires intelligunt, quomodo eædem ita ſibi aduerſentur, ut aſſirmant? Inter ſpiritum, & carnem, perpetuam eſſe rixam, & bellum irreconciliabile, & Paulus affirmat, & ipſa in nobis teſtatur rei euidentia. Spiritum autem, cum eodem, ut paulo ante explicauimus, mentem, conſcientiamq;, aut ſuperiorem illam rationis portionem ſpiritualiorem, & ad ſpiritualia ſe conuertentem, intelligimus. Si quid autem aliud, illi hic ſpiritũ intelligant, & id quoq;, ut nobis explicent, neceſſe eſt: neq; enim nos aliud, quod intelligamus, hic inuenire poſſumus. At ſpiritus iſte, non aduerſatur uoluntati, ſed eam ad ſe ſtudet attrahere, & a carnis deſyderijs auertere.

An forte hæ inter ſe pugnantes partes, in quas a regeneratione diuiſa eſt fidelis anima, illis ſunt caro, & ſpiritus? Inter hæc ſane, eſt diſſidium perpetuum; ſed quomodo hæ

partes

partes ſunt fidelis animæ,hoc eſt,quod non intelligo,Carnem intelligo, uelut domicilium, atq; inſtrumentum animæ, quam ſocietatis illius iure, & commercio naturaliter inclinat,& attrahit,ad ſua deſyderia, ad ſibi amica, ac delectabilia: & contra,ille ſpiritus,ad iuſtitiæ obſequium retrahit. Sed ut caro ſit pars animæ, hoc inquam eſt, quod non intelligo. Numquid rationalis anima compoſita eſt ex carne,& ſpiritu? dedentem ſe carni, & deſyderijs eius mancipantem,ut carnalis fieri,atq; adeo caro eſſe,quemadmodũ, ad ſpiritualia, & cœleſtia ſe conuertentem, & Deo fideliter adherentem,unum cum eo ſpiritum fieri, ut dicatur,ex uſu ſcripturarum,intelligo. At in una, eademq; ſimul anima,carnem,& ſpiritum,uelut partes ſui quaſdam, ex quibus componatur, non intelligo.

An forte totum hominem, per fidelem animam intelligunt? Eius certe,partes ſunt,caro,& ſpiritus: ſed quomodo in eas, a regeneratione diuiſus ſit fidelis homo, nec hoc intelligo, An ante regenerationem hæ partes,diſtinctæ,diuiſæq; in homine non ſunt? non caro? non ſpiritus? an ante, utraq; ſuæ naturæ obliuiſcitur,nec caro concupiſcit aduerſus ſpiritum,nec ſpiritus aduerſus carnem? Eſſe in non regenerato partes has,& diſtinctas partes,& ſibi aduerſari inuicem, paulo ſuperius demonſtrauimus.

Iam,& hæc quis nobis Oedipus explicabit enigmata? fidelis,inquiũt,anima a regeneratione,in duas partes pugnantes,diuiſa eſt. Nam qua parte, a ſpiritu Dei poſſidetur, & regitur,ad immortalitatis amorem,ſtudiumq; euecta,in iuſtitiã,puritatẽ,ſanctitatemq; tota intenta eſt. Qua uero parte, naturalẽ adhuc affectũ retinet, in terræ corruptione uolutatur: prauis cupiditatibus immerſa,quid pulchrũ, & beatũ ſit nõ uidet. In peccati luto defixa, Deũ, iuſtitiamq; *Nota lector, hæc enigmata aut portẽta potius,nam mira ſunt omnia.*

eius auerſatur. Quis inquam Oedipus, iſta nobis explicabit enigmata? Neq; enim unũ mihi ſufficere poſſe uidetur.

Anima fidelis, a regeneratione poſſidetur, a Dei ſpiritu, non tota, ſi uerum dicunt, ſed parte quadam ſui: parte altera, naturalem affectum ſuũ retinente. Quæ, niſi, quomodo fieri poſſint, & quæ ſit pars illa animæ poſſeſſa, a dei ſpiritu, quæ pars altera non poſſeſſa, a Dei ſpiritu, ſed ſuũ affectũ naturalẽ retinens, hæc inquam, niſi nobis clarius explicauerint, nemo ſane intellecturus eſt, quod dicitur: etiam, ut maxime illis credere cupiat. Quid enim cauſæ eſt, quod Dei ſpiritus, animam quam poſſidet, totam non poſſidet? immo quomodo poſſit non totam poſſidere quam poſſidet? ut quæ tota eſt, quicquid eſt, nec in quas ſecari poſſit, partes habet.

Si hic, ad uirtutes eius diſtinctas confugiant, rationem nempe, & uoluntatem, hic illos interrogabo, quam harum uirtutum poſſideri, & quam, non poſſideri, a Dei ſpiritu intelligant? An rationem poſſidet, uoluntatem non poſſidet? Certe, uoluntatis munia ſunt, quæ parti a Dei ſpiritu poſſeſſæ tribuunt, nempe, immortalitatis amore, ſtudioq; teneri, ad Dei ſocietatẽ aſpirare. Hæc enim, partis illius, nõ contemplatricis, ſed affectuoſæ ſunt: aſpirare, amare, odiſſe, fugere, uoluntatis inquam, non rationis. Aeque uoluntatis, non rationis, ſunt ea, quæ parti alteri non poſſeſſæ, a dei ſpiritu attribuunt: cupiditatibus immerſam eſſe, peccati luto infigi, Deum, & iuſtitiam eius auerſari. Hæc enim prauæ uoluntatis, non rationis ſunt: Illa cupiditatibus afficitur, & immergitur: illa eſt, quæ ſeruituti peccati ſe ſubmittit, Illius eſt, & amare, & auerſari Deum, & iuſtitiam eius. Quid igitur? Duę ne ſunt uoluntates, in una rationali anima, inter ſe tam pugnantes, & contrarię: quarum alteram, Dei ſpiritus poſſidet, alteram non poſſidet?

altera

altera naturę ſuæ affectum retinens, hæc peſſima operetur, altera exuta naturæ ſuæ affectu, per ſpiritum poſſeſſa operetur illi contraria? An has duas uoluntates, tam pugnantes, inuenit regeneratio, & alteram, dimiſſa reliqua, exutã naturali ſuo affectu, poſſidet Dei ſpiritus? An fecit alterã, & quam inuenit, in ſuo illo naturali affectu dimiſit? Quot Oedipi non ſufficerent, ad hæc nobis explicãda enigmata?

Iam quis eſt, hic uoluntatis naturalis affectus, tam ferus, & peſtilens? Naturales cuiuſq; rei affectus, naturaliter oriuntur, ex ipſa rei ſubſtantia, quæ non poteſt, niſi bona eſſe, utpote creata a Deo. Non poſſunt, ergo etiam naturales illi affectus, niſi boni eſſe.

Naturales cuiuſque rei affectus, non poſſe niſi bonos eſſe.

An uero eſt, unica in rationali anima uoluntas, partes tamen habens tam pugnantes, & contrarias? Id quod ſignificare uidentur, diſcrimen ponẽtes, inter animalem hominem, & regeneratum, & de hoc loquentes, affirmant hunc præcipua uoluntatis parte, legi iuſtitiæ adherentem, peccatum, quod per imbecillitatẽ committit, odiſſe. Videntur inquam, in duas hic partes, uoluntatem partiri: quarum altera, naturali affectu exuta, poſſideatur a Dei ſpiritu, & in Dei amorem, iuſtitiæ, ſanctitatis, puritatiſq; ſtudium, tota intenta ſit: altera, naturalem affectum retineat, & in odium Dei, uelut ſuapte natura, ferat. Et has partes, an fecit, an inuenit regeneratio? numquid unius naturæ, ſubſtantiæ, aut eſſentię ſunt, quarũ tam pugnans naturalis affectus eſt? nunquid ex tam pugnantibus partibus, una componi uoluntas potuit?

Iam quid hoc eſt, quod parti non poſſeſſæ a Dei ſpiritu, etiam uidere, & non uidere tribuunt, quod nequaquam uoluntatis, ſed rationis eſt offitium? Qua parte, inquiunt, naturalem affectũ retinet, prauis cupiditatibus immerſa, quid pulchrum, & beatum ſit, non uidet. Si quis diceret

nos nõ uidere, pedibus, uẽtre, brachijs, morbo aliquo labo-rantibus, inepte ſane, & ridicule loqueretur: ſed oculorum morbo imputandum eſt, quod quis non uideat. Ita in his, quæ mentis oculis cernenda ſunt, ſi quis cœcitate laborat, rationis, & mentis ille, non uoluntatis proprius morbus eſt.

Concluſio, de aduerſariorũ ſentẽtia de peccato originis.

Hæc inquam ſi aduerſarij confuſa, inuoluta, obſcura, in ipſorum quam expoſuimus, & hactenus excuſſimus, do-ctrina latentia, atq; implicata, explicare, ſi enigmata ſolue-re, impoſſibilia, & pugnantia tueri, componere, & aſſerere potuerint, credam ipſos ſeipſos intellexiſſe, & intelligere, quid uelint, doceant, & intelligant. Interim ſecurus pronũ-ciabo, quod ad hanc cotrouerſiam pertinet, uniuerſam eo-rum, de peccato originali ſententiam, eſſe falſam, impiam, in Deum naturæ noſtræ conditorem blaſphemam, impoſ-ſibilem, ſeipſam infinitis modis euertentem, & ſecum pug-nantem in omnibus.

Quid ſit peccatum originis demonſtrare aggreditur.

Vellem, mihi liceret hic ſubſiſtere. Nam quod ad præ-ſentem controuerſiam attinet, uel ipſis aduerſarijs noſtris iudicibus, (modò ſepoſitis, tantiſper affectibus, rationem, in conſilium adhibere, & ſequi uellent) ſatis me feciſſe con-fido, atq; ita demonſtraſſe falſitatem, uniuerſæ aſſertionis eorundem, & ſententiæ, de peccato originis, ipſum, quid ſit, (quã tamen Chriſti, Apoſtolorum, orthodoxorum pa-trum, & catholicæ, ab initio eccleſiæ ſententiam, certò ſe ſci-re non dubitant, affirmare, ac dicere) ut etiam, ab ipſis, uel confeſſionem erroris ſui, hâc in re, maximi ſane momenti, & grauiſſimi (quæ illis tamen uerecunda, eſſe non debet, nam errare humanum eſt, diabolicæ uero malitiæ, intelle-ctum iam ſatis errorem ſuum, tueri uelle, & certæ euidẽtiq; ueritati nolle acquieſcere) aut certe, taciturnitatem, quæ confeſſionis nobis inſtar erit, extorſiſſe me nihil dubitem.

Quia

Quia tamen, quæ eſt iudicij multorum temeritas, ne dicam malignitas, niſi ipſe, quod hactenus diſſimulaui, quod nam originis peccatum intelligam, clare explicauero, ſuſpicaturos uideo nonnullos, nos Pelagij, & Cæleſtij impietatem, clam, & callide reſuſcitare uoluiſſe, nec ullum credere, ut qui omniũ de eo, non ſolum aduerſariorum, ſed etiam catholicorum (ſine quo, illud, ſatis luculenter, et efficaciter, fieri non potuit) receptas in ſcholis coarguimus ſententias, nec aliam ullam, certam protulimus, ut, de quo, eccleſiaſtica definitione adhuc certa nulla eſt. Cogor de eo ipſo quãuis inuitus, etiam meam hic explicare ſententiam. Quam tamen, non ut certam, ſed ut illis (quod mihi equidem uidetur) probabiliorem proferri, a me lector accipiet: ſuo nihilominus, cuiq;, de ea, ſaluo iudicio. Qua, ſi quis probabiliorem, ueriorem, certioremq; attulerit aliam, ego primus, hac mea abiecta, illã ſequuturus, atq; amplexaturus ſum. Quod uero inuitus, ad illud ipſum, hoc loco, accedo, ea cauſa eſt, quod in explicandis his, quibus nunc æccleſia concutitur, turbaturq; controuerſijs, nihil niſi certa definitaq; aſſerre apud me conſtitueram: id quod in ſequentibus obſeruaturus tenore perpetuo, in hac una tantiſper cogor negligere, dum non ſolum aduerſariorum, ſed noſtrorum quorundam temerarijs iudicijs, & ſuſpicionibus de nobis, occurro, & ſatisfacio. Nam ita de nobis iamdudũ ſuſpicari nõnullos etiam noſtrorum, animaduerti, cum nulla, mihi, hactenus receptarum, quid nam ſit illud peccatum originis, ſententiarum probaretur, & non ſine cauſa recuſarem meã, ita nudam de eo proferre, explicareq; ſententiam. Quam tamen, uelut inquirendi ſtudio, non definiendi temeritate, a nobis prolatam, pius lector accipiet. Sed nunc ad rem.

Præfatio authoris, & cur inuitus ad hãc demonſtrationem hoc loco acceſſerit.

Vt autem uelut ex certis, certa etiam methodo, hæc noſtra procedat inueſtigatio, hoc ante omnia, ex Apoſtolo, & totius

Hypotheſes tres. Prima.

& totius,ab initio,eccleſiæ indubitata ſententia,atq; eccleſiaſtica,etiam apoſtolicę ſedis, & orthodoxorum Epiſcoporum,aduerſus Pelagij,ac Cæleſtij impietatem,definitione,certum,atq; indubitatum præſupponimus, neminem lege communi naſci ex Adam, niſi uinculo illius peccati originis, iræ filiũ, mortis reum,damnationiq; obnoxium, quo uſq;,inde liberetur,per mediatoris noſtri Iheſu Chriſti gratiam. Per damnationem autem hic intelligimus,excluſionem a regno cœleſtis Hieruſalem, cuius in origine noſtri generis, Adam,data erat etiam nobis omnibus eius filijs,uelut hæreditario quodam iure,ciuilitas:a qua,eius inobedientia,& pręuaricatiõe excidimus. Quam, & ipſam, etiam intelligimus illam iram Dei, offenſam, indignationemq; aduerſus omnes Adæ filios,de qua,ad Epheſios Apoſtolus,Et eramus natura filij iræ, ſicut,& cæteri. Natura dicit,hoc eſt,natiuitate,& naſcendi ſorte (quod quo pacto fiat nunc explicabimus) non uero natura,ut eſſentiam, ſubſtantiamq; noſtram,quam natiuitate accepimus, ſignificat:quomodo natura ſeruos dicimus, qui naſcendi ſorte, & ex natiuitate tales ſunt (neq; enim creaturæ ſuæ omniũ nobiliſſimę,inſenſus eſſe poteſt Deus,cui uniuerſa ſua placẽt opera) Ab hac ira,mortis,inq; damnationiſq; uinculo, & obligatione,neminẽ liberari,atq; illi hæreditati,regnoq; reſtitui, niſi unius mediatoris noſtri Iheſu Chriſti Dei,& hominis gratia.

Secunda. Secundo, & hoc uelut certum ſupponimus, quod ſupra demonſtrauimus, Peccatum ſecundum propriam ſuã, ueramq; ratione, qua de eo, diuinę ſcripturę loquũtur,eſſe iniquitatem, aut iniuſtitiam,hoc eſt,obliquitatem a rectitudine,quæ a nobis exigitur, ſecundum diuinæ legis præſcriptam nobis regulam. Ad quam,ſecundum analogiam quandam, & alias quoq; peccati æquiuocas acceptiones in ſcriptu-

in ſcripturis occurrere, etiam indicauimus.

Tertio, & hoc quoq; uelut certum, ſupponendum eſt, Cum peccati uocabulo addimus has, uelut ſpecificationes, aut differentias, actuale, cui e regione proprie opponi, non actuale, & quod ſola omiſſione, & actus carentia committitur, originale, cui e regione proprie opponi perſonale, & cuiq; proprium, ipſam uocabulorum rationem ſequentes, ac diſtinguentes, intelligimus (tu tamen, quocumq; uolueris, modo hæc intelligas; nihil enim hoc refert ad propoſitum) non addere nos illi determinationes aliquas, diſtrahẽtes ipſum, a ſua ſignificatione propria: ſicut, cum hominem mortuum, pictum, aut ſcalptum dicimus: ſed uelut quaſdã ſpecificas, in ratione generis incluſas, aut certe, quomodocũq; ipſum cõtrahẽtes differẽtias. Quomodo animal, rationale, & irrationale, bipes, & quadrupes, natile, reptile, greſſibile, & aligerũ dicimus. In quibus omnibus, ſaluatur ipſa propria animalis ratio, & de oibus, ſimpliciter, uere, & uniuoce dicitur. Proinde, quicquid ſit illud, quod peccatũ originale dicimus, uere illud, & proprie peccatũ erit: & ſecundũ eandẽ ſuã propriã rationẽ uniuoce diceẽ peccatũ, ſecundũ quã, etiã perſonale, & cuiuſq; propriũ, ſed quã actuale, ſeu cõmiſſionis, & omiſſionis, ueniale, mortale, & quęcũq; proferri poſſunt pcti, ſeu ſpecies, ſeu differẽtię, pctã dicent. *Tertia.*

Primum ergo, quod ex his inquirendum ſeſe offert, hoc eſt: an unicũ tantũ ſit peccatũ originis, illius nempe noſtri generis, hoc eſt, Adæ (quod importat ratio ipſa uocabuli, quo ab initio uſi ſunt orthodoxi omnes) cuius reatus conſtrigat omnes eius filios, et naſci faciat diuinę irę ſubiectos, morti, dãnationiq; obnoxios: an uero, tot ſint peccata originis, quot naſcuntur homines, ut quiſq; ſuum propriũ habeat, quod trahat ab ipſo cõceptu, ac materno utero: cuius demerito ſit, & naſcatur, iræ diuinę ſubiectus, & morti, dãnationiq; *Ex præmiſſis hypoteſibus inquiritur: An unicum tantũ ſit peccatũ originis, an uero tot, quot naſcũtur homines.*

nationiq́ʒ obnoxius, quod eatenus, originis, aut originale dicatur: quia ipſum propagatione contrahit ab origine.

Quæ queſtio, ſi certa ſunt, ea que poſuimus, & aſſumpſimus, ut mihi certa uidentur, niſi quis demonſtrauerit cõtrariũ, ex ijſdem certo, euidenterq́ʒ explicari poterit. Nam, ſi peccatum originis, qualecumq́ʒ demũ id eſſe dixerimus, uere, proprie, & uniuoce peccatum ſit, & ſecundum eandẽ rationem dicatur, ſecundum quam, peccatum quodcumq́ʒ aliud, quod in tertia hypoteſi ponitur, & omnino certũ eſt: (Cum alioqui uana foret, & plane nugatoria, de peccato originali contentio: quando etiam Chriſtus, quando & quicquid pro peccato, a nobis Deo oblatum eſt, quando etiam ipſa uis concupiſcibilis, innata carni noſtræ, etiam in ijs, qui regenerationis lauacro abluti, ab omni peccato mũdati ſunt, in ſcripturis, peccatum dicitur) præſertim, cũ id ipſum, qualecũq́ʒ id ſit, in offenſa dei nos conſtituat, & morti, dãnationiq́ʒ facit obnoxios, ſicut ponit prima hypotheſis quod ſola facit iniquitas, & iniuſtitia: quæ una, eſt Deo, ut ſũmæ æquitati, bonitati, & iuſtitię, odibilis. Si una ea, uera, & propria peccati eſt ratio, iniquitas nẽpe, & obliquatio a rectitudine, quam diuinæ legis regula a nobis exigit. Sequitur euidenter, proprium peccatum nullum reperiri in paruulo: ut qui ſub lege nondum eſt, nec uſum rationis habet, qua poſſet uim legis apprehendere, nec arbitrij liberi facultatem, qua obſequium legi debitum haberet in ſua poteſtate. Quemadmodum ſupra, nec concupiſcentiam, nec carentiam originalis iuſtitiæ, peccato deputari poſſe paruulis demonſtrauimus.

Euidenter cõſequi ex præmiſſis, non eſſe in uno quolibet naſcentiũ, proprium ſuũ peccatũ originis.

Eſſe ergo unicum illud originis noſtræ, Adam.

Relinquitur ergo, unicum illud eſſe peccatum, ipſius nempe originis noſtræ, hoc eſt, Adæ, quod ſonat uocabulum; & non ſuum uniuſcuiuſq́ʒ proprium. Quanq́ʒ etiam

unum

unũ illud, noſtrum quoq; uniuſcuiuſq; ſit: ut, in quo uno, etiam nos omnes, etiam prius, q̃ eſſemus, qui peccare poſſe mus, ſuo quodammodo peccauimus tamen. & peccati illi‑us uinculo, & reatu conſtringimur, quemadmodum mox explicaturi ſumus.

Quod ipſum, mihi clariſſime cõfirmari uidetur, ex uer‑bis Apoſtoli, qui unus omnium, clariſſime de hoc ipſo lo‑quutus, atq; eius uim, energiamq; nobis exprimens, doce‑re mihi uidetur, huic mortis, damnationiſq; reatui, & omni bus humanæ naturę miſerijs, ob ipſum peccatũ noſtræ ori‑ginis, Adæ, ſubijci omnes eius filios: & non, propter ſuum quemq; proprium, prius q̃ ad diſcretionis ætatem perue‑niens, poſſit ſub lege eſſe, & contrahere proprium. Ita ſem‑per uni peccato originis, Adæ imputat mortem, & damna tionem, quæ in omnes graſſata eſt. Per unum, inquit, ho‑minem, peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes pertranſijt, in quo omnes peccaue‑runt, Sed non ſicut delictum, ita & donum. Si enim unius delicto, multi mortui ſunt, multo magis, gratia Dei, & do‑num, in gratia unius hominis Iheſu Chriſti, in plures abun dauit. Iterum, Et non, ſicut per unum peccatum, ita, & do‑num: nam iudicium, ex uno, in condemnationem: gratia autem, ex multis delictis in iuſtificationem. Item, Si enim unius delicto mors regnauit per unum, multo magis abun dantiam gratiæ, & donationis, & iuſtitię accipientes, in ui‑ta, regnabunt per Iheſum Chriſtum. Rurſus igitur, ſi‑cut per unius delictum, in omnes homines, in condemna‑tionem, ſic & per unius iuſtitiam, in omnes homines, in iu‑ſtificationem uitæ, Sicut enim per unius obedientiam, pec catores conſtituti ſunt multi, ita, & per unius obeditionẽ, iuſti conſtituentur multi.

Idem confir‑mari, ex uer‑bis Apoſtoli.

Expenſio uerborũ Apoſtoli. Vides, ut Apoſtolus perpetuo, & conſtantiſſime uni peccato unius Adæ, acceptum referat mortis regnum, & damnationis, ſub quo omnes concluſi ſumus, iudiciũ: unũ, & unius peccatum dicit, cuius demerito, omnes mortui ſumus. Ex uno illo unius peccato, latã in omnes, damnationis ſententiam, In illo, non in nobis, peccaſſe omnes: In illo ergo, non in nobis fuit illud peccatũ, quo peccauimus omnes. Vnius illius inobedientia, non ſua propria, peccatores conſtitutos multos, qui per ætatem, ſub lege nondum exiſtentes, ſua inobedientia potuerunt peccatores fieri. Fruſtra ergo peccatum illud unum unius hominis, partiuntur in peccata infinita, & ſingulorum hominum.

Cauilli retorſio. Nec his repugnat, quod in præmiſſis uerbis Apoſtolus dicit, per unius inobedientiam, peccatores conſtitutos multos. Neq; enim hoc negamus, immo confitemur, unũquenq; naſci peccatorem, non tamen ſuo peccato proprio, ſed originis. Nam peccatorẽ, quiem denominat reatus peccati, quod iamdudũ tranſiuit, & non eſt. Qui q̃diu remiſſus non eſt, ille peccator eſt, & dicitur: tametſi commiſſum peccatum, iam non ſit. Proinde, quaſi interrogares, ob cuius peccatum paruulus, reus, & peccator ſit, tibi diſerte reſpondet Apoſtolus, non ob ſuum, ſed ob Adæ peccatum, illum reatu conſtringi, & peccatorẽ cõſtitui, per illius unius inobediẽtiam, non ſuam ſingulorũ propriam, quos nulla adhuc lex obligare poteſt, quam tranſgrediendo potuiſſent contrahere propriã, peccatores, inquit, conſtituti ſunt multi. Ob unius delictum, multi mortui ſunt, non ſinguli ob ſuum proprium. Quod, qui contra, tam claram Apoſtoli ſententiam, fruſtra quærunt in ſingulis, nihil mirũ eſt, ſi in inueniendo laborent, in ijs præſertim, in quibus, ut ſit, rerum natura non patitur.

Naſci peccatores omnes, nõ tamen quenq; ꝓprio, ſed omnes uno originis peccato.

Quod ſi quiſquam hic nobis Pelagius obſtrepat, & interroget, quæ admittat iuſtitia, ut Deus, qui eſt tam pius, & miſericors, ut tam prompte, tam multa nobis remittat peccata propria, unum alienum imputet? (Quæ eius interrogatio D. Auguſtinum coegit, cum ante, ut mox demonſtrabimus, nobiſcum intellexerat unicum illud, peccatum originis, cuius reatus nos omnes conſtringit, quærere in ſingulis ſuum, & proprium) Illi reſpondebo, iuſtitiæ rationem ſe facile hic exhibere. Tametſi, ut eam inuenire non poſſemus, ſatis nobis foret ea in re, credere illi ueritatis Apoſtolo, qui tam ſepe, tã conſtanter, tam aperte, hoc ipſum aſſerit: & nihil dubitare, diuina iudicia, tametſi in pleriſq; nobis ſint incomprehenſibilia, eſſe tamen æquiſſima. Cuius nihilominus æquitatis rationem, etiam in hoc ipſo intelligere, non eſt difficile.

Obiectio Pelagij, quæ Auguſtinum coegit, unũ illud peccatũ originis, in infinita partiri, & in ſingulis ſuũ quærere.

In primis, hoc tibi exemplum ob oculos propone. Sit aut Rex, aut liberalis, & benignus dominus quiſpiam, qui ſeruum ſuum, multis maximiſq; beneficijs liberaliſſime ornatum, inſuper adoptet in filium, & heredem ſcribat, cum poſteritate eius uniuerſa, ea tamen lege, & conditione, ut mandatum ſibi quippiam a domino (id quod æque abſq; ullo premio teneretur) fideliter, diligẽterq; perficiat. Quod ſi ille neglexerit, & mandatum contempſerit, nunquid habent, quod de æquitate domini querantur huius filij, quod non ſua, ſed paterna culpa priuentur libertate, hæreditate, in quam, in patre iamdudum aſcripti fuerant, adoptioniſq; filialis gratia: & in propriam ſuæ ſeruitutis conditionem reciderint? Nihil habent ſane quod conquerãtur, de domini erga ſe iniuſtitia: immo habent, quod de eius in ſe tam liberali, atq; obuia benignitate, gratias agant maximas: quod ipſos tam liberaliter, uinculo, ac iugo illi ſeruitutis exemptos, non ſolum liberos, ſed, & hæredos, & filios ſcripſerat,

Notandũ exẽplum.

niſi paterna culpa reſcidiſſet illius tantæ in ſe liberalitatis ſyngrapham. Aduerſus quē, habent fortaſſis quod indignentur: at erga dominum nihil ſane habent, ob quod non maximo ipſum proſequi amore debeant, etiam ut in ſua illa ſeruili conditione permanerent perpetuo, unde ſe ipſos nulla poſſent ratione eximere.

Ad hæc cogita, qua tum ratione, eoſdem, erga liberaliſſimum, ac benigniſſimum regem, & piiſſimum dominum ſuum affectos eſſe oporteret, ſi nec hic ſe cōtineat, aut quieſcat eius erga ipſos, tam effuſa benignitas: immo, adhuc, eadem illa omnia offerre pergat, & illi ſeruo inobedienti, modo pœniteat offenſæ, atq; omnibus eius filijs ſyncero corde ad ſe confugientibus, ac reuertētib. & præceptis ſuis humiliter, fideliterq; obſequentibus, & ad hoc ipſum, proprium, & unigenitum ſuum filium, Regem, illis mediatorem deſtinet, quem, ſuæ illius dignitatis oblitum, ſeruorū illorum, quamuis nequam & contumacium amore, ſeruili forma, inter illos ſuos ſeruos (quo ſe eis inſinuet familiarius) mittat, qui hoc ipſum illis annunciet, doceat, & perſuadeat, ut ſalutem ſuam uelint quærere: tam immenſa, tam liberaliter ab optimo domino oblata ipſis bona nolint perdere, ſed acceptare ſtudeant: quamuis non ignorās, qua ingratitudine, qua contumelia, qua iniuria pleriq; illorum, illum ipſum unigenitum ſuum, & chariſſimum filium excepturi forent: immo, interempturi morte ignominioſiſſima, ac turpiſſima, Hoc inquā cogita, quis animus, quis affectus illorum ex eis, qui ſanæ mentis ſunt, & domini ſui filio, tantæ ſalutis, tot bonorum nuncio, mediatori, & authori ſe crediderunt, ac tradiderunt, quis inquam erga tam inauditam domini in hos illos benignitatem, eorundem animus eſſe debeat? Dederat illis eadem antea in patre, ſed ſua ille inobedientia reſcidit tantæ donationis ſyn

nis ſyngrapham, Magna ea fuerat, etiam ſi hic ſubſtitiſſet, in illos omnes, Domini, immenſaq; liberalitas, & benignitas, Addidit etiam ſecundo illis dare eadem, immo, multo auctiora, in proprio filio, quem a ſua illa dignitate exinanitum, pro reuocandis ad ſuam ipſorum tantam ſalutem ſeruis illis nequam, & contumacibus, etiam in mortem tradidit. Fac primam illam donationem, ſuum ſortitam fuiſſe effectum, nempe, præſtante illorum patre, quod exegerat dominus, ita quidem minori cum labore, ac facilius, illi, nexu ſeruitutis liberati, perueniſſent, ad libertatis, hęreditatis herilis, & filialis adoptionis gratiam: ſed non, ad tam excellentem, tamq; eximiam, nec ita cumulatam, tam multis, tam inauditis, tam ſtupendis dominicæ in ſe benignitatis teſtimonijs, & beneficijs: adeo, ut ipſis multo fuerit expetibilius, paterna culpa, atq; ingratitudine reſciſſam donationem ipſis factam, in illo ipſo ſuo patre, quo eandem multo cumulatiorem, & cum tam immenſæ erga ſe benignitatis dominicæ beneficijs, & indicijs acciperent in herili filio: ab eo ipſo, fraterno, et amore, et loco habiti, & coheredes paterni ſui regni aſcripti.

Ad exemplum prædictũ clare explicatur, & lapſus humani, generis in origine, & reparatiõis in Chriſto, forma, & myſterium.

Ad hoc exemplum, ſi expendas conditionem humani generis, inuenies eſſe, de quo, deo, etiam in hac ipſa lapſus originis noſtræ, ad noſtram longe maiorem, & utilitatem, & dignitatem, & immenſiſſimæ ſuæ erga nos charitatis commendationem, diſpenſatione, teneamur maximas, & perpetuas gratias agere: non eſſe, de quo quiſquam, cum eodem, iniuſtitiæ expoſtulet.

Vnius diuinæ bonitatis fuerat, quod ab ęterno conſtituerit Deus, humanum genus condere, quo ſuæ beatiſſimæ bonitatis, eidem adherendo fieret particeps. Creata itaq;

itaq; eius generis origine,ac ſtipite,corpore quidem terreno,& quod ex ſuæ naturæ ratione,infirmitatibus corruptioni, & morti eſſet obnoxium, & ſuis naturalibus ſcateret affectibus nec minus oneri cuidã,impedimentoq; foret, ſibi cõglutinatæ aię,& ea conditione, ſocietatiſq; fœdere illi colligatę,et cõpoſitę,ut niſi per ipſum, uelut attributa ſibi inſtrumenta,& organa,uires ſuas,& actiones explicare nõ poſſet in homine. Iſtiuſmodi quidem corpore,ex limo corruptibilis terræ, cui animam inſpirauit, uitæ ſpiraculum, creauit,natura quidem corruptibilem, & mortalem hominem,ſed quem,donis ſupernaturalibus copioſe exornauerat,& ſuperueſtiuerat,per quæ,nec infirmitati,nec corruptioni,nec morti, quamuis natura corruptibilis,& mortalis, fuiſſet obnoxius,non laboraſſet, in implendis iuſtitiæ operibus,ob carnis cõtra pugnantis, & naturaliter appetentis ſibi amica,ſuauia,ac delectabilia , affectus,& deſyderia:ſed dono ſupernaturalis gratiæ,abſorpta fuiſſet infirmitas naturæ iſtiuſmodi. Et qui nunc ſecundum naturæ rationem, in omnium rerum profundiſſima ignoratione, in lucẽ editi,a ſenſuum adminiculo neceſſario inchoantes , ad noſtri ipſorum,aliorumq; cognitionem uix obſcuram,præſertim, illorum inuiſibilium,immortalium,ac cœleſtium, ad quæ ſola perfruenda,conditi ſumus,tarde, difficulter,& magno cum labore peruenimus,ille,noſtri generis origo,ſupra naturæ ſuæ rationem diuinitus illuminatus, citra omnem laborem accepit:& hæc uniuerſa , tam diuitis, exuberantiſq; ſuæ liberalitatis,& gratię ſupernaturalia dona,illi contulit, & filijs eius uniuerſis in illo :inſuper, & ſui regni, deſtinauit conſortium , ſi ante exiguæ tentationis certamine probatus (in quo, nullo labore,in tanta gratiæ diuinæ opulẽtia,tanta domeſticæ, atq; inteſtinæ pacis ſecuritate, nullo naturali affectu inclinatus,aut tractus,nulla rei ſpecie obiecta

Conditio.

lectamento, aut illecebra, illectus in id, quod erat uetitum, ſed tantũ malæ credulæ uxoris amore impulſus, potuiſſet uictor euadere) obedientiam ſuam demonſtraſſet: ut ſaltẽ, qualicumq; illo merito, & uictoria, tam eximia illa dona, ſibi confirmari obtinuiſſet, & poſteris. In quo tam leui certamine, cum Dei conditoris ſui, cuius tantam in ſe beneuolentiam ſenſerat, tam opima, tam præſentia beneficia acceperat, tam repente oblitus, uxoris illi amorem pręferens, ſe ita geſſiſſet ignauiter, ita turpiter uictus, & a Dei ſeruitute, atq; obedientia recedens, ſe ſubmiſiſſet diabolo, iam illius tam eximiæ in ipſum, & nos donationis, non confirmata, ſed reſciſſa eſt ſyngrapha, atq; eius loco ſcriptum illud, nobis contrarium (quod poſt Chriſtus cruci affixit, & ſuo ſanguine deleuit) mortis, damnationiſq; chyrographum. Et ille quidem continuo poſt præuaricationem, miſerum ſe, & nudum, donis illis ſupernaturalibus, tam eximijs (quibus naturæ eius calamitas, atq; infirmitas ſuperueſtita fuerat) ſpoliatum, una cum miſera uxore inuenit: omnibus naturæ ſuæ ſubiectum incommodis, infirmitatibus, & miſerijs: domi, foriſq; ſentiens infeſta omnia, morti in ſe apertuiſſe regnum, & a uitæ beatæ regno ſe feciſſe extorrem, & exulem, In quæ mala uniuerſa nos, ille, una ſecum inuoluit. *Lapſus.*

At non quieuit, hic diuina erga nos benignitas, & miſericordia, ſed quæ ſemel donauerat nobis omnibus, in noſtri generis origine, infirmata, ac reſciſſa illius culpa, atq; inobedientia, eadem, ſed multo auctiora, propoſuit, & donauit nobis in ſuo filio. Quem tandem huius tam obuiæ, tam inauditæ liberalitatis, miſit & authorem, & mediatorem, & nuncium, ſeruili forma, ac habitu: quo ita uelut conſeruis, ſe offerret, atq; inſinuaret familiarius, & perſuaderet efficacius, reuerti ad pijſſimum, & miſericordiſſimũ *Reparatio in Chriſto.*

dominum: oblatam ab eo tantam tam gratuitam ſalutem, tot, tantorumq; bonorum cumulum gratanter accipere, & obuijs ulnis amplexari, tametſi non ignoraret, qua indignitate ipſum excepturi forent ſerui illi omnium ſceleratiſſimi, atq; ingratiſſimi, in quos præ alijs ſingulariter, plura, maioraq; beneficia contulerat. Qua in re, ille patri obediẽs ad mortem crucis extitit, Quam, & eidem pro noſtra recõciliatione, ſui in nos amoris affectum, nobis conteſtatum faciens, obtulit: & ille benigniſſime, ac gratiſſime acceptauit.

Tu igitur, quiſquis es, cogita, & expende ad exemplum propoſitum, num maiores debeamus deo gratias, quod ſalutẽ nobis datam in origine, atq; eius culpa reſciſſam, eandem, ſed auctiorem, ſecundo addiderit offerre in proprio filio, atq; eo modo offerre, quo dictũ eſt, ut nihil ad ſuam charitatem erga nos commendandam potuiſſet addi, q̃; ſi eadem, effectum ſuum etiam in nobis ſortita fuiſſet, in perſiſtente origine? Et an non multo expetibilius nobis merito eſſe debeat, eam non accepiſſe, quamuis datam, in origine, quo iterũ, & ſecundo, maioris cum diuinæ erga nos beneuolentiæ ſignificatione, & multo cumulatius donatã eandem, quamuis maiori cum labore noſtro, & difficiliori certamine (in quo ſuam labor mercedem, & uictoria coronam accipiet) acciperemus in Chriſto?

Concluſio de peccato originis, quid ſit.

Vt itaque reuertamur ad inſtitutum, Peccatum originale, eſt peccatum originis humani generis, Adę uidelicet, quo, et ſe, & nos regno cœleſtis illius Hieruſalem (in quod, in ipſo, & cũ ipſo certa lege, & conditione aſcripti eramus) exortes fecit, & mortis regno ſubiectos, æternæq; damnationi obnoxios reddidit: atq; omnibus humanæ naturę calamitatibus, & miſerijs, a quibus ſuperabundantia donorũ diuinæ gratiæ, nos uindicauerat, & immunes præſtiterat,

una

una ſecum inuoluit. Cuius unius reatu conſtricti omnes, peccatores naſcimur: a quo nos liberat, & abſoluit regenerationis in Chriſto gratia. De quo, ut nullus locus ſit, illi Pelagianæ perconctationi (quæ D. Auguſtino adeo grauis, & difficilis uiſa eſt) ex inducto nũc exemplo, & noſtræ ad ipſum conditionis, ruinæ in origine, & reparationis in Chriſto explicata forma, & elucidato myſterio, clariſſime intelligitur. Nec item, illis queſtionibus perplexis, & plane inexplicabilibus. Quæ culpa, quod peccatum poſſit eſſe animæ adhuc innocentis, ac recens nati paruuli, qui ob nondum acceptum rationis uſum, & liberi facultatis arbitrij, ſub lege nec dum eſt, nec ulla lege obligari poteſt, cuius poſſit tranſgreſſor fieri? Quomodo a parentibus, pręſertim mundatis, & abſolutis ab hoc peccato originis, illud ipſum transfundi poſſit in filios? per quos in eoſdem canales immittatur, & præſertim in recens nati, quæ munda, & pura, a Deo creata eſt, animam? Et quę ſunt huius generis, de quibus quicquid dicitur, cũ intelligimus, uniuſcuiuſq; naſcentium, peccatum originale proprium, nihil quod, aut dicenti, aut interroganti ingenioſo ſatisfaciat dicitur: immo, cum exacte excutitur, clarę ueritati contradicere inuenitur, quicquid dicitur.

Et hæc mihi fuiſſe uidetur, ueterum omnium ante Pelagium, atq; adeo Auguſtini, in uniuerſis, quæ ante illum eundem ſcripſit, & frequenter etiam in poſterioribus, quando ad difficultates, per eiuſdem rationes ingeſtas, non reſpiciebat (quæ tamen nobis prorſus nullæ ſunt, ad propoſitum exemplũ reſpicientibus) certa, & indubitata ſentẽtia. *Conſentiẽs ueterum etiã Auguſtini, priusq̃ prodiret Pelagius, ſententia, cum iam explicata ſententia*

Itaq;, cum libro, de duabus animabus Manicheum fingentẽ, duas animarũ naturas contrarias, bonã unã, & malã alteram, quodam loco hac queſtione cõcluſiſſet, utrũ illud malum animarum genus, antequam bono miſceretur, ha-

buerit aliquam uoluntatem: ſine qua, nec peccatum habere, nec mala eſſe potuerit: ſentiens idem a Pelagianis aduerſus originale peccatum induci: lib. I. retract: hoc pacto inducit, & ſoluit obiectionem iſtiuſmodi. Cur ergo, inquiunt, peccatum dicitis paruulorum, cum uoluntatem non teneatis reum? Quia, inquit, non proprietate uoluntatis, ſed origine, eos teneri reos dicimus. Porro autem, Adam, utiq; uoluntatem habebat, qua cum peccaſſet, peccatū intrauit per eū in mundū. Vides ut dicat paruulos reos teneri, non proprio, ſed originis, hoc eſt, Adæ peccato, quod libera ille uoluntate commiſit.

Ita quoq;, q̄d alibi dixerat, Peccati reum teneri quenq̄, qui hoc non fecit, quod facere non potuit, ſummæ iniquitatis eſſe, & inſaniæ, cum intelligeret etiam hoc, a Pelagianis induci aduerſus catholicam, de originali peccato ſententiam, ita nos interrogantibus, Cur ergo paruuli, rei teneantur: ita reſpondet eodem libro retracta: Quia eius, nempe, originis peccato rei tenentur, qui non fecit, quod facere potuit, diuinum ſcilicet mandatum ſeruare.

Similiter ſubiungens eodem loco, hanc ſuam de malis Manichei animabus, a ſe dictam alicubi ſententiā (Illę animæ, quicquid faciunt, ſi natura, non uoluntate faciunt, id eſt, ſi libero ad faciendum, & non faciendum, motu animi carent, ſi deniq; ījs, abſtinendi ab opere ſuo poteſtas nulla conceditur, peccato earum teneri non poſſumus) Propterea, inquit, non perturbat de paruulis queſtio, quia ex illius peccato rei tenentur, qui uoluntate peccauit, quando libero, & ad faciendum, & ad non faciendum, motu animi non carebat, eiq; ab opere malo abſtinēdi ſumma poteſtas erat.

Vides in hījs omnibus, quod illud originis peccatū dicat. Nō equidē uim illā cōcupiſcibilē carnis, quā naturaliter ſecū trahit unuſquiſq; naſcentiū, ſed illud unū peccatū

unius

unius Adæ, quod ille libera uolũtate cõmiſit: & cuius reatu, conſtringuntur omnes eius filij.

Ita quoq; in epiſt. ad Hilarium, aduerſus Pelagianos: probans omnes Adæ filios, etiam paruulos, mortis, damnationiſq; reos teneri, prolixe inducit, quem, & nos paulo ante induximus, ad Romanos locum Apoſtoli, diligenter in eo annotans, ut perpetuo, unum, cum uno, idem ille cõponat, & ex uno, unius Adæ delicto, non ex cuiuſq; proprio, prolatum in omnes damnationis iudicium affirmet. Quid enim eſt, inquit, ex uno in condemnationem, niſi illo delicto quo deliquit Adam? Quod unum, omnibus ad condemnationẽ docet ſufficere, ut cui, damnationiq; eius, uniuerſa carnalis propago, & generatio, quæ ab illo primo ducit originem, exiſtat obnoxia: & tota epiſtola, ſecundum clariſſima uerba Apoſtoli, unum unius delictũ dicit, quod ſingulis remittatur, in baptiſmo: peccata, ſiquidem, quæ iã dudum tranſierunt in præteritum, nec ſunt amplius, tunc tamen primum dici remitti, a Deo, cum remittitur damnationis reatus, & obligatio, quam per ea incurrimus: conteſtante, hoc per os Dauid ſpiritu ſancto, qui beatos pronuncians eos quorum remiſſę ſunt iniquitates, et tecta peccata, cuius demum peccata tecta, & iniquitates remiſſas habere debeamus, conſequenter explicans. Beatus uir, inquit, cui non imputauit dominus peccatum. Aboleri itaq; peccatũ commiſſum, non, ſui non exiſtentia, (ita enim omne commiſſionis peccatum, cum actu tranſit) ſed cum non amplius imputatur ad damnationem, cui, per ipſum, nos obnoxios fecimus. Sic illud unum unius Adæ peccatum, unde mortis regno, & damnatiõis iudicio, ac reatui ſubditi omnes ſumus, continuo ut commiſſum eſt, in ſe tranſijſſe, deinde, etiam ipſi Adæ, per miſericordiſſimũ dominũ remiſſum fuiſſe, unicuiq; nihilominus noſtrum, in baptiſmo remitti.

Vt unius Adæ peccatum, ſingulis nobis remittatur in baptiſmo.

In eandem ſententiam ſepe ſcribit, & alibi, ut libri primi de pecca. me. & re. cap. ix. Certum inquit, manifeſtumq́ eſt, alia eſſe propria cuiuſq́ peccata, in quibus hij tantum peccant, quorum peccata ſunt: aliud, hoc unū, in quo omnes, peccauerunt, quando omnes, ille unus homo fuerunt.

Et in Enchiridio, cap. xxxvi. Illud tamen unum peccatum, quod tam magnum, in loco, et habitu tantæ fœlicitatis admiſſum eſt, ut in uno homine originaliter, atq́, ut ita dixerim, radicaliter, totum genus humanum damnaretur, non ſoluitur, ac diluitur, niſi per unū mediatorem Dei, & hominum Ieſum Chriſtum, qui ſolus potuit ita naſci, ut ei opus non eſſet renaſci.

In eandem quoq́ ſententiā multa ſcribit cap. xx. libri tertij, de libero arbitrio, iuxta quadruplicem (quas prolixe introducit) opinionem de animarum origine, reſpondens querentibus de iuſtitia, qua puniamur, ob peccatum originis. Sed breuitatis ſtudio, lectorem illuc remitto.

Concluſio de Auguſtini ſententia.

In ſumma (quod ex his demonſtratum uoluimus) etiā ipſe Auguſtinus noſtræ ſubſcripſit ſententiæ, quoties non urgetur, ac premitur difficultatibus ſibi ingeſtis per rationes Pelagij.

De modo damnatiōis cui, ſub ſolo originalis peccati reatu hinc decedentes animæ ſunt obnoxiæ.

De ipſo uero damnationis modo, cui, hinc decedentiū ſub ſolo unius illius peccati originalis reatu, paruulorum animę, ſint obnoxiæ, ſi quis me perconctari pergat. Reſpōdebo, nihil de eo plane certi, compertiq́ me habere, nec reperiſſe in diuinis ſcripturis, aut eccleſiaſticis definitionibus, & dogmatibus, niſi unum hoc, quod ad Chriſti ſocietatē, & regnū non pertinet. Qualis autem ſtatus earundē ſit, & poſt iudiciū erit, ad abſcōdita nobis Dei iudicia pertinere, & proinde nihil de eo temere, a nobis definiēdū exiſtimo.

Auguſtini dura nec admodū

Nec mihi placet Auguſtini, ea de re definitio, & ſententia, qua libro de fide ad petrum (ſi tamen is ille, eius germanus ſit)

ſit) dicit hinc diſcedentium animas, priusq́ ab obligatione illius peccati ſoluantur, neceſſario una cum corpore in quo illud contraxerunt, interminabilia gehennæ ſupplicia ſuſtinere, ubi diabolus cum angelis ſuis in æternum arſurus eſt, &c. ubi cum eo fornicarij, idolis ſeruientes, adulteri, molles, maſculorum concubitores, fures, auari, ebrioſi, maledici, rapaces, & omnes qui carnis opera agunt, ſi ante huius uitæ terminum, a uijs ſuis malis conuerſi non fuerint, æternis ignibus exurentur. *probabilis ſententia, de paruulorum damnatione.*

Hæc inquam, mihi non placet tam dura, ne dicam crudelis ſententia, ut quis æternis ignibus cruciandus, damnetur, ac tradatur a miſericordiſſimo, pijſſimo, & iuſtiſſimo Deo, qui ipſe nihil commeruit, nec ulla in re domini ſui mandatum præuaricatus eſt. Neq; inuenio connumeratos paruulos, inter eos quos horribilis illa ſententia, in die iudicij, perſtrictura eſt. Ite maledicti in ignem æternum, qui præparatus eſt diabolo, & angelis eius. Nam quos ea tenebit, Chriſtus non tacuit, ſed clariſſime, nobis in euangelio expreſſit: eos nempe, qui charitatem non habuerunt, erga Deum, & proximũ, atq; eam neceſſarijs operibus, non cõprobauerunt. Quibus, & dicturus eſt, non, quia de corrupta illa, & peccato ueſtræ originis obnoxia damnationi maſſa prodiſtis, ſed quia eſuriui, & non dediſtis mihi manducare, ſitiui, & non dediſtis mihi bibere, & quæ ſequuntur cætera: quæ uoluntate noſtra propria, commiſſa ſunt: nec in eos competũt, qui ad diſcretionis ætatem, nondum peruenerunt, nec liberi arbitrij uſum adepti, charitatis lege adhuc obligari potuerunt.

Nec ulla ratio iuſtitiæ uidetur admittere, ut damnati pro ſolo reatu peccati originis, ulla pœna ſenſus, aut corporea afficiantur in corpore, qui nihil peccauerũt in corpore, nec membra ſua exhibuerunt, arma iniuſtitię peccato, nec ulla *Nõ habituros pœnam ſenſus aut corporeã.*

ulla inordinata delectatione, ullis illicitis ſe corruperſit carnis deſyderijs: quibus ordinandis, iuſta pœna reſpondere uidetur, corporeæ pœnæ, atq; ignis affligentis acerbitas.

Præſertim, cum nec ab adultis, ad baptiſmum uenientibus, ulla pro peccato originali abolendo exigatur contritio, dolor, aut pœnitentia, ſeu interior, ſeu exterior: qualis exigitur pro hijs, quæ illi, propriæ uoluntatis malicia, propria peccata ſuperaddidimus. Quis enim exhortetur aliū, ut de eo quod non cōmiſit, nec, ut cōmitteretur ullam cauſam dedit, pœniteat? Vt ſe doleat natū ab Adam? Ita enim ſe doleat natum hominem, qui, niſi ab illo, naſci homo non potuiſſet.

Nec habituros pœnam damni, aut triſtitiā de ſuo ſtatu.

Nec etiam hoc mihi uidetur, habituros illos ullam pœnam internam, rationis, & animi: hoc eſt, triſtitiam de ſuo ſtatu, & illius beatitudinis ſupernaturalis carentia, quam pœnam damni uocant, in damnatis omnium grauiſſimā. Nam ſi illa damni pœna afficerentur, & triſtarentur de ſtatu ſuo, cui iuſtiſſimo diuinæ ordinationes iudicio addicti ſunt, inde ſequeretur, quod inuiti ſuſtinerent diuini de ſe iudicij ſententiam: atq; illi uelut obmurmurarent, atq; inordinatam uoluntatem a diuina diſſentientem haberent. Cū contra uideatur conſtitutum diuina ſententia, ut ubicunq; ceciderit lignum, ibi, & permaneat. Proinde, cum in hac uita, nullam inordinatam uoluntatem habuerint, uidetur nec habituros in ſtatu uitæ alterius: ſed quod de diuino circa ſe iudicio contenti erunt, atq; illum laudabunt, & benedicent in omnibus.

Qualē eorundem ſtatū intelligat.

De quorum ſtatu, qualis futurus ſit, ut nihil compertum habeo, ita & hinc nonnullam coniecturam facio, cogitans a deo factum, quod indubie poſſet facere, nempe, creatos aliquos noſtri per omnia ſimiles, præter communem naſcendi legem, in puris naturalibus, & proinde, rea

tui pec

tui peccati originis non obnoxios:hos,& ſic relinqui,abſq; ullis donis ſupernaturalibus, ulla etiam promiſſione ſuper naturalis beatitudinis,ad eum tantum finem ordinatos,ad quē , natura ipſis data ,poſſet pertingere. Eoſdē nullo pec- cato ſuo coinquinatos, hinc deceſſiſſe.

Horum animas, ſupernaturalem illam beatitudinem non aſſequuturas,ex ſuppoſitiōe, certū accipimus,ut quę, intra ſuæ naturæ limites quieturę ponuntur. Illa autem ſu- pernaturalis eſt, Sed in naturali hominis beatitudine(quæ in optima habitudine intellectus,& uoluntatis earundem, ſecundum modum naturæ ſuæ conſiſteret) acquieſcerent iucunde,& fœliciter:abſq; ulla triſtitia , de eo, quod ſuper- naturali illa beatitudine carerent:immo deum ex toto cor- de,anima,& mente amarent,laudarent,benedicerent,& de eius erga ſe benignitate,ac beneficijs,gratias agerent. Nam eiuſmodi ſtatum aliquem,ego imaginor hinc decedētium, in ſtatu innocentiæ, per regenerationis gratiam, nondum aſcriptorum illi regno Chriſti, & ſupernaturalis beatitudi- nis. In quo,quantum per humanam naturam,etiam libera tam,a corporis huius mortalis ſarcina,fieri poteſt, uelut in paradyſo quodā terreſtri, fœliciter uicturi ſint, de ſortę ſua bene contenti. Vt ſtatus eiuſmodi, non uſq; adeo illis pœ- nitendus,etiam ad uniuerſi perfectionem uideri poſſit per- tinere. Quanquam hac in re,ut dixi, nihil definiti habeam, nec pugnaturus ſum,ſi quis,aut certius,aut uerifimilius ali quid protulerit.

Auguſtini uero , cur non multum me moueat diuerſa ſentētia,inde eſt, Primo,quod nulla ſcripturæ, nulla quoq; eccleſiaſticæ definitionis,authoritate ſubnixam uideo. De inde,quia difficultate ,quæ ſibi uidebatur,rationū quarun- dam Pelagij adactus fuit, etiā ad plane abſurda quædā,& *Auguſtini ſen- tentiæ,cur hac in re , non mul tum tribuendū ſit.*

M pene

pene euidenter falſa deſcendere, unde dicta eius neceſſario conſequebatur ſententia.

Siquidem explicaturus, ut propagatione omnes contrahamus peccatū ex origine, quia in eo peccante nos omnes fuimus, cum ex aduerſo eidem obijceretur, eodem ſane modo, quo in Adam fuimus, fuiſſe etiam nos, in uniuerſis, & ſingulis parentibus noſtris, ab illo primo ad nos uſq; cōtinua ſucceſſionis ſerie. Eadem ergo ratione, etiam in peccantibus illis, peccaſſe & nos, atq; omnia æque omnium illorum peccata, nobis imputari debere, ut unum illud unius Adæ. Hac ratione coactus Auguſtinus, illud ipſum, q̄uis abſurdiſſimum, & falſiſſimum, alicubi uidetur admittere, quanq; cū reſtrictione aliqua, non admodū probabili.

Auguſtini ſententia omnium parentum ſuorum, peccatis omnibus, et nō ſolum, uno illo unius Adæ, obligari paruulos.

Itaq; cap. xlvi. ſui Enchiridij, parentum peccatis obligari paruulos, non ſolum primorum, ſed etiam ſuorum, de quibus nati ſunt, haud improbabiliter dici poſſe affirmat. Illa ſiquidem ſententia, Reddam iniquitates patrum in filios, teneri eos utiq;, anteq; per regenerationem, ad nouum teſtamentum pertinere incipiant. Hoc autem prophetari, cum diceret per Ezechielem, non portaturos filios peccata patrum ſuorum, nec ulterius futuram in Iſrael parabolam illam. Patres manducaſſe uuam acerbam, & dentes filiorū obſtupeſcere, Ideo renaſci quemq;, ut ſoluatur in eo quicquid peccati eſt, cum quo naſcitur: nec ob aliud inſtitutam regenerationē eſſe, niſi quia uitioſa eſt generatio. Dici proinde a Dauid, Ecce in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis, mater mea, in utero me aluit. Non dixit, inquit, in iniquitate, uel peccato, ſed iniquitates, & peccata maluit dicere. Quia pręter unū illud, quod in omnes homines pertranſijt, atq; tam magnum eſt, ut in eo mutaretur, & in neceſſitatem mortis conuerteretur, humana natura, reperiuntur, & alia parentum peccata, quę, etſi non poſſint mutare

naturam

naturam, reatũ tamẽ ſilios obligant, niſi gratuita gratia, & miſericordia diuina ſubueniat. Hæc ibi Auguſtinus. Quæ ſi uera ſunt, miſerrima ſane erit paruulorum, abſq; regenerationis gratia, hinc decedentiũ conditio, quos neceſſe erit, tam multorum, atq; adeo innumerabilium, tam grauium peccatorum, tot parentum ſuorum ſupplicia luere. Et tanto quiſq; deterior erit, quanto poſterior naſcitur, Quanquã dubitet, an ſingulorum parentũ ab Adam, ad nos uſq; malis actibus, & multiplicatis delictis originalibus, implicentur filij: an uero, propterea Deus in tertiam, et quartam generationem, de peccatis parẽtum, eorũ poſteris comminetur, quia iram ſuam, quantum ad progenitorum ſuorũ culpas, moderatione miſericordiæ ſuæ, non extendat ulterius: ne illi, quib: us regenerationis gratia non confertur, nimia ſarcina, in ipſa ſua ęterna damnatione premerentur, ſi cogerentur ab initio humani generis, omnium præcedentium ſuorum parentum, originaliter peccata contrahere.

Vides lector, in quam abſurda, dicta Pelagij, aduerſus originale peccatũ, ratiuncula Auguſtinũ deſcendere coegerit, quamuis aduerſus clariſſimam Dei aſſertionem, qua per Ezechielem, etiam cum iureiurando affirmat, æquiſſimũ ſe omnibus iudicem prebere. Omnes animas, ſuas eſſe, ut animam patris, ita & animam filij, Neminem coram ſe portare iniquitatem alterius, aut pro alia, q̃ una ſua iniquitate luiturũ ſupplicium, ſed anima quæ peccauerit, inquit, ipſa morietur: filium non portaturum iniquitatem patris, quam emulatus non eſt: nec patrem iniquitatẽ filij, cui cauſam non dedit: iuſtitiam iuſti, ſuper eum fore, & iniquitatẽ impij ſuper eũ fore. Et redarguit hac in re, prauam Iudęorum, de diuinis iudicijs ſententiam contrariam. Proinde; qui credere potuit, innocentes paruulos, non ſolum unius Adę, ſed & omnium, ab initio, ad nos uſq; præcedentiũ parentum

rentum ſuorum originaliter, omnia peccata contrahere, & pœnas pro eis debitas luere, ac pendere debere, nihil mirũ eſt, ſi etiam dixit, eoſdẽ interminabilia laturos gehennę ſupplicia. Sed multa idẽ ille alicubi dixit, ui diſputationis coactus, quæ alibi negat, ubi libere ſuam ſententiam explicat: cuiuſmodi, ꝗꝫ plurima, in hoc ipſo, quod nunc tractamus argumento, proferre poſſem: ſed breuitati conſulendũ eſt. Certe huius generis eſſe, hanc ipſam ſuam, de illa tali paruulorum damnatione, ſententiam. capit. xxiij. lib. iij. de lib. arbi. ſatis demonſtrat, ubi reſpondens querentibus, inter quos, in iudicio deputabuntur, & ſuum locum ſortientur paruuli iſtiuſmodi: iuſtos ne, & bonos, qui nihil fecerũt boni: an inter malos, qui nihil ipſi peccauerũt: Reſpondet, non eſſe metuendũ, quin ſentẽtia iudicis, media eſſe poſſit inter præmiũ, & ſupplicium, ubi uita quædam media eſſe potuit, inter recte factum, & peccatum.

Concluſio controuerſiæ. Et hæc, de propoſita controuerſia, mihi pluſquam ſufficere poſſe uidentur, Quæ inter aduerſarios, & nos manſit integra, etiam poſt omne, de eo colloquiũ Vuormatiæ habitum, omnem concluſionem in ea acceptam: quę nos non componit, ſed controuerſiam diſſimulat. Proinde, ut nobiſcum uere conſentiant, neceſſe eſt, ut agnoſcant falſitatem, & abſurditatem, ſuę de tam ferali prauitate naturę noſtræ, quam naſcendo accepimus, ſententiæ: quæ etiam in Deũ creatorem noſtrũ blaſphema eſt, & eius creaturam naturaliter malam, & peccatum facit. Ab illo ſiquidem eſt uniuerſa noſtra, qualiſcumqꝫ eſt, & ſecundum corpus, & ſecundũ animam, natura, quam in lucẽ editi proferimus: nec quicqꝫ in ſe habet, quod Deũ authorem non habeat, Cui, non nato, imputanda eſſet, ſi qua eſſet, eius naturæ, tam deteſtanda prauitas, Qua ſua tam improbabili, tam abſurda ſententia, etiam omnem bene agendi facultatem, conatũ, & poſſi-

bilitatem noſtræ naturæ auferunt, quamuis adiutæ diuina gratia, ut quam imaginantur & docent totam carnē eſſe, & uelut feram quandam indomitam, etiam ſub ipſa gratia, & in ſanctis, toto conatu ſuo repugnare deo, & diuinæ gratię: & uelut naturaliter malam, nulla gratiæ medicina curari, perſanariq; poſſe. Hæc inquam, niſi nobiſcum execrentur, & anatheantizent uelut peſtilentiora, quam ipſa Valentini & Manichei de duabus in nobis naturis, & animabus dogmata, nobiſcum, unius, conſentientiſq; catholicæ, & orthodoxæ fidei, eſſe non poſſunt, Neq; enim ſunt hæc, eiuſmodi, ad quæ, aut cōniuere, aut diſſimulare, nos liceat.

DE FIDE: OPE-
RIBVS ET IVSTIFICATIONE HOMINIS CONTROVERSIA SECVNDA.

QVONIAM quidem, in hoc uelut cardine uertitur, & ex hoc principio pendet, uniuerſa pene quæ inter aduerſarios, & nos eſt, in religione, & fide controuerſia, in hoc inq; dogmate, quod de fide quadã ſpeciali, nos iuſtificante introducũt, quo, uniuerſa pene noſtræ religionis dogmata inficiunt, & contaminant: id ipſum quale ſit, ordinem articulorum confeſſionis eorundem ſequentes, nunc excutiendum eſt. Qua tamen in re (quod in ſequentibus, etiam omnibus obſeruare conabor) ſummã tantum, ſententiæ illorum, quanta potero breuitate, fide, & luculentia perſequar: uerborum, quibus eam, in confeſſione ſua, et apologia eius explicant tenorem, & ſeriem, interim neglecturus, ut in quibus illum ordinem, illum orationis filum, ac lineam, ad ſuum ſcopum perpetuo tenore, & curſu tendentem, & apte currentem, illam rationem, luculentiam, ac uim dialecticã, ubiq; deſyderes: multa uero conuulſa, diſtracta, contorta, decies repetita, horſum, illorſumq; recurrentia, & aculeis, nonnuſquam etiam, apertis plena in nos cõuitijs, & uelut parargis quibuſdam diſtincta, & exornata inuenies. Quod ideo mihi hic magis placuit conſiliũ, Primo, quo ad multa pudenda eorundem, quorum excuſſio, & pertractatio, haud multum momenti, ad rei ſummam afferret, conniuere liceret. Deinde, quo libere, ipſa in ſe dogmata, clarius, luculẽtius, atq; ordinatius, more noſtro poſſemus ita proponere, ut ſtatim intelligeretur ab omnibus, quid in quoq;, inter nos contro

uerſum

uerſum ſit, & quis in una quaque controuerſia, ſtatus ſit: ita excutere, ut quiſque ex qua parte ſtet ueritas, poſſit, & facile, & certo, & euidenter intelligere. Vbique tamen, eam daturus operam, ne in explicandis aduerſariorum, aut ſenſis, aut argumentis rationibuſque, ſeu uim, & induſtriam, ſeu luculentiam, ſeu fidem deſideraturi ſint: aut merito poſſint quicquam callide, a nobis circumſcriptum, inuerſumque cõqueri. Ad propoſitam rem igitur.

Docent per ſolam fidem, a Deo, in Chriſto ſaluatore, redemptoreque noſtro, omnem iuſtitiam, & ſalutem mere gratis, expectare nos oportere, & certo accipere. *Summa doctrinæ aduerſariorum, de iuſtificatione fidei.*

Hæc ſumma doctrinæ eſt, breuis quidem, ſi uerba numeres, at multis magniſque fœcunda myſterijs, præſertim, ut illi ipſi eam intelligunt, atque explicant, tanto equidem perniitioſior, ac peſtilentior, quanto ipſam aſſequendæ ſalutis noſtræ medicinam, ſuo toxico penitius inficit: & nihilominus ſpecioſis, religioſiſque uerbis propoſita, magna ſe probabilitate inſinuat: idque eo facilius, quod noſtræ ſubſcribat pigriciæ, & ignauiæ: ut qui omnes, facile, & libenter, a labore, ac difficultate bonorum operum, ſi nihil, ut hij docent, ad ſalutem momenti habeant, abſolui nos acquieſcimus: ſi in una fide minime operoſa, ſecuriſſimam eiuſdem ſalutis, quam hij inculcant, certitudinem, tenere poſſimus. Quæ hactenus incerta omnibus, & magna cum ſollicitudine, ac timore querenda, nobis propoſita eſt. Quis enim iſtiuſmodi doctrinam, tam facilem, & tam certam aſſequendæ ſalutis uiam nobis demonſtrantẽ, nõ libenter, et utriſque manibus amplexaretur, ſi modo uera ſit? *Quas ob cauſas hæc doctrina ſit ad perniciem efficatior.*

Quam tamẽ quo penitius, & certius intelligas, ſub quatuor fere uerbis, uniuerſa pene eius (quæ multa, & ingentia ſunt) myſteria ſignata, concluſaque notabis. Quorum primum *Sub quatuor fere uerbis, uniuerſa pene eius*

concluſa ſigna taq; myſteria. mum, eſt ipſum fidei uocabulum. Neq; enim, ut communiter loquentes, fidem catholicam, ſed fidem quandam ſpecialem intelligunt, quæ ſolam promiſſionem Dei, iuſtificationis, & ſalutis noſtræ in Chriſto, proprie reſpiciat: cuius characterem poſt excutiemus diligentius.

Fide.

Sola. Alterum, eſt excluſiua particula, quam addunt illi ſuæ fidei. Cui uni, ita iuſtificationis gratiam acceptam referũt, ut opera, etiam quantumuis bona, nihil uelint, ad eandem momenti habere: nullum eorundem, hac in re reſpectum eſſe apud Deum. Quæ tametſi cum mandata a Deo ſunt, propter uoluntatem eiuſdem facere oporteat, non tamen, diuinæ gratiæ, per ea impetrandæ, obtinendæq; gratia.

Gratis. Tertium eſt, in ipſo (gratis) aduerbio. Quod ipſum tamen, & nos recipimus, ſed non ſimiliter, atq; illi intelligimus, Illi enim ita, gratis a Deo per Chriſtum iuſtificationem, & ſalutem expectari, a nobis oportere affirmant, ut ſi quid, ipſi, ea in re, aut eius rei gratia, noſtri operis, noſtræ præparationis, noſtri ſtudij, aut conatus adiunxerimus, hoc ipſum, ad diuinæ gratię iniuriam pertinere intelligant. Sic ſola fide illa ſua, gratis nos iuſtificari affirmant, ut opera noſtra, quæcumq; ea demum, et qualiacumq; ſint, quocumq; pertineant, ad noſtri iuſtificationem, nihil promouere contendant, nec propter illa, eorumue reſpectu, uitam beatam nobis a Deo tribui: nec a nobis ea ſpe, aut fiducia oportere fieri: immo non poſſe a nobis, ſine impietatis nota, ita fieri.

Certo. Quartum eſt, in ſecuriſſima certitudine ſalutis, quam promittunt ſuæ fidei profeſſoribus. Ita enim docent. Omnem fidelem certo ſtatuere oportere, quod propter fidem illam ſuam deo placeat, atq; eundem, patrem propitium habeat.

Iam, & in modo generationis ſuæ fidei, non parũ noui continetur myſterij, Neq; enim uolũt quicq; eius ex nobis pendere

pendere: nihil ſitum in noſtra poteſtate, & arbitrio; nihil ad eandem aſſequendam conferre noſtras præparationes, noſtra opera: immo, nec aſpirare quidem ad eam nos poſſe, ſed uniuerſam ſimpliciter, ex una Dei uoluntate pendere, ut eam cõferat, quibus, ubi, & quando ſibi uiſum fuerit.

Modus generationis ſuæ fidei.

Et hic craſſiſſimam nobis ignorantiam affingunt noſtrę iuſtificationis myſterij, ut in eo proſcribamus Chriſtũ, nec quicq; doceamus, quam uel phariſaicam, uel ethnicã, nudæ rationis, noſtrorumq; operũ, aut legis iuſtitiam, Dei autem iuſtitiã ignoremus. Hic uelut phariſeos, carnaleſq; Iudæos, nos producũt, ſpiritales ſcilicet homines, & qui intendamus in legẽ, uelut in uelatam faciem Moiſi, Et hinc, in hypocritis præſumptionem excitemus, inde uero ad deſperationem adigamus pauidas conſcientias, quod illã nõ doceamus, tam ſecurã ſalutis certitudinem. Affirmant autem a nobis imprudentiſſime doceri, quod homines, rei irę æternæ: mereantur remiſſionem peccatorum, per actũ dilectionis Dei, Integras quoq; humanæ naturæ uires, a nobis attribui, ad diligendum Deũ ſuper omnia, uniuerſaq; eius mãdata implendum, abſq; ſpiritus S. gratia, Breuiter, a nobis doceri, ne Chriſto mediatore, aç propitiatore utãntur homines: & per ipſũm, gratis ſe accipere remiſſioné peccatorum intelligant.

Quæ catholicis affingãt in hac controuerſia.

Quæ, quo candore in nos congerant, & his traducant, apud ſimplicem, & harum rerum ignarum, ſibiq; plus ſatis credulum populum, quo omnes intelligant, & ipſi, & cæteri, doctrinæ, hac de re, noſtræ ſumma, quantũ fieri poteſt, & paucis, & luculenter exponenda eſt. Quod, quo certiori methodo fiat, quandoquidem hæc nunc inter aduerſarios, & nos queſtio, præcipue cõtrouertitur, an ſola nos fides iuſtificet, ante oĩa recte intelligere oportet, uniuerſa quę in ſe complectitur queſtio, quæ, quoniam de fide querit, et iuſtifica-

Explicatio doctrinæ orthodoxæ, & catholicæ de propoſita controuerſia.

N

ſtificatione hominis, duo hęc in primis explicanda ſunt, & quid fidem audientes, aut loquentes intelligamus: & quid iuſtificationem hominis: quoue modo, quibuſq; medijs, ea ipſa in nobis peragitur. Et quia fidei uocabulum, nequaq; ſimplex, ſed multijugum, & uariũ, in diuinis ſcripturis (ad quarum normam, & rationem, hic nobis loquendum eſt) inuenimus, ante nobis ea explicanda diligenter eſt, & diſtinguenda multiplicitas: ne quod uni ſignificatorum eius a ſcripturis uere tribuitur, nos ipſa æquiuocatione decepti, (quam aduerſarijs, in multis nouitiorum ſuorum dogmatum, erroris cauſam inuenio) male attribuamus alteri: aut de alio ſignificatorum eius, illi, de alio loquentes nos, Andabatarũ more dimicemus in tenebris, & nihil aliud, quã uerba profundamus in uentum, abſq; ullo ſcopo aberrante diſputatione noſtra uniuerſa. Proinde ad rem.

Fidei multiplicitas in ſcripturis explicatur, & diſtinguitur.

Eſt nonnunquam fides in ſcripturis, ipſa conſciẽtia, intus dijudicans, quid uerum aut falſum ſit, in his, quæ agũtur: quid ſimulatum, fucatumq;, quid ſyncerũ, ac ſimplex, Quo ſenſu Paulus, Quicquid, inquit, ex fide non eſt, peccatũ eſt, Ex fide, idem, quod ex ueritate, & ſynceritate conſcientiæ intelligens.

Fides conſciẽtia.

Eſt & fides, conſtantia in præſtando, quod quis promiſerit, quaſi fiat, quod dictum eſt, quæ eſt etymologia uocabuli, ut idem Paulus, Quid enim, ſi quidam eorum non crediderunt, numquid infidelitas eorũ fidem Dei euacuauit? Hoc eſt, Si non ſteterunt illi in his, quæ deo promiſerant, nũ itẽ ſuis promiſſis nõ ſtabit Deus? Et rurſus, Si nõ credimus, ille fidelis permanet, negare ſeipſum non poteſt.

Fides, in præſtãdo promiſſo conſtantia.

Ad propoſitũ uero propius, Eſt, & fides uſitatiori ſcripturæ, & eccleſiaſticis ſcriptoribus, uniuerſæq; Chriſti eccleſię more, ſecundũ quam Chriſti fideles dicimur, nempe, is habitus animi, quo certo, & abſq; ulla hęſitatione aſſentimur

Fides, quæ credimus reuelatis a deo oĩbus

timur ijs,quæ a Deo, ſalutis noſtræ cauſa, eccleſiæ ſuæ reuelata ſunt;ſeu ſcripto illa, ſeu uiuæ uocis oraculo, uiuaqꝫ traditione,aut Chriſti,aut Apoſtolica,eadem acceperit:& uelut per manus a patribus in filios,magno ad nos cõſenſu perduxit, Cui,& de ſcriptis, & de non ſcriptis, ea in re credimus.

Hanc nos fidem,more orthodoxorum patrum,appellamus catholicam. Eſt enim omni aſcripto Chriſti familiæ prorſus neceſſaria:& ſine qua, nemo ullam, cum eo familiaritatem,aut cognationem prętendere poterit(De his loquor,qui uſum rationis adepti,etiã huius fidei aſſequendæ facultatem aſſequuti ſunt) Ea nempe, de qua Apoſtolus,quod ſine fide impoſſibile eſt,placere Deo, Impoſſibile,inquam illi,cui quæ credenda ſunt, ſufficienter promulgata ſunt, De qua etiam Chriſtus,cum certam damnationem,non credentibus,denunciat,Quæ,de habitu illo,non actu fidei,certũ eſt intelligi: cũ ſine actu fidei,Deo placere nos poſſe, ſeu dormiẽtes, ſeu aliud agentes, indubitatũ ſit. *Hæc, cur catholica.*

Eſt autem huius generis fides quædam, quæ ex nobis eſt,& a nobis exigitur,Eſt,& altera quædã,quæ illi a Deo ſuperfunditur, Acquiſitã,et Infuſam,ſchole uocãt, Vtrãqꝫ, idem diſtinguit,atqꝫ explicat Apoſtolus, Siquidẽ ad Romanos,docens ſingulos quoſqꝫ fidelium,membra eſſe unius Chriſti corporis, nec omnes unum, ſed ſinguli propriũ: habentes donationes ſecundũ gratiam, quę data eſt nobis, differentes: ſecundũ quas, ut hic,oculus,ille auris,lingua, manus,aut cæterorũ,quæ nobiliora,& honeſtiora ſunt,ita alter,ex his,quæ inhoneſtiora eſſe uidentur, toti nihilominus corpori neceſſaria, ſit membrum aliquod, & unumquodqꝫ, ſuum opus exerceat: Suborienti hinc tacitæ queſtioni occurrens, qua merito interrogare quis poſſet, num membrorum quodqꝫ, ut hoc ſit, an illud,ex nobilioribus *Acquiſita. Infuſa.*

inq;,an ignobilioribus illis,aliquid cauſæ præſtiterit:an uero ex ſola Dei uolũtate id uniuerſum pendeat,addidit apoſtolus,donationes illas differentes,prophetiam,miniſteriũ, & reliqua illa gratiarum dona,cuiq; donari ſecũdum analogiam,hoc eſt,rationem,aut menſuram fidei:qui tamẽ alibi,ipſam etiam fidem,inter eadem illa dona gratuita numerat,dicẽs,Alij datur fides,in eodẽ ſpiritu, De qua,& Apoſtoli,cum orarunt dominum,dicentes. Auge in nobis fidẽ, Alia eſt autem fides,quæ a nobis requiritur, & ſecundum cuius menſuram, Deus ipſa nobis elargitur dona gratiarũ, Alia uero,quæ inter illa ipſa cõputatur dona gratuita,quã nobis largitur ille,ad menſuram illius prioris fidei, pro utilitate eccleſiæ,& ſuæ uoluntatis beneplacito. Neq; eſt hęc, ea catholica, omnibus membris Chriſti corporis neceſſaria,ſed alij,inquit,membrorum datur,non membris uniuerſis,& ſingulis,quemadmodũ,& prophetia,& cætera, quæ enumerat dona gratuita,miniſterium,doctrinam,exhortationem,& quæ ſequũtur,Quæ noſtræ poteſtatis non ſunt, quatenus gratuita, & deſuper donata ſunt.

Variæ differentiæ fidei catholicæ.

Ad idem hoc genus fidei, nempe catholicæ,uariæ illi fidei differentiæ pertinent,quæ in ſcripturis occurrũt,ſecũdum quas,quædam infirma,quædam ſana,quędam modica, quædam magna, quædam perfecta, quædam mortua, quædam uiua fides dicitur,

Infirma.

Infirmam quandam eſſe fidem Apoſtolus oſtendit, cum dicit, Infirmantem autem in fide,aſſumite,non in diſceptationibus cogitationum. Quod ſi eſt infirmitas, eſt ſine dubio, & ſanitas fidei : ſicut, & in alijs, idem oſtendit Apoſtolus, cum dicit, Increpa illos acriter, ut ſint ſani in fide.

Sana.

Sana itaq; fides dicitur, quæ perfecta, poteſt capere omnia, nec in ullo Dei uerbo ſcandalizatur,

Modica.

Modicæ fidei ſæpe arguuntur, & accu-

ſantur

ſantur a Chriſto Apoſtoli, & ſingulariter Petrus: cum eius mandato ſuper undas ambulãs, dubitare cœpiſſet, & ipſa, cum dubitatione mergi. Magna fides prædicatur, duorum hominum gentilium, uiri nempe, et mulieris. Vt illius centurionis, de quo miratus Chriſtus, ita dixit ſequentibus ſe turbis. Amen dico uobis, nec in Iſraël tantam fidem inueni. Illius quoq; Chananeæ mulieris, quam, ut gentilem, tentandi gratia, connumerabat canibus: cui conſtantis, & perfectæ fidei teſtimoniũ perhibens, o mulier, inquit, magna eſt fides tua, fiat tibi ſicut uis. Mortuam fidem. Iacobus pronunciat, frigidam, torpentem, & quæ charitatis fructibus deſtituta eſt. Vnde e contrario conſtat, uiuam eam fidẽ dici oportere, quæ per dilectionem operatur.

Magna.

Mortua.

Viua.

Hæc inquam uniuerſa, ſeu differentiæ, ſeu qualitates, conditiones, modiq; eius ſunt fidei, quam catholicam diximus: eius nempe habitus animi, quo firmiter aſſentimur deo, & ijs uniuerſis, quæcumq;, de inuiſibilibus illis, ac cœleſtibus bonis, medijſq; perueniendi ad eadem, a Deo, per patriarchas, Prophetas, Chriſtũ deniq;, & Apoſtolos, ſucceſſoreſq; eorum, nobis reuelata, annunciataq; ſunt.

Et hæc, etſi rationis, proprie uirtus uideatur, eam nempe dirigens in finem proprium, & regula illi exiſtens, qua uerum a falſo diſcernat, nihilominus tamen, magna ex parte, a libera noſtra uoluntate dependet.

Fides catholica, ut non ſolius rationis, ſed etiam uoluntatis, uirtus ſit.

Primum, quia humilitatis germen eſt, qua, ſuæ quis rationis, ad inuenienda, & compræhendenda, ea quæ ad uitã illam beatam ſunt neceſſaria, imbecillitatem intelligens, intellectum ſuum Deo prorſus ſubijcit: ſibi derogat, illi uero attribuit honorem ueritatis infallibilis: nihil dubitãs, ab illo hæc petenda eſſe, & firmiſſime tenens uerum, quicquid ab ipſo reuelatum fuerit, etiam qualecunq; id, ſeu ſenſibus, ſeu rationi ſuæ uideretur; captiuans uidelicet eandem, in

Ratiõis fides humilitatis germen.

Animi firmam in Dei ueritatem, fidutiam, precipuam eſſe partem fidei catholicæ, et fidem maxime dici in ſcripturis.

obſequium ſidei.

Deinde. Quia huic ſidei, & rationis, mentiſq; aſſenſui, quo perfecta ſides dici poſſit, adiuncta eſſe debet etiam animi, certa quædam, firmaq; ſiducia, qua dei uerbo, ueritatiq; ita innititur, ita fidit fidelis anima, ut abſq; ulla heſitatione, quicquid illud ſit, uelut ſi manibus teneret, certum habeat. Qua nihil dubitaret, ſi Deus diceret, uel ſuper undas, & maris fluctus currere. Quæ non eſt æqualis in omnibus, etiam ijs, quibus illa rationis fides, equalis eſt.

Huic fidei, opponi timiditatem, & diffidētiam animi.

Cuius exiguitatem reprehendit Chriſtus in Petro, ſuper undas ambulanti, cum illi diceret. Modicæ fidei, cur dubitaſti? Cui opponitur proprie fluctuatio quædam, ſeu timiditas, aut diffidentia animi: proinde etiam ad diſcipulos laborantes, & ſubmergi timentes, in maris tempeſtate, nunc, nempe, continuo antequam modicæ ſidei audiret Petrus. Habete, inquit, fidutiam, ego ſum, nolite timere: nunc uero loco alio. Quid timidi eſtis modicæ fidei?

Eam ubiq; exactam a domino, ab his quos gratia ſanitatū impertijt. Eandem efficacem orationem facere.

Hęc eſt ea fides, non ille rationis aſſenſus, illa credulitas, quam ubiq; requirebat dominus, ab ijs, quos gratia ſanitatis impartijt. De hac idem loquebatur, cum diceret. Confide filia, fides tua ſaluam te fecit. Eadem hęc eſt, quę efficacē orationem facit, & quam Chriſtus, & Iacobus, in oraturis exigunt, Ille cum dixit, Omnia quæcumq; petieritis in oratione, credentes, accipietis. Hic uero. Si quis ueſtrum indiget ſapientia, poſtulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei, poſtulet autem in ſide nihil heſitans.

Eidem uirtutē miraculorum, proprie tribui

Eadem quoq; eſt, cui uirtus miraculorum, & a Chriſto, & a Paulo tribuitur: ab illo, cum Apoſtolis de ſiculnea, ad Chriſti uerbum cōtinuo areſacta admirantibus, etiam cum affirmationis ſingularis emphaſi diceret. Amen dico uobis, ſi habueritis fidem, & non heſitaueritis, non ſolum de ficulnea facietis, ſed &, ſi monti huic dixeritis. Tollere,

ſere,& iacta te in mare,ſiet. Et omnia quæcunq; petieritis in oratione credentes,accipietis. Paulus uero,cum etiã hãc ſidem,ſine charitate nobis inutilem ad ſalutẽ,in prima epiſ. ad Corinthios affirmat. Et ſi habuero,inquit,omnem fidẽ, ita,ut montes transferam, charitatem autem nõ habuero, nihil ſum.

Et quamq; iſta fides,hoc eſt,illa certa animi in Dei uerbum,ac ueritatem fiducia,toto genere,diuerſa res ſit,ab illo aſſenſu mentis & rationis,in ueritatem credibilium, utrãq; tamen,uelut partes ſui quaſdam, in ſe complectitur fides catholica:quã,uniuerſa anima,nõ ſola ratio,diuinę ueritati firmiter innititur, & utraq; pars,totius,hoc eſt,fidei, ſimpliciter nomenclaturam obtinet. Tametſi hæc eius pars, quæ animum,hoc eſt,uoluntatem,aut partem illam noſtri imperioſam,& dominantem, ſed magis,fluxam,& inſtabilem,in eandem firmat, fiducia inquam iſta,in pleriſq; non ita fortis ſit,ſed infirma, & modica:in alijs autem perfecta. Nam hac maxime ſui parte,incrementa, profectuſq;,fides ſuſcipit:cum altera illa, quæ rationis eſt, fere ſit æqualis in omnibus,ut per quam,uniuerſis à deo reuelatis, fideles omnes credimus. & æqualiter credimus,quia certo,& firmiter credimus.

Fidem catholicam,utrãq; illam,uelut partes ſui comprehendere,ut perfecta ſit.

Qua parte fides maxime crementa profectusq; ſuſcipiat.

De perfecta autem, utraq; hac ſui parte, Apoſtolus ſe loqui ſignificans. Si habuero, inquit, omnem fidem. Omnem dicit,hoc eſt,utraq; ſui parte perfectam,et non ſolum, illum rationis aſſenſum credibilium, ſed etiam hanc animi fiduciam,aut confidentiã,in Dei ueritatem,cui maxime uirtus miraculorum tribuitur: proinde, & hanc, illi, maioris etiam ſignificationis cauſa,adiungit, & copulat, ita ut montes,inquit,transferant. Hanc fidem catholicam, etiam utraq; ſui parte perfectam, atq; omnẽ,a ſpe, & charitate, diſtingui,ut proprie earundem rationes per ſe euidenter

Fidem catholicam,etiã utraq; ſui parte perfectam,à ſpe et charitate diſtingui.

Fidem Catholicam, etiã utraq; ſui parte pfectam, à ſpe et charitate diſtingui.

euidẽter loquuntur, ita, ubiq; diſtinguũt ſacræ literæ. Nã fide, ueritati Dei firmiter aſſentitur, & immititur uniuerſa anima, Spe, ob conſideratam, perpenſamq; ex fide, eius bonitatem, & miſericordiam, ſperat etiam ſibi, quamuis peccatori, fore propitium. At charitate, illum iam proſequitur amore debito, atq; in eo proximos. Itaq; Petrus, ut fides, inquit, ueſtra, & ſpes, eſſet in Deo, animas ueſtras ſanctificãtes in obedientia charitatis, fides primum eſt, quam ſequitur ſpes, quæ, & alteram quandam fidutiam nobis dat, ab illa quam fidei partem diximus, nempe, reuertendi ad piiſſimum dominum, etiam poſt offenſam grauiſſimam. Cui demum nos coniungit charitatis obedientia, qua noſtras animas ſanctificamus Deo: illi dedimus, atq; addicimus, gratumq; habitaculum facimus. Quod non facit, ipſa per ſe ſides; non ſpes, nata ex fide bonitatis Dei, & erga nos miſericordiæ, qua reuerti audemus, ad eum, quem tam grauiter offendiſſe nobis ſumus conſcij: ſed charitas, & quæ ex ea naſcitur, humilis, & ſollicita erga Deum obedientia, ut Petrus his uerbis clariſſime ſignificat.

Sed, & Paulus Timotheo ſcribens. Iuuenilia inquit, de ſyderia fuge: ſectare iuſtitiam, fidem, ſpem, & charitatem. Iuſtitiæ uocabulo, uniuerſam uitæ ſanctimoniam, ſecundũ diuinas leges intelligens, quæ ex his tribus, fide inquam, ſpe, & charitate dependet. Et rurſus ad Corinthios. Nunc autem manent, fides, ſpes, charitas, tria hæc, maior autem, horum charitas. Tria audis: diſtincta proinde, ut ſint, neceſſe eſt. Et paulo ſuperius, fidem a charitate non ſolum diſtinctam, ſed plane ſeparabilem demonſtrat, etiam illam, quam expoſuimus, perfectam, & conſtantem omnibus ſuis partibus. Si habuero, inquit, omnẽ fidem, ita, ut montes tranſferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum, nihil mihi ad ſalutẽ prodeſt. Nam quod in ea, non ſolum rationis,

ſed

ſed etiam illum animi in ueritatem Dei, firmum aſſenſum, ac fiduciam complectatur, primum ex totalitatis, ut ſic dicam, nota (omnem) quã illi addidit, deinde, ex hoc, quod eidẽ miraculorũ uirtutẽ attribuit, ut diximus, indubitatũ eſt.

Nihilo tamen minus, de hac ipſa fide, nonnuſq; loquũtur ſcripturæ, non ut nuda in ſe, ſecundum unam illam ſuam rationẽ propriã, ſed ut charitatis feruore uiuẽte, actuoſa, ac fructificante: ea inq;, quę (ut alibi dicit Apoſtolus) per dilectionẽ operatur, atq; ita quædã illi tribuuntur, quæ ſoli in ſe, non conueniunt, quemadmodũ paulo poſt explicabimus, quando noſtræ iuſtificationis rationẽ explicabimus.

Nonnuſq̃ ſcripturas de catholica fide loqui non ſimpliciter, ſed uiua.

Recurrit præterea, & altera quædam huius fidei, quę a fidendo deducitur, hoc eſt, fiduciæ, aut confidentiæ ſingularis acceptio, pro ea, quæ ex ſyncero, ardenti, & familiari, mutuoq; Dei amore naſcitur, Quã in eo collocamus, quẽ ſyncere diligentes, nihil dubitamus nos uiciſſim ab ipſo amari, illi nos eſſe curæ, etiã quomodocumq; hic agatur nobiſcum, Nam ex familiari, ſyncero, mutuoq; amore erga aliquem, eiuſmodi in illum fidem, confidentiam, & fiduciam naſci, ipſa rei euidentia teſtis eſt.

Fides quædam aut cõfidentia, quæ ex ſyncero, & familiari Dei amore naſcitur.

Eſt autem hęc fiducia, toto genere diuerſa, ab ea, quam includit, & in ſe etiam cõplectitur illa fides catholica, & cui præcipue miraculorum uirtus adiuncta erat, ubi, & quamdiu ea poteſtas, pro aſſertione ueritatis doctrinæ euangelicæ, neceſſario data erat eiuſdẽ præconibus, apud infideles, quibus ea, argumenti loco erant, quod Deũ authorem haberet, Nam illa, dei ueritatem proprie, pro obiecto reſpicit: hæc, Dei bonitatem magis, ut iam per mutuum amorem, quodammodo noſtra facta eſt, Illa, præcedit Dei amorem, & ab eo ſeparabilis eſt: adeo, ut affirmet Apoſtolus, omnẽ ſe eius generis fidem habere poſſe, etſi charitatem non habeat: hæc, ſequitur charitatem, atq; eius germen eſt, Illa eſſe

Vt hæc differat, ab ea, quã includit perfecta illa fides catholica.

O poteſt

poteſt, etiam in operarijs iniquitatis, & qui in die iudicij, a Chriſto audituri ſunt, quia nunq̃ noui uos: diſcedite a me, de quibus idem ita pronunciat, Multi, inquit, dicent mihi in die illa, Domine domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo demonia eiecimus, & in nomine tuo uirtutes multas fecimus? (argumenta ſane hęc ſunt, omnis, hoc eſt, perfectæ eius generis fidei) Quid tũ deniq̃? Et ego, inquit, tunc confitebor illis, quia nunquam cognoui uos, Diſcedite a me omnes operarij iniquitatis. Poteſt ergo illa fides, etiam omnis, ac perfecta, in operarijs iniquitatis eſſe. At iſta, iuſtorum tantum, & ſanctorũ eſt, qui animas ſuas, per obedientiam charitatis, iamdudum ſanctificauerunt Deo, iuxta ſupra inductam Petri ſententiam, De qua, etiam Paulus ad Romanos colligit, & certos nos reddit, quod nos non confundet, nec fruſtrabitur, ut quæ, ſuæ illius ſecuritatis, certũ, ac fidelem ſponſorem habeat, nempe, amorem Dei, diffuſum in cordibus noſtris, per ſpiritum ſanctũ, qui datus eſt nobis. Eſt ergo hæc, Dei amore, nempe, ſua cauſa, poſterior: unde etiam manifeſtũ eſt, ut ſit hæc fides, diuerſa, ab ea, quæ ſpei coniungitur, & ex ea, proxime naſcitur, qua de diuina miſericordia ſperantes, certo confidimus, pœnitentibus nobis peccatorum, quibus tantam maieſtatem offendimus, & ad eandẽ ſuppliciter, fideliterq̃ recurrentibus, fore propitiũ, Nam illa neceſſario præcedit, ſicut ea, quam expoſuimus, neceſſario ſequitur iuſtificationem noſtram.

Vt eadem, ab ea etiã fiducia differat, quæ ex ſpe naſcitur

Et hęc fere ſunt acceptiones fidei diuerſæ, quas in ſcripturis obſeruare potuimus, hactenus a nobis explicatę diligenter.

De noſtræ redemptionis, iuſtificationis, et:

Nunc de noſtræ redemptionis, iuſtificationiſq̃ myſterio, ut omnium maxime omnibus cognitu, neceſſario aliquanto diligentius pertractandũ eſt, In quo explicando, ſi paulo

paulo prolixiores erimus, tantę rei, tam neceſſariæ, & unde totius ſalutis noſtræ pendet cognitio, cuius craſſiſſimã ignorantiam, ubiq; nobis impingunt aduerſarij, & uereor, ne multis uere nimis impingatur, pius lector, imputabit libẽter, nec lectionis pœnitebit.

ſalutis in Chriſto myſterio.

Repetito itaq; ad memoriam, ex pręcedenti controuerſia, lapſu humani generis in ſua origine, in qua ſalutem acceperat, & regno illi cœleſtis Hieruſalem, in eadem, uniuerſum aſcriptum fuerat, cũ nullis non miſerijs, & calamitatibus implicitũ, & morti, damnationiq; obnoxiũ, nullis ſuis uiribus, nulla ratione inde ſe poſſet eximere, inde ſe eripere, inde emergere, inuenit tamen miſericordiſſimum dominum, qui non longe cõtinuit in ira ſua; miſericordias ſuas: ſed unigeniti filij ſua gratia (quem naturam humanam aſſumere, atq; in ea regnare, ſuper rationalem creaturã, ab ęterno, atq; ante omnia cõſtituerat) miſero iam homini miſereri uoluit, ne regno illi ſui filij, ea ipſa natura deeſſet, quã aſſumpturus fuerat. Addidit proinde in illo, ſecũdo, nobis omnibus offerre eadem, ſed auctiora, & meliora etiam, quę ante dederat in origine, Eadem dico, quæ ad ſupercœleſte illud beatitudinis regnũ pertinent: tametſi utilitatis noſtræ cauſa, & quo ad illud aſpiraremus ardentius, ſubiectos dimiſerit, præſentis huius uitæ miſerijs, & calamitatibus.

Secundo nobis reddita in chriſto, ſed præclariora, quæ ante acceperamus, & perdideramus in origine.

Illum itaq; ipſum, prolapſę iam naturę noſtræ, redemptorem, reconciliatorẽ, ſaluatoremq; ordinat: atq; eius ipſius, in demonſtranda hominibus iam perditis, ſui ipſorum, & creatoris etiam ſui oblitis, & in omnia uitiorũ præcipitia prolapſis, ueritate, ac ſalutis doctrina, obedientiam, ad contumelias uſq;, ad effuſionem pręcioſiſſimi ſanguinis, ignominioſiſſimam deniq; mortem, in crucis patibulo, maximopere ſibi gratam, & placitam, in expiationem noſtræ, & parentum noſtrorum inobedientiæ, ac præuari-

Criſtus, redẽptor, reconciliator, & ſaluator, Et quo modo.

cationis acceptauit, uelut noſtræ redemptionis quoddam precium: atq; eius reſpectu, ac intuitu, impotenti iam ſui, ad iutricem manum porrexit: proſtratum ſubleuare paratus, cum tamen, qui ſubleuari deſyderaret, nec deeſſet oblatę ſibi gratiæ, ſed eam apprehenderet, atq; eius adiutorio reuerti conaretur, ad miſericordiſſimum dominum, & ab eodem ſaluari ſyncere cuperet, & confidenter ſperaret: illius ſui redemptoris, ſaluatoriſq; gratia, non ſua dignitate, & merito, Quod facientibus, clementiſſimus dominus, offenſam, & æternæ mortis debitum, miſericorditer remiſit, & ſpem certam ſalutis, & uitæ illius beatæ, unde excideramus fecit, Quam tum demum adipiſceremur, quando ille ipſe unigenitus eius, Deus homo, illud ipſum perſoluiſſet noſtræ redemptionis precium: quando ille agnus immaculatus ſuo ſanguine diluiſſet noſtras maculas, abſtuliſſet peccata mũdi, & deleuiſſet ſcriptum illud, cõtra nos decreti chyrographum, mortis reatum, damnationemq; continens, & ſua morte, deuicta iam morte, immortali nos uitæ reſtituiſſet.

Non latuiſſe primos illos parentes noſtros, nec eorũ filios, etiã ante legem traditã, hoc noſtræ redemptionis, ſalutiſq; in deo homine myſterium.

Hæc ita ſe habere, ut uniuerſa, utriuſq; teſtamenti ſcriptura, teſtis eſt, ita nec primos illos parẽtes noſtros latuiſſe, hoc ipſum, recuperandæ ſalutis noſtræ, in uerbo incarnando, & poſt incarnato myſteriũ, ſiue illud ipſum, ex Dei uerbis, ad ſerpentem diabolum (cui prædixit fore, ut illa mulier, cuius myſterium Ioannes in apocalipſi nobis apertius explicat, cum eo geſtura eſſet bellum perpetuum, cuius & ſemen, uerbum caro factum, contriturum eſſet caput eius, hoc eſt, illud uenenum, quod ſerpens, præcipue geſtat in capite, reliquo fere corpore innoxius, peccatum inquam, quo ſuo afflatu, ac ſuggeſtione, uelut quodam toxico, humanum genus infecit) ſiue ex apertiori aliqua reuelatione, quæ in ſcripturis non eſt, hoc ipſum intellexerint, intellexiſſe certe, prorſus certum, atq; indubitatum eſt.

Quemad-

Quemadmodum,et a pijs parentibus in filios continua ſucceſſione,uelut per manus traditum,receptumque,etiam ante ſcriptam legem,ante Moyſem,etiam extra nationem, populi Iſraelitici. Iob ille ex filijs Edom,tertia generatione ab Eſau,euidenti argumento eſt. *Ex Iob euidenter conuinci.*

Scio,inquit is,quod redemptor meus uiuit,& in nouiſſimo die de terra ſurrecturus ſum, & rurſus circumdabor pelle mea,& in carne mea uidebo Deum,quẽ uiſurus ſum ego ipſe,& non alius:& oculi mei conſpecturi ſunt. Repoſita eſt hæc ſpes,in ſinu meo. Audis quid dixerit ille. Scire ſe,hoc eſt,pro certo,indubitatoque habere,& credere, quod ſuus redemptor uiueret. Crediderit proinde,per illũ ipſum ſe redemptum,a captiuitate,damnationeque, quam ob peccatum inciderat,neceſſe eſt,utque illi ſalutem ſuam acceptã, retulerit. Quod autem eundem illum ipſum redemptorẽ ſuum, crediderit Deum hominem,eiuſdem illa uerba euidenter demonſtrãt,quę ſubiungit. Et in carne mea uidebo Deum,quem uiſurus ſum ego ipſe, ego inquã ille,qui nũc ſum,& non alius,& oculi mei conſpecturi ſunt. Diuinitatem,corporalibus oculis,ut quis uideat,prorſus impoſſibile eſt,nec rerum natura patitur. At Deum ipſum, redemptorem ſuum ille affirmat, non ſolum ſe uiſurum in carne, (quod nihilominus de mentali uiſione poſſet quiſque interprętari,ac intelligere) ſed ſuis etiam ipſis oculis conſpecturum. Quod, niſi de Deo homine intelligas,euidenter eſt impoſſibile. Illum autem ipſum,ſuis oculis,poſt reſurrectionem generalem(de qua idem ille loquitur)omnes iudicẽ conſpecturi ſunt:& qui regno illi cœleſti digni inuenientur,eius etiam corporalis uiſionis iocunditate ſe oblectabũt perpetuo. Hac ſpe, iuſti,non ſolum, ante Chriſti in carnẽ, aduentum,ſed etiã ante ſcriptam legem, aut prophetarũ oracula uiuebant. Vt mirum non ſit,de hoc ipſo myſterio

Vniuerſum ritum ueteris tabernaculi, hoc myſterium clariſsime exprimere.

plenam eſſe legem, plena prophetarum oracula.

Vniuerſus nempe ritus ueteris illius tabernaculi, illud ipſum, uelut clariſſimis ſignis exprimebat, nempe, remiſſionem peccatorum non fieri, niſi in ſanguine illius, quem Ioannes poſt digito demonſtrabat, dicens. Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi, Itaq; poſtquam ueteri illi populo enarraſſet Moyſes, uniuerſa quę a Deo acceperat, pręcepta, iudicia, ceremonias, in obſequentes eiſdem, benedictionum promiſſiones, & comminationes maledictionum in tranſgreſſores, edificato altari, & in unamquamq; tribũ oblata hoſtia, dimidiam eius ſanguinis partem ſuper altare effudit: & reſidua parte miſſa in cratera, ex eo primum ſparſit in populum, dicens. Hic eſt ſanguis fœderis, quod pepigit dominus uobiſcum ſuper cunctis ſermonibus ſuis. Quin, & ipſum quoq; legis librũ, & tabernaculum, & omnia uaſa miniſterij, ex eodem ſanguine ſimiliter aſperſit, & omnia pene (inquit Apoſtolus) in ſanguine ſecundum legẽ mundantur, & ſine ſanguinis effuſione non fit remiſſio. Hoc ipſum per hæc omnia ſignificante ſpiritu S. niſi in uirtute ſanguinis Chriſti, remiſſionem peccatorum non fieri. Eum autem ipſum, copioſe, & abunde operari, in nobis, & in altari, eiuſq; ſacramento: & in aſperſione, quę fit in populũ, hoc eſt, baptiſmo regenerationiſq; lauacro: & in uniuerſo diuini cultus miniſterio, qui in tabernaculo, atq; eius uaſis exprimitur: & in obſeruatione deniq; mandatorum dei, quæ legis libro continentur. Quæ uniuerſa, ille nobis uult ad ſalutem ualere, non tamen per ſe, nec ſine aſperſione illius ſanguinis. Cuius myſterium, ab ipſo operatum mundi initio, in iugi illo ſacrificio maxime expeſſum eſt, quod cultu, rituq; perpetuo, per ſingulos dies, mane, & ueſperi, offerebatur ad oſtium tabernaculi. Qua clariſſima, atq; euidenti figura ſignificabatur, uerum illum agnum, quem demonſtrauit

Niſi in uirtute ſanguinis Chriſti, remiſsionẽ peccatorum nõ fieri.

Per quæ, uelut media, præcipue operetur uis illa ſanguinis in nobis.

Iuge ſacrificiũ

monſtrauit Ioannes, omnium ſacrificiorum noſtrorum caput, initium, finem, & conſummationem exiſtere.

De hoc ipſo noſtrę redēptionis, iuſtificationis, ſaluti ſq; per Chriſtū myſterio, omnes libri Prophetarū pleni ſunt.

Apud Eſaiam, hæc uox Dei patris, eſt ad ſuum filiū hominem. Ego dominus dedi te in fœdus populi, in lucē gētium, ut aperires oculos cæcorum, & educeres de concluſione uinctum, de domo carceris ſedētes in tenebris. Rurſus apud eundē, in eiuſdē filij perſona. Spiritus domini ſuper me, eo quod unxerit me, ad annunciandū manſuetis, miſit me, ut mederer contritos corde, & prædicarem captiuis indulgentiā, & clauſis apertionem. De quo, & idem ille Propheta diuino ſpiritu afflatus, in hæc uerba erupit. Ipſe uulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra, diſciplina pacis noſtrę ſuper eum, et liuore eius ſanati ſumus. Omnes nos quaſi oues errauimus. Vnusquiſq; in uiam ſuam declinauit, et poſuit dominus, in eo iniquitates omnium noſtrū. Oblatus eſt, quia ipſe uoluit. Sicut ouis ad occiſionem ducetur, & non aperuit os ſuum.

Clariſſima oracula prophetarum, de hoc ipſo myſterio.

Vides quid illis ante Chriſtum, de Chriſto notum fuerit, et noſtræ redēptiōis, ſalutiſq;, in eodē myſterio. Vt ipſum uulnerandū intellexerint, propter iniquitates noſtras, ipſum atterendū propter ſcelera noſtra, ut diſciplinam, hoc eſt, uirgam, aut correptionem, qua nos reconciliati Deo ſumus, quæ nobis pacem cum eo peperit, ipſe perferre debuerit, ut eius liuore, noſtra ſit reparata, & conſtet ſanitas. Vt omniū noſtrum iniquitates, in eo poſuerit Deus, atq; ipſe dependerit pro omnibus. Ipſe ſit datus in fœdus inter Deum, & hoīes, in lucē gentiū, in illuminationē cæcorū, ut educeret uinctos de concluſione, & ſedentes in tenebris de domo carceris, ut per illū captiuis, ab initio ſit annunciata remiſſio, & clauſis apertio.

Nota, quæ de Chriſto ante Chriſtum intellexerint ueteres.

Apud

Apud Zachariam, Deus pater, ſidelem animam, de rege noſtro, ſuo filio homine, ita alloquitur. Exulta, inquit, ſatis, filia Sion, iubila filia Hieruſalem. Ecce rex tuus ueniet tibi iuſtus, & ſaluator, & ipſe pauper, ſedens ſuper aſinã, & ſuper pullum filium aſinæ &c. Et loquetur pacem gentibus, & poteſtas eius, a mari, uſq; ad mare, & a fluminibus, uſq; ad fines terræ. Deinde conuerſo ſermone ad eundẽ regem noſtrum, ſuum filium. Tu quoq;, inquit, in ſanguine teſtamenti tui, emiſiſti uinctos de lacu, in quo non eſt aqua. Audis Chriſtiane Regem tuũ, audis iuſtitiam, ueniet, inquit, tibi iuſtus: audis deniq; ſaluatorem tuũ, ſine quo, nulla tibi ſalutis ſpes eſt: audis poſtremo, ut idem ille, in ſanguine teſtamenti ſui ſoluerit uinctos nos, & funibus peccatorum noſtrorum, & eternæ damnationis reatu, nexuq; conſtrictos, atq; emiſerit e domo carceris, de lacu in quo non eſt refrigerij aqua, ac liberauerit a damnatione perpetua.

De eodem, doctrina apoſtolica.

Proinde, eruiſſe nos Chriſtum, de poteſtate tenebrarũ, ac tranſtuliſſe in regnum ſuum, & reconciliaſſe nos Deo per ſuum ſanguinem, quo uelut precio magno, non uero corruptibili auro, uel argento nos emerit, ſibiq; conquiſierit, & tradidiſſe ſemetipſum pro nobis, oblationem, & hoſtiam deo uiuenti, in odorem ſuauitatis, uniuerſa docet, & prædicat doctrina apoſtolica: quin, et eodẽ eius ipſius ſanguine, emaculari conſcientias noſtras, Sanguis Chriſti (inquit ille) qui per ſpiritum ſanctum ſemetipſum obtulit immaculatum deo, emundat conſcientiam noſtram, ab operibus mortuis, ad ſeruiendum deo uiuenti.

Sanguis Chriſti, noui, & æterni teſtamenti confirmatio,

Hic eſt ille ſanguis, noui, & æterni teſtamenti, quem idem ipſe Saluator noſter effundendum affirmauit, in remiſſionem peccatorum noſtrorum. Aeternum hoc teſtamentum eſt, quo deus pater, noſtri miſertus, in filio, regẹ illius cœleſtis Hieruſalem, prolapſæ inde ſua culpa humanæ

naturæ,

naturę, eiuſdem regni, hęreditatē reſtituit, Sed illud ipſum teſtamentum, ſui filij ſanguine confirmari oportuit, Ante quem effuſum, nullus ad eam hæreditatem admiſſus eſt. Recte proinde, ſanguis ille, noui, & æterni teſtamenti dictus eſt, ante quem effuſum, illud ipſum teſtamentum, plenas ſuas, & integras uires non habuit. Cuius, in Dei oculis gratia, acceptatio, & uirtus, uelut iam effuſi, tametſi, quantum ad iuſtificationis gratiam, operaretur in electis omnibus, ab ipſo mundi initio, nulli tamen ad regnum illud cœleſte patuit aditus, prius, quam idem ille, perſoluto noſtræ redemptionis precio, caput eccleſiæ ſuæ, primus ipſe triū phans, cœlum ingrederetur, ſecum ducens captiuam eatenus captiuitatem.

Et quod teſtamentum illud.

Chriſti ſanguinem, etiam ab initio, operatū in electis, iuſtificationis gratiam, at nō hæreditatis aſſecutionem, ante quā effuſus ſit

Proinde, ſalutaris illius in carnem aduentū, eo uſq; expectabant, ueteris illius eccleſiæ ſancti patres, gementes, & anxij, & has plenas ſuſpirij, & ardentis deſyderij uoces, orationesq; emittebant.

Vtinā dirumperes cœlos, & deſcenderes domine, Rorate cœli deſuper, & nubes pluant iuſtum, aperiatur terra, & germinet ſaluatorem, & iuſtitia oriatur ſimul, Qui ſedes ſuper cherubin, manifeſtare coram Effraim, Beniamin, & Manaſſe: manifeſtare inquam, hoc eſt, manifeſtus in carne appareas. Et iterum, Defecerunt oculi mei in eloquiū tuū, dicens, quando conſolaberis me? Defecit in ſalutari tuo, anima mea, uelut deſyderij impotentiam explicās, quo ardebat illius ſalutaris, eloquij inq;, aut uerbi diuini in carnē aduentum, Orationum euiuſmodi, uniuerſa ſcriptura plena eſt.

Veterū ardens Saluatoris expectatio.

Zacharias autem, iam īncarnato, q̄uis nondum nato ſaluatore noſtro, de hoc ipſo illuminatus prophetico ſpiritu, gratias egit Deo Iſrael, quod iam uiſitaſſet plebem ſuā, atq; eius redemptionem faceret, erexiſſetq; nobis cornu ſa-

lutis,in domo Dauid,ſecundum prædictionem, qui a ſæ-
culo fuerunt,prophetarũ eius:ad faciẽdam, implendamq́;
miſericordiam cum patribus, inquit, noſtris, quæ eatenus
completa non fuerat,ut quorum animæ,nondũ aſſequuta
illa ſalute(quam merito miſericordiam uocat,ut plane gra
tuitam)adhuc detinebantur in tenebris, in loco,ad hoc or-
dinato a Deo,priuatę illo beatificæ uiſionis lumine, Quæ
etiam cauſa eſt, quod ante natum Chriſtum,iuſtorum ho-
minum mors,non ut nũc, leta, feſtiuiſq́; gaudijs celebrata,
ſed anxia ſemper,ac triſtis fuerit: nec ita leguntur leti exce-
piſſe, deſyderaſſeq́; mortem, adhuc deſcenſuri ad tenebras,
& cariture(ut diximus) expectato illo cœleſtis gloriæ lu-
mine.

Cur ante natũ paſſumq́; Chriſtum, iuſtorũ hominũ, mors triſtis fuerit, nec cum deſyderio(ut poſt) excepiſſe mortem legantur.

Ezechias,rex iuſtus,& ſanctus,cũ uocem domini, per
os prophetæ eius audiret, Diſpone domui tuæ, quia mo-
rieris,& non uiues,ad parietem ſe conuertens,& effuſus in
amariſſimas lachrymas, In medio,inquit,dierum meorum
uadam ad portas inferi, nec uidebo dominũ Deum in ter-
ra uiuẽtium,donec ueniat illud tempus, in quo recorderis
mei. At noſtri temporis ſanctorum,hęc uox eſt, Cupio diſ-
ſolui,& eſſe cum Chriſto, Senex ille Simeon, iam portans
Chriſtũ in brachijs,quod proxima adeſſet ſalus,in hoc leti-
tiæ canticum erupit, Nunc dimittis, inquit, domine ſeruũ
tuum in pace,quia uiderunt oculi mei ſalutare tuum, quod
paraſti ante faciem omnium populorum, Nunc,inquit, li-
bens,letuſq́; moriar, nunc non inuitus deſcendo,ad ſocieta-
tem patrum ſedentium in tenebris, & ſolem iuſtitiæ expe-
ctantium,quando illum iam exortum conſpicio, Quia ui-
derunt oculi ſalutare tuum, ſaluatorem, redemptoremq́;
noſtrum.

In Chriſto ergo,iuſtificationis gratiam,ſalutem,& cœ-
leſtis regni hæreditatem nobis redditam,quam in origine,

&ac-

& accepimus, & perdidimus, intellexiſſe etiã ueteres illos patres ante Chriſtum, non ſolum eos, qui legis, & prophetarum oraculis, de hoc ipſo clarius edocti fuerant, ſed etiam ante legem pios omnes, etiam extra nationem Iſraeliticam, traditione, uelut per manus continua, a primis illis noſtris parentibus in filios, ex his ſatis demonſtratũ exiſtimo. Et quod nobis dicit apoſtolus, non aliud nomen, ſub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri, q illud nomen Dei admirabile, inexplicabile, ineffabile, eius ipſius ſubſtantiã, uiua, atq; efficacíſſima ſignificatione exprimẽs, non latuiſſe, nec illos ueteres, Quod nunc uerbum, eloquium, ſermonem, nunc uirtutem, nunc ſapientiam Dei appellabant, De quo, & ille Euangeliſtarum corypheus.

Etiam ueteribus notũ fuiſſe, nõ aliud nomen datum hominibus, in quo ſalutẽ acciperẽt, q̃ illud factum caro.

In principio erat uerbum, & uerbum erat apud Deũ, & Deus erat uerbum: quod ipſum carnem factum affirmat, Et alter, ſermonem omnipotentem Dei, illud ipſum appellat: alter uero, omnium artificem ſapientiam, attingẽtem a fine ad finem potenter, & ſuauiter diſponentem omnia, emanationẽ quandam ſynceram claritatis Dei, & ſpeculum, ſine macula maieſtatis illius, atq; imaginem bonitatis eiuſdem, quæ una, amicos Dei conſtituerit, & conſtituat, Nam per ſapientiam, inquit, tuam ſanati ſunt, quicũq; tibi placuerunt domine ab initio, In hoc nomine, ut ſalutẽ ſemper præcabantur, & ſperabant illi ueteres, etiam antequam nuda de cruce choruſcaret myſterij eius latens ueritas, antequam uelis diruptis, & ſciſſis, quibus obtectus erat Moiſes, ſacroſancta illa ingererentur conſpicienda quorumuis oculis: ita turpiſſimum ſane foret, ſi & nobis ſimiliter faciendum, & multo magis faciendum ignoraremus, in clariſſima luce doctrinæ euangelicæ. Illorum hæc fuit, & oratio, & confeſſio perpetua, Deus in nomine tuo ſaluũ me fac, & in uirtute tua uiuiſica me, Hij in curribus, &

In eo nomine, ut ſalutem ſuã ſemper præcarentur, & ſperarent illi ueteres,

Orationes ueterum.

hÿ in equis,nos autem in nomine domini Dei noſtri inuo-cabimus, Beatus uir,cuius eſt nomen domini ſpes eius, Et rurſus,Exaudiat te dominus,in die tribulationis,protegat te nomen dei Iacob, Item,Letabimur in ſalutari tuo, Quis autẽ ille ſit ſalutaris,explicans,ſubiungit,Et in nomine dei noſtri magnificabimur, De quo iterum,Propter nomẽ tu-um domine,propitiaberis peccato meo,Et alibi bis centies, nunc nomini,nunc eloquio,nũc uerbo Dei , ſalutem ſuam acceptam referebant:& repoſitã in eo cõteſtabantur ſuam ſpem,& fiduciam, Aeque,& nos quęcumq; a deo patre po-ſtulamus,in eodem illo nomine poſtulamus: quod unũ,in ſalutem nobis datum intelligimus: unum , in quo Dei pa-tris erga nos beneuolẽtia inclinet,& reclinet, per dominũ, inquam,noſtrum Iheſum Chriſtum eius filium.

Vt illius nominis ineffabilis, a lxx. ſit explicatum myſterium.

Verbi illius ineffabilis, & nominis inexplicabilis , non ſatis intellectum,adorabat Hebreorũ uulgus,in diuinis ſcri pturis,ſub quatuor literis,nec ipſis quidem rabbinis , ac le-giſperitis eorum effabilibus, myſterium, Quod tamen,ſpi-ritu ſancto afflati,ſeptuaginta illi pręsbiteri interpretes , in Hieremia,quodam loco, nobis dilucide ſatis expreſſerunt, Qui de illius nominis,uerbi,aut ſapientiæ diuinæ, in carnẽ aduentu ex ſemine Dauid,prænuncians,Ecce,inquit,dies ueniẽt dicit dominus, & ſuſcitabo Dauid germen iuſtum: & regnabit rex,& ſapiens erit, Et hoc eſt nomen,quod uo-cabunt eum,ſubiectis in hebraico illis quatuor literis , qui-bus,quod ſignificatur,nomen dei tetragrammaton illi ap-pellant,tametſi eius ignorent, & non intellectum , ut dixi-mus,adorabundi uenerentur myſterium , Id quod,ſeptua-ginta illi,diuinitus inſpirati,hoc loco,ita nobis expreſſerũt,

Dominus,iuſtitia noſtra.

Dominus,iuſtitia noſtra,Quẽ Chriſtũ affirmat apoſtolus, ipſum nempe eſſę iuſtitiã noſtrã, Quod,quo pacto intelli-gamus , ut explicemus paulo clarius (ita enim hoc ipſum

noſtræ

noſtræ iuſtificationis myſterium illuſtrius erit, ſi plane intelligatur, quæ nam ſit ipſa iuſtitia, qua coram Deo iuſtificamur, & iuſti ſumus) de ipſa iuſtitiæ ratione aliquanto altius exordiendum eſt.

In primis, hoc iuſtum dicimus in creaturis, quod exacte reſpondet ſuæ regulæ: & iuſtitiam, exactam ad ſuam regulam correſpondentiam, In Deo autem, eſt iuſtitia, non hæc relatiua (neq; enim aliam extra ſe regulam habet, cui conformari debeat) ſed per eſſentiam.

Vt nemo ſua iuſtitia coram deo iuſtus ſit.

Iuſtitia in { Creaturis / Deo.

Ad hæc, in hominibus, duplex conſiderari poteſt iuſtitia, ſicut duplex inuenitur regula, cui conformari debeant: Altera, qua iuſti ſunt coram hominibus, aut inter homines, nempe reſpondentes legibus, quibus conſtat iuſtum inter homines: ut neminem afficientes iniuria, immo beneuolentia, humanitatis, charitatiſq; officijs proſequẽtes proximos, omnibus in omni ordine, reddentes quod ſuum eſt. Altera eſt iuſtitia, qua iuſti ſunt coram deo.

In hominibus conſiderabilis iuſtitia duplex

Coram hõibus

Coram deo.

Quod tamen trifariam fere intelligere poſſumus. Vel quod noſtra iuſtitia, cum diuina conferatur, & uelut in contentionem reuocetur iuſticia, Sic non iuſtificatur in cõſpectu eius ulla creatura: ut cuius puritate, merito inquinantur omnia: Cuius iuſtitiæ ferendæ nec angeli pares ſunt: cuius fulgore etiam ſol ipſe obtenebratur. Vt meritiſſimo dixerit ille, Nunquid homo, dei comparatione iuſtificabitur? Hoc ſane pacto, in conſpectu dei, ſolus inuẽtus eſt iuſtus, agnus ille ſine macula, de quo in Apocalipſi Ioannes: ſolus in conſpectu patris iuſtificatur ſaluator noſter, & dominus Ieſus, qui nihil fecit, nihil facit, niſi quod pater ſimiliter facit.

Iuſtitiam hominum corã deo trifariam poſſe intelligi.

Per Contentionem

Vel intelligitur homo iuſtificari coram deo, hoc eſt, coram tribunali diuini iudicij, dum regulæ diuinæ iuſtitiæ, qua parte ipſum reſpicit, exacte reſpõdet, Regulam autem illam, diuinam eſſe legem, indubitatum eſt, Porro, & illam

Per correſpondentiam ad ſuam regulam.

Vel illam abſolutam, & perfectißimam.

dupliciter intelligere poſſumus, uel in ſua illa abſoluta perfectione, ſecundum quam, hoc mortis corpus adhuc conferentibus nobis, uelut ſcopus quidã, in quem perpetuo collimare debeamus, ad quem ſemper conari, & nos exercere quo accedamus uicinius, magis proponitur quam ſub obligatione exigitur, tunc cõſummanda, cum euacuabitur, quod ex parte eſt, præſertim in illo primo omniũ, & maximo mandato, quo deus nobis diligẽdus, ex toto corde, tota aĩa, tota mente, totis uiribus proponitur, Ipſe enim nouit figmentũ noſtrum, nec ignorat quoniã puluis ſumus, & proinde, noſtrę fragilitati prorſus impoſſibilia, a nobis non exigit, Pius pater eſt, & miſericors dominus, non immitis, ac rigidus exactor, eorum, quæ uires noſtras, quas ab ipſo accepimus, plane ſuperant, Vel, pro ut illa ipſa diuinæ iuſtitiæ lex, & regula nos reſpiciens, noſtræ infirmitati aptata condeſcendit, & conuenit.

Primo modo, in conſpectu Dei non iuſtificatur omnis uiuens, & mortale adhuc corpus, quod aggrauat animã, circumferens: immo, & iuſtitiæ noſtræ hoc pacto iniquitates inuenientur, & uelut pannus menſtruatæ omnes: plurimumque deficere ab exacta illa abſolutaque iuſticia: non ſolum illa diuina in ſe, quæ nos non reſpicit (neque enim ille tã, aut ſtultus, aut iniquus eſt, ut infinitæ iuſtitiæ ſuæ puritatem, in corruptibili, & infinitis infirmitatibus obnoxia ſua creatura exigat) ſed etiam ea parte, qua nos reſpicit: atque inuenitur multo minus habere.

Vel ad illam, quatenus noſtræ infirmitati attemperata eſt.

Sed, & ſecundo modo, ſi regulam illam diuinæ iuſtitiæ, etiam quatenus noſtræ infirmitati attemperata eſt, intelligas: ex uoluntatis humanæ inconſtantia, & inclinatione quadam ad carnis ſui hoſpitis amica, & deſyderia, quæ ab illa lege diuinæ iuſtitiæ nos deflectere, & ad ſe attrahere, ac

ſollicitare nunquam ceſſat, adhuc inuenire non eſt, iuſtum quemq; coram Deo inter Adę filios, ſed utrum reperietur etiam de hac ipſa, quamuis imperfecta iuſtitia, quod non iuſtificabitur in conſpectu Dei omnis uiuens. Siquidem iuſtitia hæc, eſt ad ſuam regulam, etiam noſtræ infirmitati attemperatam exacta correſpondentia, & commenſuratio, in actionibus noſtris omnibus. Totum enim uniuerſumq; hominem denominans iuſtitia hæc, ſecundum omnes eius partes, & omnes ſingularum partium actiones, ut illi regulæ ſuæ reſpondeat, & in officio ſuo conſtet neceſſe eſt, cuicumq; hæc iuſtitia conuenit. Neq; enim, qui partem unam aliquam legis ſeruauerit, prȩuaricator in cæteris, hic iuſtus eſt. Immo. Quicumq; (inquit Iacobus) totam legē ſeruauerit, offendat autem in uno, factus eſt omnium reus. Qui enim dixit. Non mœchaberis, dixit, & Non occides. Quod ſi non mœchaberis, occides autem, factus es tranſgreſſor legis. Proinde ſcriptum eſt. Maledictus omnis, qui non permanſerit, in omnibus, quæ ſcripta ſunt in libro legis, ut faciat ea. Significāte hoc diuino ſpiritu, Iuſtitiam, eſſe exactam, & ſecundum omnes ſuas partes, ad regulam diuinæ iuſtitiæ nobis præſcriptam, correſpondentiam. Iniuſtitiam, uero, quȩ maledictionem, & iram, quod ex ſe eſt, mereatur, quacumq; parte ab eadem exorbitantiam, etiāſi in multis illi partibus reſpondeat.

Nullo horum modorum inueniri ſua iuſtitia iuſtum quemq; coram Deo inter Adæ filios.

Quod ſi uerum eſt, & falſum eſſe non poſſit, quod affirmat ille ueritatis Apoſtolus, Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & ueritas in nobis non eſt, Si Chriſtus omnes nos, neminem quantumuis iuſtū excipiens, quotidiana oratione non fruſtra præcari nos uoluit, dimitti nobis debita noſtra, Aeque conſtat eſſe uerisſimū, quod diuinus ſpiritus per ſcripturam affirmat, Non eſſe hominē iuſtum in terra, qui faciat bonū, & non peccet.

Itaq;

Omnes proinde homines, ſi ex propria iuſtitia eſtimētur maledicto, & damnationi merito obnoxios.

Itaq; cum ſuam nemo mortalium proferre poſſit iuſtitiam, qua rectitudini diuinæ legis exacte reſpondeat, ſed iniuſtitiæ potius, ab ea ipſa conuincatur, & proinde, maledicto, atq; irę diuinæ (cui ſubiecti ſunt legis tranſgreſſores) inueniatur obnoxius. Auerſatur enim ille omnem iniuſtitiam, & uerissima, certiſſimaq; eſt illa Apoſtoli ſententia, quod iniuſti, aut iniqui, regnum Dei non poſſidebunt, cũ iniuſtitia, ſit mortis acquiſitio, & iniuſtos internitioni obnoxios ſpiritus ſanctus, per os Dauid prænunciet: Conſtat plane, quæ de nobis omnibus foret ſententia, ſi Deus uoluiſſet diſtricto nobiſcum iudicio agere: ſi non miſericordiſſime nobis ſuccurriſſet, in filio: et noſtra iuſtitia uacuos, eius inuoluiſſet iuſtitia. Quod uerissime intellexit ille, qui ait. Si iniquitates obſeruaueris domine, domine quis ſuſtinebit? Ne intres proinde in iudiciũ cum ſeruo tuo, quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis uiuens. Nec minus ille beatus Iob. Vere, inquit, ſcio quod ita ſit, quod non iuſtificetur homo compoſitus Deo, Si uoluerit iudicio contendere cum eo, nõ poterit ei reſpõdere, unum pro mille. Si iuſtificare me uoluero, os meum condemnabit me: ſi innocentem oſtendere, prauum me comprobabit.

Veriſſima Auguſtini ſentẽtia Ve hominum uitæ quãtũcunq; laudabili ſi remota miſericordia iudicetur.

Quid igitur? Hoc nempe, quod D. Auguſtinus, ut libera, ita uerissima uoce pronunciat. Ve, inquit, hominum uitæ, quantumcumq; laudabili, ſi remota miſericordia iudicetur. Nam, cum nemo ſit, quem, ſi ad regulam diuinæ iuſtitiæ exigas, etiam illam quam diximus, imperfectiorẽ, & noſtræ fragilitati attemperatam, ad quam exigimur merito, non iniquus, et iniuſtus comprobetur, nemo ſit cui ſua conſtet iuſtitia, immo, qui non iniuſtitiæ conuincatur, quãuis iuſtiſſimus inter homines: Iniuſtitiæ uero, iuſta ſit merces, exterminum, ſit mors ſtipendium: actum ſane de nobis omnibus fuerat, niſi diuina nobis miſericordia ſuccurreret,

ignoſcens quotidie, quod ex parte noſtra minus eſt, quod deficit, quod exorbitat, & ſubſultat, a diuinæ iuſtitiæ regula, ut fere nunquam nihil eiuſmodi in nobis eſt, niſi ipſe ſua nos impartiretur iuſtitia, qui noſtra plane deſtituimur, quę noſtram iniquitatem, & iniuſtitiam tegeret.

Nam quod non in operibus noſtris, non in iuſtitia noſtra, ſed in una ignoſcente iniquitates noſtras miſericordia, beneuolentiæ erga nos diuinæ, & ſalutis a Deo aſſequendæ, nobis ſpes ſit, Dauidis teſtimonio Apoſtolus ad Romanos comprobans, nō alia iuſtitia niti nos poſſe, niſi quā imputat nobis, abſq; noſtris operibus affirmat, Beati, inquit, quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorū tecta ſunt peccata, Beatus uir, cui non imputauit dominus peccatū. Non dicit, Beati, qui ex operibus ſuis iuſti corā Deo ſunt, Beatus uir, qui non commiſit peccatum, nec fecit iniuſtitiam: ſed beati, quorum a deo miſericorditer remiſſę ſunt iniquitates, quorum ipſe ſua iuſtitia tegit, & abſcondit peccata, Beatus uir, cui dominus iam peccatum, quo uix carere poteſt, certe, nunquam caret, non imputat.

Noſtram iuſtitiam corā deo, & ſalutis ſpē, in una eſſe, gratis ignoſcente per Chriſtum noſtras iniquitates, Dei miſericordia.

Hanc, ille præcurſoris pater, cognitionem ſalutis prædicat: non in noſtra ipſorum iuſtitia, quæ nulla eſt: ſed potius in noſtrę iniuſtitiæ, aut peccatorū noſtrorum remiſſione poſitam, Quam ipſam, etiam Paulus in eā, quam apud Antiochenos concione, de ſalutis ſumma habuit, ſic cōnectit cum iuſtitia, ut idem prorſus oſtendat, Notum, inquit, uobis ſit uiri fratres, quod per hunc nobis remiſſio peccatorum annunciatur ab omnibus, a quibus, non potuiſtis in lege Moiſi iuſtificari. Hoc ergo nobis iuſtificari eſt, peccata nobis miſericorditer, à Deo remitti in Chriſto.

Quoniam quidem, inquit, Deus erat in Chriſto, mundum reconcilians ſibi, non imputans hominibus ſua delicta. Et depoſuit apud nos uerbum reconciliationis, In illo

Vt non in nobis, aut noſtra, ſed in Chriſto, & eius iuſtitia iuſtificemur coram Deo.

ergo iuſtificamur coram deo, non in nobis: non noſtra, ſed illius iuſtitia, quæ nobis cũ illo iã comunicantibus imputatur. Propriç iuſtitiç inopes, extra nos, in illo docemur iuſtitiam querere, Eum, inquit, qui peccatum non nouerat, pro nobis peccatum fecit, hoc eſt, hoſtiam peccati expiatricem, ut nos efficeremur iuſtitia dei in ipſo, Non noſtra, ſed Dei iuſtitia iuſti efficimur in Chriſto, Quo iure amicitiæ, quæ communionem omnium inter amicos facit, iuxta uetus, & celebratiſſimum prouerbiũ, Chriſto inſertis, conglutinatis, & unitis, etiã ſua, noſtra facit: ſuas diuitias, nobis cõmunicat: ſuam iuſtitiam, inter patris iudicium, & noſtram iniuſtitiam interponit, & ſub ea, uelut ſub umbone, ac clypeo, a diuina, quam commeruimus, ira, nos abſcondit, tuetur, ac protegit: immo, eandem nobis impartit, & noſtram facit, qua tecti ornatiq;, audacter & ſecure iam diuino nos ſiſtamus tribunali & iudicio, iuſtiq; non ſolum appareamus, ſed etiam ſimus, Quemadmodum enim, unius delicto peccatores etiam nos factos affirmat apoſtolus, ita unius Chriſti iuſtitiam, iuſtificandis nobis omnibus efficacem eſſe, Et ſicut per inobedientiam unius hominis, peccatores conſtituti ſunt multi; ſic per obedientiam unius, iuſti, inquit, conſtituentur multi. Hęc eſt Chriſti iuſtitia, eius obedientia, qua uoluntatẽ patris ſui perfecit in omnibus, Sicut contra, noſtra iniuſtitia, eſt noſtra inobedientia, & mandatorum dei prçuaricatio, In Chriſti autem obedientia, quod noſtra collocatur iuſtitia, inde eſt, quod nobis illi incorporatis, ac ſi noſtra eſſet, accepta ea fertur: ita, ut ea ipſa, etiam nos iuſti habeamur, Et uelut ille quondam Iacob, qũi natiuitate primogenitus non eſſet, ſub habitu fratris occultatus, atq; eius ueſte indutus, quæ odorem optimum ſpirabat, ſeipſum inſinuauit patri, ut ſub aliena perſona benedictionem primogenituræ acciperet, Ita & nos, ſub Chriſti primoge-

In Chriſti obedientia noſtra iuſtitia.

Simile.

primogeniti fratris noſtri, precioſa puritate deliteſcere, bono eius odore fragrare, eius perfectione, uitia noſtra ſepeliri, & obtegi, atq; ita nos pijſſimo patri ingerere, ut iuſtitiæ benedictionem, ab eodem aſſequamur, neceſſe eſt.

Quid mediatore Chriſto opus fuerit, quo nobis Deus amiſſam ſalutẽ redderet.

Quod ſi quis, intentis in diuinorum iſta conſiliorũ, tam ſalutaria nobis, tanq; amplexanda myſteria oculis, admirabundus rationem queras, cur Deus, nobis ſalutem, quã, & in origine, & noſtra propria iniquitate perdidimus, reſtituere uolens, & peccata remittere, illo medio, & circuitu uſus ſit, ut in Chriſto, atq; eius nobis impartita, communicataq; iuſtitia, id facere uoluerit, Eam nobis rationem Apoſtolus aperit, uidelicet, ut iuſtitiam ipſe ſuam demonſtraret, Nam cum noſtri miſertus, nollet nos deſerere perditos, & iuſtitię ſuæ ratio non admitteret, iniuſtos admittere, ac recipere in intimam illam ſuæ beatiſſimæ bonitatis, familiaremq; ſocietatem, & amicitiam, beatitudiniſq; conſortium, Et in nobis, poſt expenſa omnia, nullam inueniret iuſtitiam, ſed contra potius, reos omnes peccati, & iniuſtitiæ (Omnes enim peccauerunt, & deſtituuntur gloria Dei, hoc eſt, iuſtitia, quæ unius Dei propria eſt gloria) quo, & iuſtitiæ ſuæ ſibi cõſtaret ratio, & miſericordia erga nos locum haberet, hoc inuenit infinita ſapientia conſiliũ, ut gratis nos ſua iuſtitia impartiretur in Chriſto, quem dedit nobis: quo, ſalua iuſtitia ſua, poſſet nos ex iniuſtis factos iuſtos, & beatitudinis ſuæ conſortes facere.

Proinde, præmiſſis uerbis, quibus peccatores nos omnes pronunciauit, & deſtitutos iuſtitia, ſubiungit Apoſtolus, gratis nos iuſtificari a Deo, per gratiam ipſius, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Iheſu, quem propoſuit, inquit, Deus propitiatorem per fidem, hoc eſt, fiduciam, aut confidentiam, in ſanguine ipſius; ad oſtenſionem

iuſtitiæ ſuæ, & quo conſtet ipſum eſſe iuſtum, & iuſtificare eum, qui Chriſto inſertus eſt.

Exigebat ſane diuinæ iuſtitiæ, atq; etiam bonitatis ratio, ut noſtra tam grauis, erga creatorem noſtrum inobedientia, contumacia, rebellio, ac leſæ maieſtatis tantę offenſa, non ſine condigna aliqua ſatisfactione remitteretur: ne nō magnopere diſplicere ſibi crederetur a nobis, iniquitas & malicia, ſi inulta remitteretur ita facile. Sed cum ad ſatisfactionē eiuſmodi, noſtra infirmaretur imbecillitas, nec uniuerſa noſtra poſſibilitas, aut facultas ſufficeret, ſuccurrit miſeris nobis, diuinæ bonitatis, & miſericordiæ illa ſapientia: quæ noſtras omniū offenſas in ſe tranſtulit, cauſam noſtrā miſericorditer ſuſcepit, & quod nobis erat impoſſibile, ipſa pro nobis diuinæ iuſtitiæ, ſua obedientia ad amariſſimam uſq;, & ignominioſiſſimam mortē, ſatisfacturam, uelut ſacramento recepit, Quod cum perfeciſſet, & oblata ſe Deo hoſtia pro nobis, eidem nos in ſe reconciliaſſet, iam tunc ſine lege, ut dicit Apoſtolus, hoc eſt, ſine legis operibus, ex quibus noſtra iuſtitia conſtaret, ipſius Dei iuſtitia manifeſtata eſt, & orbi choruſcauit de cruce, Quæ nihilominus, & a lege, & a prophetis accepit teſtimoniū eſt, Iuſtitia, inquā, non noſtra, qua deſtituimur plane, ſed Dei, qua ille gratis, ex iniuſtis iuſtos facit, nobis remittens noſtram iniuſtitiā, in Chriſto, nō in nobis, Cuius participes fiunt omnes ſine diſtinctione, ſeu Iudęorum, ſeu gentium, qui eam quęrunt in Chriſto, & in illum credunt, illi ſe curandos, ſanandoſq; fideliter tradunt: quo opus habent omnes, eo, quod peccauerunt omnes, & egent gloria, ac iuſtitia Dei, propria iuſtitia uacui, Iuſtificatis nobis gratis, per eius liberalitatem, & gratiam, ſed ita tamen, ut ſuæ interim iuſtitiæ, ſine nobis ſatisfactum ſit, per redemptionem, quæ eſt in

Vt Dei iuſtitia ſine lege manifeſtata ſit

Chriſto

Chriſto Ieſu. Qui innocens, & ſine peccato, noſtra pecca- ta tulit, uirgam, & diſciplinam quam nos commeruimus, ipſe ſuſcepit, ipſe uulneratus propter iniquitates noſtras, et attritus propter ſcelera noſtra, ut liuore ſuo ſanaret nos. Ipſe inque ſuo ſanguine & morte, pro ea quam commeruimus morte, diuinæ iuſtitiæ ſatisfecit, & ſemetipſum pro nobis re demptionem dedit, cuius, & Petrus nos admonet. Quia, inquit, non incorruptibilibus, auro, uel argento redempti eſtis, ſed pręcioſo ſanguine ſuo, quaſi agni immaculati Chri ſti, Dicitur ſiquidē redemptio, quod pro captiuis, & morti deſtinatis perſoluitur, uitæ ac libertatis precium. Proinde eundem ipſum propoſuit nobis Deus propitiationem. ipſe enim eſt reconciliatio noſtra, per fidutiam, non in noſtro merito, noſtra iuſtitia, noſtris operibus, ſed in ſanguine eius, qui eſt noſtræ redemptionis, reconciliationis, uitæ, & ſalutis precium. Cur hæc ita fecit? Ad oſtenſionem, inquit, iuſtitiæ ſuæ, propter remiſſionem præcedentium delictorum in ſuſtentatione Dei. Vt inquam, per hæc oſtenderet Deus iuſtitiam ſuam, & quod etiam, eidem ſatisfactum ſit, & in remiſſione quoque præcedentium delictorum, quæ dia bolo, mundo, & carni, tyrannis peſſimis ultro ſeruiendo, & a Deo apoſtatando, contraxerant homines, eo tēpore, quo ſuſtinebat, & patiebatur Deus hæc fieri: ſed ad hoc patiebatur, ut poſt hæc idem oſtenderet iuſtitiam ſuam, in nouiſſimo hoc tempre, & ſœculi conſummatione, quando ſuę ſapientiæ inſcrutabili conſilio redemptionem eū dedit, quē propitiatorem propoſuerat. Vt ſit ipſe iuſtus, qui impium, & iniuſtum non iuſtificat, niſi interueniente, ea ſatisfactione, eo præcio: iuſtificenturque homines per fidem, aut fidutiam in illum ipſum, qui nihil in ſe habent, nullam iuſtitiā propriam, cui poſſint confidere.

Vt Chriſtus pro peccatis noſtris ſatisfecerit.

Vt noſtra redēptio, & propitiatio.

Iuſtificat ergo nos Deus pater bonitate ſua gratuita

Vt Chriſti iuſtitia pro nobis ſtet coram tribunali diuini iudicij.

Vt hic nos ſoluat à maledicto legis, & in libertatē quandam, & conſcientiæ ſecuritatē transferat.

qua nos in Chriſto complectitur, dum eidem inſertos, innocentia, & iuſtitia Chriſti nos induit: quæ una, ut uera, & perfecta eſt, quæ Dei ſuſtinere conſpectum poteſt, ita unā pro nobis ſiſti oportet tribunali diuini iudicij, & uelut cauſæ noſtræ intercesſorem eidem repreſentari. Qua ſubnixi, etiam hic obtinemus remisſionem peccatorum noſtrorum aſsiduam. Cuius puritate uelatę non imputantur nobis ſordes noſtrę, & imperfectionum immundicię, ſed uelut conſepultę conteguntur, ne in iuditium Dei ueniant, donec cōfecto in nobis, & plane extincto ueteri homine; diuina bonitas nos in beatam pacem, cum nouo Adam recipiat: ubi diē dñi expectem⁹, quo, receptis etiā incorruptis corporibus, toti transferamur in regni cœleſtis gloriam. Interim hic nos ſoluens, a maledicto legis: maledicto inquā, & dānatiōis reatu, cui omnes legis tranſgreſſores (quales ſumus uniuerſi) merito ſubiacent: qualem in diſtricto iudicio meretur omnis iniquitas, iniuſtitia, & legis præuaricatio. Ab hoc inquam nos maledicto nos ſoluens ipſe, quod in ſe ſuſcepit, factus pro nobis maledictum, ab hac ſeruitute, & conſcientiæ carnificina, qua uinctam lex, & conſtrictā prę mebat, in libertatem quandam ſpiritualem, & conſcientiæ ſecuritatem nos tranſtulit: qua de peccatorum remisſione, quorum nos lex pungebat & mordebat ſenſu, quamdiu ipſi inſerti adheremus ut membra uiua ſuo capiti, pacatos, ſecuroſq; nos reddidit, & imperfectū operum noſtrorū ipſe ſupplet, & perficit. In quo, pi⁹ pater, & miſericors domin⁹, auerſo interim, ab imperfectione eorundem intuitu, paterna indulgētia & benignitate eadē grate cōplectitur, et huc honoris attollit, ut alicuius pręcij habeat, ut iuſtitiarū nōie dignetur & cenſeat, et ad iuſtitiam miſericorditer imputet.

Hoc unicum nobis ſalutis noſtræ, & ſolidum fundamētum eſt, quod ille uelut ſapiens architectus, in doctrina

Chriſtia-

Chriſtiana ſe feciſſe affirmat, nempe ; Chriſtꝰ Ieſus, in quo, & electi ſumus ab æternitate, ante mundi conſtitutionem, cuius ſanguine & morte (ut iam explicatum eſt) a mortis damnatione redempti, deo reconciliati ſumus: in quo, adoptati in heredes, & filios : cui inſerti, iam uitæ æternæ quodāmodo ſumus participes, & in regnum dei iam ingreſſi, per ſpem non ambiguam: qui ſua, noſtra, communicatione fecit: Vt cumq; hic ſubijciamur erroribus, & ſtultitiæ, ipſe nobis coram deo ſapientia eſt : vtcumq; peccatores ſimus, & multis partibus a iuſtitia, quæ diuina a nobis lege exigitur, deficiamus, ipſe nobis eſt iuſtitia: Vtcūq; immundi de imūdo cōcepti ſemine, & habitātes domos immūdas ac luteas, ipſe nobis puritas: Vtcūq; infirmi, inermes, expoſiti ſathanę, ipſe noſtra uirtus eſt: ut cui data eſt, & in cœlo, & in terra ōnis poteſtas, qua pro nobis ſathanā cōterat: Vtcūq; mortis iſtud adhuc corpꝰ circūferamus, ipſe nobis uita eſt : breuiter, cū illo, et in illo donata nobis poſſidemus omnia.

Vt unicum noſtræ ſalutis fundamentū Chriſtus.

Et hactenus, de redemptionis & ſalutis noſtræ, in Chriſto nobis redditæ myſterio, ut per illum a diaboli captiuitate, & æterna morte redempti, Deoq; reconciliati ſimus. Vt deſtituti omnes innocentia, & iuſtitia propria, in ipſo, atq; eius etiam iuſtitia, iuſtificemur corā Deo: imo, ut ipſe ſit iuſtitia, & ſanctificatio noſtra coram Deo: & cur in opere reparationis noſtræ, mediatore illo nobis opus fuerit, ſecūdū regulā catholicæ fidei, & diuinarū ſcripturam ſententiam, ut exiſtimo, ſatis explicatum eſt. In quo, quod paulo prolixiores fuimus, tam aduerſariorum, quā etiā noſtrorū cauſa factum eſt. Illorum ſiquidem, quoniā craſſiſſimam eius ignorantiam nobis improperantes, uidentur quidē aliquid de eo ipſo uidere atq; intelligere, ſed uelut per ſomniū, q̄d ſane explicare non poſſint, niſi plurima errorum peſtilentium portēta cōmiſceant. Quo intelligerent uerius & clarius

Epilogus de myſterio noſtræ redēptionis, & ſalutis quatenus ex deo, et Chriſto.

quam

quam a ſe ſuiſq́;, hæc doceri in catholica eccleſia, & a nobis intelligi. Noſtrorum uero, quoniam diſſimulare non poſſumus, hanc uel primam doctrinæ Chriſtianæ partem, obſcuratam, quam illuſtratam magis, a ſcholaſticis, ſpinoſis pleriſq́; queſtionibus, & definitionibus: ſecundum quas nonnulli, magno ſupercilio primam in omnibus authoritatem ſibi arrogantes, & de omnibus, facile pronunciantes, fortaſſis etiam noſtram hanc damnarent ſententiam, qua propriam, & quæ, ex ſuis operibus eſſet, coram deo iuſtitiam, derogamus omnibus Adæ filijs, & docuimus una dei in Chriſto niti nos poſſe iuſtitia: una illa, iuſtos eſſe coram Deo, deſtitutos propria, niſi hoc ipſum aſtruxiſſemus aliquanto diligentius.

De noſtræ iuſtificationis, et ſalutis myſterio, quatenus ex nobis pẽdet.

Nunc de eodem, quatenus ex nobis pendet, hoc eſt, in quibus, & quo pacto diſpoſitis, quidue facientibus, aut patientibus, operetur uirtus paſſionis Chriſti, & ſanguinis, et operatæ per illum noſtræ ſalutis, & redemptionis myſterium, quibus in Chriſto peccata remittat, & iuſtificationis gratiam impartiat, aliquanto diligentius pertractandũ eſt. Quandoquidem hinc, maxima ſui parte pendet, præſens, quæ inter aduerſarios eſt controuerſia.

Ex Deo nõ deeſſe quo minus omnes efficiantur huius gratiæ participes.

Hoc in primis, ex apoſtolica, eaq́; clariſſima definitione certum eſt, ex Deo non deeſſe, quo minus omnes efficiantur huius gratię participes, qua ad Timotheum ille ſcribẽs, & præcipiens orationes fieri pro omnibus hominibus, affirmat hoc ipſum eſſe bonum, & acceptum coram ſaluatore noſtro deo, qui, inquit, omnes homines uult ſaluos fieri, & ad agnitionẽ ueritatis uenire. Vnus enim deus, unus, & mediator dei & hominũ, homo Chriſtus Iheſus, qui dedit redẽptionẽ ſemetipſum pro omnibus. Audis, nec ex deo, nec ex mediatore Chriſto Ieſu cuiquã deeſſe, q̃ minus aſſequatur ſalutis gratiam. De illo affirmat, quod uelit, omnes

ſaluos

ſaluos fieri, & ad agnitionem ueritatis uenire, q̄tum equidem ex ipſo eſt, De hoc uero, quod dederit ſemetipſum redemptionē pro omnibus, Ergo neq; ex ipſo cuiquā deeſt, quo minus omnes huius ſint ſuę redemptionis participes, Sed huic hypoteſi diligentius aſſerendæ, hic inſiſtendum non eſt, ut de qua alio loco ſuſius pertractare decreui, ubi de libero arbitrio, & gratia, atq; omnibus, quę ad hoc argumentum pertinent, diligenter, & copioſe acturus ſum, ut in quo, omnium priorum ſtudiū, & diligentia, locum noſtræ non præripuit diligentiæ, Interim, tanq; certum, ut re uera eſt, hic aſſumpſiſſe liceat, quando ex eo non pendet, huius ſtatus controuerſiæ, ſed tantum ad luculentiam faciat.

Oportet ergo ex hominibus deeſſe, quod non omnes efficiantur iuſtitiæ, & ſalutis in Chriſto participes (Neq; enim omnes eius gratiæ participes fieri, æque indubitatum eſt) & proinde eam ipſam iuſtificationis, et ſalutis gratiam, quadam parte ex nobis pendere, eſt neceſſarium. *Ex nobis ergo deeſſe.*

Hoc eſt ergo, quod hic nunc inquirendum proponitur, In quibus nam, præ cæteris, & quo pacto diſpoſitis, quidue faciētibus, operetur uirtus paſſionis Chriſti, & ſanguinis, atq; operatæ per illum noſtræ ſalutis, redemptionisq; myſterium. *In quibus præ cæteris operetur uirtus paſſionis Chriſti, & ſanguinis.*

De paruulis, qui nihil adhuc culpæ contraxerunt propriæ, ſed tantum adoptionis filialis gratia, & regno cœleſtis Hieruſalem exciderunt, per illud peccatū originis, atq; eius reatu conſtricti, damnationi ſunt obnoxij, hoc habet certiſſima fides catholicæ, ab initio, per orbē eccleſiæ, quod in ipſis, remiſſionem illius peccati, & ſalutem, operetur uis illa paſſionis Chriſti, & ſanguinis, per regenerationis lauacrum, iiſdem miniſtratum in fide eccleſiæ. *In paruulis p̄ regeneratiōis lauacrum.*

Neq; de hoc inter nos, aduerſarioſq; cōtrouertitur, niſi qua parte, etiam in illis, ſuam illam fidem exigunt, quo ſuū *Abſurda aduerſariorū ſen.*

tentia, quæ in paruulis bapti zatis, requirunt fidem actualē, & propriam.

ipſis dogma, de iuſtificatione, quæ per unam fidem eſt, cõſtet ex integro, De quo, etſi nihil dicant, in ſuæ de hoc Auguſtanę confeſſionis articulo, neq; etiam, in apologia eius, in alijs tamen editis ſcriptis ſuis, & in primis corypheus illorum Lutherus, in enarratione euangeliorum dominicalium, & alij, in alijs, aperte docent paruulos baptizatos habere fidem, qua uere credant, propriam: immo, tanto ſynceriorem, quanto minus in eis uiget ratio: ut quæ, fidei ſemper impedimento ſit, In quo, ut accurate illos refellamus, operæ preciũ mihi non uidetur. Neq; enim puto, adeo deſperandum eſſe de humanis ſenſibus, ut moetuendum ſit, ne hoc, tam ab omni ſenſu alienum, cuiquam perſuadeant, An non credere, eſt credendo mente atq; animo firmiter aſſentiri? An mentis aſſenſus, abſq; ulla apprehenſione eſt? numquid credenda apprehendunt paruuli? numquid ratione utuntur? nonne tanta infirmitas animi, & corporis, tã profunda rerum omnium ignorantia, tam nulla boni, maliq; diſcretio, nullius rei cognitio, & apprehenſio, breuiter, nullus in ullam partem rationis uſus, hoc multo teſtatiore ſilentio, q̃ noſtra oratio proclamat, atq; indicat? Et hij, deum iam cognoſcunt? Diuinas promiſſiones apprehendũt? iiſdem firmiſſime aſſentiuntur? Illas ad ſe pertinere credũt? Se per Chriſtum factos Dei filios intelligunt? Valeat obſecro aliquid, ad ſeipſam perſuadendam, ipſa rei euidentia: in qua una perſuadenda, maxime ſuam paupertatem agnoſcit oratio, ubi res ipſa, de qua dicitur, per ſe manifeſtior eſt, q̃ omne, quod dicitur.

Auguſtini ſententia, etiã paruulos hac Criſti ſentẽtia cõſtringi, Qui

Et q̃uis alicubi ita uideatur D. Auguſtino, hanc Chriſti ſententiam, Qui non crediderit condemnabitur, utpote uniuerſaliter dictam, pertinere etiam ad paruulos, & proinde eoſdem baptizatos, affirmet credere, hoc eſt, ſacramẽto fidei iniciatos eſſe: non baptizatos, non credere: atq; ideo damnari

damnari, ut incredulos filio, Ipſa tamen hoc non permittit loquendi ratio, ut credere, intelligamus, baptizatum eſſe: prœſertim, cum Chriſtus, ea, ut diuerſa, diſtinguat diuerſitatis copula, Qui crediderit, inquit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit, Nec hoc recte uidetur dici, paruulum non baptizatum, eſſe incredulũ ſilio: niſi & caninos catulos, ante præfixũ illis a natura uidendi tempus, cœcos recte dici uolueris, quod nondum uideāt, Sed ſi ſermonis proprietatē ſpectes, is eſt incredulus ſilio, qui, cum docentem & affirmantem aliquid audiuit filiũ, illi recuſat credere: quod paruulorum non eſt, Nec nudam credendi negationem, ſed prauũ incredulitatis habitũ, importat incredulitas, Nemo enim recte dicitur incredulus alteri, niſi cui affirmanti nõ credit: aut cuius, quam intelligit, affirmationi non credit, Proinde quod dicitur, Qui non crediderit, cõdemnabitur, de his intelligendum eſt, quibus uſum rationis aſſequutis, ſufficienter annunciatum eſt quod crederent, Et hæc quidem de paruulis, qui nihil adhuc contraxerunt peccati proprij. *non crediderit cõdemnabitur*

Nunc de adultis pertractandum eſt, qui rationis uſum aſſequuti, etiam propria iniuſtitia elongarunt ſe a Deo, & damnationi reddiderunt obnoxios, inquibus horum, operetur uirtus paſſionis Chriſti, & redemptionis, ſalutiſq; noſtræ peractum ab eo myſterium, in quibus minime. *Adultis qd ſit neceſſariũ, ut in ipſis operetur, peractũ à Criſto, noſtræ redemptionis myſterium.*

In primis, & ante omnia neceſſe eſt, quo quis eius fiat particeps, ut fidem habeat, Nam non credentibus, certam damnationem Chriſtus denunciat, Et affirmat Apoſtolus impoſſibile eſſe, ut ſine fide quis Deo placeat: nec poſſe quemq; ad Deum accedere, ſi fidem non habeat. *In primis, fidẽ illis neceſſariã*

Porro fidem, hic intelligimus, eum habitum mentis & animi, quo Dei ueritati firmiter aſſentimur, & innitimur, ut a ſpe, & charitate ipſam diſtingui, ex proprijs rationibus earundem, & diuinarum, apoſtolicarumq; ſcripturarum *Quæ fides.*

Repetitio diſtinctionis, de uarijs fidei acceptionibus, quæ ſupra explicata eſt, quo magis in res ipſas in ſe diſtinctas, intendat lector, q̃ in confuſa uocabula.

irrefragabili authoritate ſupra demonſtrauimus, Quanq̃ ſepe etiã pro ſpe, aut confidentia, in dei bonitatẽ, in ſcripturis accipi, etiam ibi palam fecimus, Quam & ipſam, duplicem oſtendimus: alteram, mox ex fide ortã, & quæ nos ad Dei, q̃uis multiplicier per nos offenſi miſericordiã, & bonitatem, a deſperatione reuocat, & ad illum confugere perſuadet: defixis oculis, in eius benignitatem, & clementiam: & proinde præcedit iuſtificationis gratiam: alteram uero, quæ ex ſyncero Dei amore naſcitur, & non tam ſperat commiſſorum ueniam (quam iamdudum aſſequutam ſe non dubitat) q̃ coronam, & præmium, uelut ſecura expectat: ſuæ illius ſecuritatis ſponſorem fidelem habens, charitatem dei in cordibus noſtris diffuſam, per ſpiritum ſanctũ, qui datus eſt nobis: qui iam teſtimonium perhibet ſpiritui noſtro, quod Dei filij, & Chriſto cohæredes ſimus, Quæ ſpes, & confidentia, etiam apud Tobiam, uno, eodemq; loco, nunc ſpes, nũc fides dicitur. Siquidem ſanctus ille, in aduerſitate, ac tentatione ſua inſultantibus ſibi notis, ac familiaribus, & dicentibus, ubi eſt ſpes tua, pro qua eleemoſynas faciebas? Nolite, inquit, ita loqui, quoniam filij ſanctorum ſumus, & uitam illam expectamus, quã deus daturus eſt hijs, qui fidem ſuam nunquam mutant ab eo: fidem, inquit, ſuam, quam illi, ſpem dixerunt, hoc eſt, confidentiam, & fidutiam, quam in eo collocarunt, quẽ ſyncere diligunt, nec dubitant uiciſſim ab ipſo ſe amari, etiã utcũq; hic agatur cũ ipſis. Horum diſtinctionem, quę in re ipſa clariſſime cernitur: propterea ad memoriã lectori reuocamus, ne res ipſas in ſe diſtinctas, in unũ confundat, ob confuſam, ęquiuocamq; uocabulorũ acceptionẽ, quæ, ut pleriſq; alijs, ita etiam aduerſarijs noſtris, eſt omnis pene erroris ſui occaſio.

Quin, & hoc fac memineris, Quod q̃uis toto genere differant, fides illa, in ſua illa acceptione, & ratione propria,

ut eſt

ut eſt aſſenſus, innixusq́ firmus, in Dei ueritatem, mẽtis, & animi: & charitas, qua Deum uelut ſummum bonum, etiam noſtrum, ſyncere, ſumme, & ſuper omnia diligimus: quemadmodum, etiam clariſſime in diuinis ea ſcripturis diſtingui, euidens fecimus, & ex his, quæ deinceps dicentur adhuc erit illuſtrius: attamen, ſepe etiam ita fidem in ſcripturis accipi, ut utramq́ includat: & fidem inq́, & charitatem. Sed diſtinctionis gratia, uiuam fidem, appellamus eiuſmodi: ut intelligatur charitas uelut uita quædam fidei, & ſine qua, a Iacobo apoſtolo pronunciatur mortua. De quo lectorem ſuis locis oportune admonebimus in ſequentibus. Hic uero in uniuerſum, horum omnium, memorem illũ cupimus, ut res ipſas, in ſe natura diſtinctas, perpetuo etiam uelut diſtincte apprehendat: nec confundat in unũ, ob cõfuſa, ut diximus, indiſtinctaq́ earũdẽ uocabula. Quibus neceſſario præmiſſis, ut ad inſtitutum recurrat oratio.

Diximus ante omnia neceſſarium, ijs qui rationis uſum aſſequuti, atq́ etiam proprijs peccatis coram Deo rei conſtrictiq́ tenẽtur, quo uirtus paſſionis Chriſti, et ſanguinis, peractiũq́ ab illo, noſtræ redemptionis, ſalutiſq́ myſteriũ, etiam in ipſis ſuum effectum habeat, opereturq́ iuſtificationis gratiam, ut fidem habeãt: quod & ex Chriſti, & ex Pauli certa affirmatione indubitatum fecimus. Fidem autẽ nos hic intelligere, ſecundum illam ſuam acceptionem, & rationem propriam, ſecundum quam a ſpe, & charitate diſtinguitur, ut quæ Dei ueritatem proprie, & adequate reſpicit, & per quã, illi, & mente, & animo firmiter aſſentimur, & innitimur.

Fidem ad iuſtificationem non ſufficere.

Sed fidem hanc ſolam, non ſufficere nobis, etiam quantumcunq́, in ſuo genere perfecta ſit, etiam dicimus. Cum eam, etiam tam firmam, & perfectam, ut miracula quis per ipſam faciat (quod eſſe omnis, & perfectiſſimæ eius generis

fidei indicium (ſupra demonſtrauimus) eſſe poſſe in pecca‑
toribus, iniquitatis operarijs, & qui in iudicio a Chriſto au
dituri ſunt. Diſcedite a me. nunq̃ noui uos, idem ipſe no‑
bis certiſſimus author eſt. Multi, inquit, dicent mihi in die
illa, domine, domine, nõne in nomine tuo prophetauimus,
& in nomine tuo demonia eiecimus, & in nomine tuo uir‑
tutes multas fecimus? Et ego tunc confitebor illis, quia nũ
quam cognoui uos: diſcedite a me operarij iniquitatis. Pro
inde, nec fecit Chriſtus omnes, Dei filios, credentes, ſibi, &
qui ipſum per fidem receperant, ſi Ioanni credimus, ſed po
teſtatem illis dedit, ut poſſint filij Dei fieri. In propria, in‑
quit, uenit, & ſui, eum non receperunt: hoc eſt, illi non cre‑
diderunt: quod idem Euangeliſta toties admirabundus
inculcat, præſertim poſt tanta, & tam multa, quę uiderant,
miracula. Receperunt tamen illum pauci aliqui, de quibus
ſubdens, Quotquot autem, inquit, receperunt eum, dedit
eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine
eius. Credentibus ergo in nomine eius, & Chriſtum per fi‑
dem recipientibus, poteſtas facta eſt, ut poſſint filij Dei
fieri: attamen, per fidem ſolam nondum facti ſunt Dei filij.
Cum eius rationi non repugnet, quo minus ſit in peccatori
bus, & his qui adhuc magis diligunt huius mundi. q̃ Dei
gloriam. Id quod idem ille Euangeliſta etiam clariſſimis
uerbis affirmat. Et cum tanta, inquit, ſigna feciſſet coram
eis, non credebant in eum, ut ſermo Eſaię impleretur &c.
Veruntamen, & ex principibus multi crediderunt in eum,
ſed propter phariſeos, non confitebantur, ut e ſynagoga nõ
eijcerentur.

Fidem etiã pfectam in peccatoribus exiſtere.

Per fidem, poteſtatem nobis fieri, ut poſſimus Dei filij fieri.

Non ergo facit fides ſola Dei filios, quando nihil repug
nat, fidem habentes, etiam omnem & perfectam, charitate
deſtitui, ſine qua, inquit ille, nihil ſum, et non ſolum, nõ dei
filius: ſed ut diximus, poteſtatem facit, qua eſſe poſſint Dei
filij,

filij:ſi quidem in ſe fundamentum iam continent ſpiritalis ædificij,ſicut paulus ad Hebreos,eandem fundamentū appellat. Porro, ubi ſolum fundamentum iecerimus,adhuc longe abſumus a complemento domus,aut edificij:& quãuis illud primum ſit, & ante omnia neceſſariū,ut ſine quo nō ſubſiſtunt cætera,haud tamen propterea eſt totius edificij præcipuum,operoſiſſimum,ac perfectiſſimum:ſed cęterę edificij partes,iacto fundamento longe præponderãt. Proinde idē Paulus,tres has pręcipuas uirtutes,ex quibus conſtituitur illud in nobis ſpirituale edificium,.fidē inquã, ſpem,& charitatem comparans,tametſi fidem,tanꝙ fundamenti rationem obtinemtem in noſtræ ſalutis negotio, primo loco conſtituat,illi tamen præfert cæteras,omnium primas,charitati tribuens.

Fides fundamētum ſpiritalis edificij.

Prima ergo, & ante omnia neceſſaria,uera,ſynceraꝗ; fides eſt,ſine qua,nihil ſubſiſtere ſequentium poteſt:ex qua, uelut radice quadam,quicquid non procedit, quantumuis alioqui per ſe bonum uideatur, adeo nihil ad ſalutē ualere certū eſt,ut glorioſus ille Chriſti athleta,et Pontifex Cyprianus,aduerſus Nouatianum affirmare non dubitet, etiam mortē ab hæretico libenter ſuſceptã pro confeſſione Chriſti nominis, deſperationis interitum, & pœnam perſidiæ. Cum deo, inquit, manere non poſſunt, qui eſſe in eccleſia dei,unanimes noluerunt. Vnanimes dicit, hoc eſt,unius ſidei cum orthodoxis, & catholicis :proinde ita ſubiungit. Ardeant licet,flammis,& ignibus traditi,uel obiecti beſtiis, animas ſuas ponant, non erit illa fidei corona,ſed pœna perſidiæ:nec religioſæ uirtutis glorioſus exitus,ſed deſperationis interitus. Quã eandē ſententiam D. Auguſtinus ca. v. lib. iij. aduerſ⁹ Pelagianorū epiſtolas,aduerſus eoſdē, ut certiſſimam profert, affirmans in moribus etiam inculpatis, damnandū tamē,unūquēlibet ex hac uita diſcedere, niſi

Ex recta fide, quicquid non procedit,qualecumꝗ; alioqui ſit,nihil ualere ad ſalutē.

Hæc diligēter perpendãt,qui fidem ſuã tam facile addicunt his nouæ fidei doctoribus.

niſi in Deum, fidem rectam, et catholicam teneat, ubi alter, inquit, qui uita, & moribus multo eſt inferior, habens tamen fidem rectam, quæ per charitatem operatur, ſecundũ quam, in omnibus delictis ſuis ſe accuſat, in omnibus bonis operibus ſuis Deum laudat, ſibi tribuens ignominiam, illi gloriam, &c, de hac uita liberandus, & in conſortium cũ Chriſto regnaturorum recipiendus emigrat: propter fidẽ, uidelicet orthodoxam, & catholicam. Quæ licet ſine charitatis operibus, neminem ſaluet, æque tamen ſine ipſa, quæ uidentur opera bona, in peccata conuertuntur. Quæ, utinam maturiori, & ſalubriori conſilio adhuc ſecum perpenderent, & iamdudum perpendiſſent multi, graues alioqui, & cordati uiri, & non tam facile ſuam fidem, & ſalutem, his innouandorum omnium magiſtris addicerent, hominibus indignis, quibus uel de quocumq; quis fidem habeat, ſed permanerent in ea quam a parentibus multa retro ſœculorum ſerie, uelut per manus traditam, acceperunt. Quam unam catholicam, & orthodoxam inuenient.

Habet itaq;, qui fidem orthodoxam, & catholicam habet, id, ſine quo, Deo nemo placere poteſt, nemo ab ipſo elongatus, & uiã perditionis ingreſſus, ad eundem reuerti, & regredi. Ex quo, etiam ipſo, clariſſime intelligitur, quod una hæc, non ſtatim nos coniungat Deo, ut quæ, omnem in nobis regreſſum ad Deum, ad eius implorandam miſericordiam, commiſſorum ueniam, iuſtificationis, & ſalutis gratiam præcedat oportet. Quod clarius intelliget, quiſquis motus illius formam, greſſus, & progreſſus in ſe paulo expenderit diligentius.

Fides ut ſit initium regreſſus noſtri ad Deũ.

Propone elongantẽ ſe a Deo aliquem, ex ijs, de quibus ille. Omnes qui ſe elongant a te, peribunt. Elongant ſe autem ab eo, non ſpacijs, ſed affectu: huius inq; mundi, domini illi contrarij, amore, ſtudio, ſeruitute, & qui parietem illum

illum ſepti, medium inter Deum & nos, ædificant, oblinſ-unt, fouent, ſuſtinent: hoc eſt, inimicitiam uigentem in carne noſtra cum Deo, ut loquitur Apoſtolus, cuius, qui cõcupiſcentijs obediunt, ſeſe elongant à Deo. Hunc inquam, talem tibi propone, uelut iubatum leonem aliquem extẽto collo, aut taurum indomitum, elatis contra Deum cornibus, incedentem in ſuis deſyderijs, & cogita, quid huic, ut ab ea, quam ad perditionem decurrit uia, reuertatur ad uitam & ſalutẽ, regrediaturq; ad ſaluatorẽ ſuũ Deũ, opus ſit.

Forma reditus peccatoris ad Deum.

Impetu uadit talis in ſuam pernitiem, donec prona ſecundaq; ſunt omnia: at ubi incidit in perplexitatem aliquã, ſibi inextricabilem, in abrupta, aſpera, ac difficilia, ſentit inſuper ſe iaculis ex aduerſo cõiici, flagellis cedi, & ſuper hęc, eleuatis paulisper fidei oculis, ignem, tormentaq; ſibi præparata uidet, & appropinquare ſe præcipitio in eadem, incipit greſſum ſiſtere: incipit reuerti ad ſe: incipit intelligere: quo, ſe, & quam miſere, miſer ibat perditum: incipit agnoſcere ſuam miſeriam, incipit cogitare unde, & quorſum ea flagella ſibi inflicta fuerint: incipit recordari Dei ſui, à quo receſſerat: incipit meditari regredi, unde demens abierat.

Ex fide, ut oriantur. Odium uitæ ueteris.

Quæ tamen, ut faciat, fidem ante omnia habeat neceſſe eſt, qua deum credat eſſe, Deum inquam, hoc eſt, omnipotentẽ, omnium creatorem, factorem, moderatorem, omniſcium deniq;, inſpectoremq; omnium, & iuſtiſſimum iudicem: qui iuſte puniturus ſit noſtram erga ſe ingratitudinem, atq; inobedientiam: æque tamen libenter, miſericorditerq; ſuſcepturus, ad ſe reuertentes toto corde & animo: & ſe inquirentes remuneraturus liberaliter: ut hinc timor incutiatur, inde & ſpes ex eadem fide concipiatur.

Timor gehennæ.

Timor, qui nos ambulantes in uia iniquitatis, & perditionis cogat greſſum ſiſtere, & partim gehennæ metu, quã fidei oculis, à longe uidere incipimus, partim uero ex

cōſideratione noſtræ ipſius miſeriæ, uilitatis, indignitatiſq;, cui nos ultro ipſos mancipauimus, deniq; malorū, quibus ob peccata inuoluimur (ut ſolet miſericordiſſimus deus, & ſui, & noſtri oblitos, flagellis nos admonere, & uel inuitos ad reſipiſcentiam cogere, atq; aperire nobis oculos pœna, quos culpa clauſerat) deteſtari, & odio proſequi uitam illā uere infœlicem, & ueterem.

Spes. Spes uero, ex Dei miſericordia, atq; obuia liberalitate concepta, etiam in diuerſum reuocet: faciatq;, ut audeamus ad deum, quamuis tam multipliciter per nos offenſum, nō ſolum reſpicere, ſed etiam nos conuertere: & ex medijs tribulationum anguſtijs, clamare ad miſericordiſſimū dominum: eius auxilium, gratiam, & miſericordiam, non ſolum implorare, ſed etiam confidenter expectare: ut hæc, miſeros iam perductos ad odium ſui, & uitæ ſuæ ueteris ſuſtēet, & uelut porrecta manu erigat, ne ille merito nobis incuſſus timor, deſpondere nos animum faciat, & præcipitet in deſperationis barathrum, una cum illis, quorum hæc uox eſt apud prophetā, Deſperauimus, poſt cogitationes noſtras ibimus, unuſquiſq; prauitatem cordis ſui faciemus: ſed pötius defixis in infinitam Dei miſericordiam mentis noſtræ oculis (quam eam ob rem, nuſquam nobis ceſſat commendare, atq; inculcare ſcriptura) atq; inde concepta, erga eundem fiducia, & ſpe ueniæ, regredi ad illū feſtinet: illi ſe humiliter proſternere, illi ſe dedere, credere, & curandum tradere: paratus iam facere, quicquid intelligit ab ipſo exigi: paratus illi deinceps obedire, & obſequi in omnibus. In quo actu, iam guſtare, & uidere incipit, q̄ ſuauis eſt dominus: atq; ipſum ſibi obuium inuenit: ſe erigentem, ſubleuantem, & coniungentem ſibi: ad quod etiam omni illo conatu, omnibus ſuis uiribus, etiam quantumuis adiutis fide, quantumuis diuina gratia, non potuiſſet miſer pertingere: ſed

ſed eſt hoc totum, unius dei benignitatis, liberalitatis, et miſericordiæ: non ex debito noſtri operis, noſtriq; conatus, ſed ex mera eius, liberaliq; gratia, per redemptionẽ, quę eſt in Chriſto Ieſu, quemadmodũ ſupra a nobis explcatũ eſt.

Itaq; quorſum hæc paulo fuſius dicta, & inducta ſunt, ex iiſdẽ quilibet clariſſime intelligit, ut uniuerſi huius motus noſtri, & reditus a uia perditionis ad ſalutem, ſit fides initium: & q̃ immenſo interuallo ipſa per ſe abſit ab eius motus termino. *Cõcluſio de fide, q̃to interuallo abſit a iuſtificatiõis gratia.*

Quid igitur illud eſt, quod a nobis exigitur, & quod uelut diſpoſitio proxima, efficax, & inſeparabilis ab eo ad quod diſponit, nos coniungit deo, & uirtutem Chriſti paſſionis, & ſanguinis, nos iuſtificantem, ſanctificantemq; ad nos deuocat; atq; illicit miſericordiam illam Dei ſuper nos reſidere facit? *Amorem Dei, eſſe in nobis ad iuſtificationis gratiã, diſpoſitionem p̃ximam, & inſeparabilem.*

Ipſe eſt Dei amor, ſed ſyncerus, & dominatum in corde noſtro obtinẽs, Neq; enim patitur, quid, ſibi aut præferri, aut ęquari: tametſi pro huius incolatus tempore, quã diu corruptibile hoc corpus circumferimus, & in multa neceſſario diſtrahimur, ac diuidimur, non exigat plane ſolitudinẽ: ſed ſecũ patiatur, tamen ſub ſe, amorem etiam rei alterius a ſe, uſq; dum in beatã illam pacem, unitatẽq; tranſlati, ipſe nobis erit in omnibus omnia, nec quicq̃ eius amore uacuum: ſed toto ipſum corde, tota anima, tota mente noſtra dilecturi ſumus, Nam interim, a nobis illam ſolitudinem non exigit, ut in hac uita nobis impoſſibilem: ſed tamen uelut ſcopum quendam proponit, in quem collimemus ſemper, & quem conemur uicinius ſemper accedere.

Paucis uerbis dicitur, Amor Dei, ille ſyncerus, & in corde noſtro dominatum obtinens, ſed ingens, atq; operoſa res eſt. Habet enim ſecum coniunctum, ubicumq; eſt, illũ timorem filialem, ne quicq̃ cõmittamus, quod oculis *Vt ille amor, timorem filialem neceſſario coniunctũ ha-*

beat, Et q̃ multa hic includat

patris diſpliciat,ne quid omittamus, quod illũ a nobis exigere intelligimus:ut odio proſequamur,quicquid ab amore eius abducit,atq; eſt illi contrariũ:ut conemur nos transformare in illum: eius puritatem emulari,eius in nobis faciem exprimere, ut decet filios chariſſimos, Vniuerſa hæc neceſſario includit Dei amor ſyncerus, & dominatum in nobis obtinens, in timore illo filiali, quem neceſſario coniunctum habet, Quicquid horum defecit,mentiri nos Dei iſtiuſmodi amorem,ac ſimulare, & non uere amare nos coarguit, Qui ſeruat(inquit Ioannes)uerbum dei,uere in hoc charitas dei perfecta eſt, In hoc ſcimus,quoniam in ipſo ſumus, Et rurſus, Qui ſeruat mandata eius, in illo manet,& ipſe in eo, Sic quoq;,& ipſa ueritas,Qui diligit me, ſermones ſeruat, Et iterum, Qui habet mandata mea, & ſeruat ea, ille eſt qui me diligit, Ex quibus intelligis, fidele illud mandatis dei per omnia obſequendi, atq; ei placendi ſtudium, in amore dei, qualis a nobis exigitur, includi neceſſario.

Vt ſit conditio neceſſaria.

Quod autẽ ueriſſima ſit illa Auguſtini ſententia, qua ſine illo amore Dei,nec ueniam quenquam peccatorũ ſuorum,nec gratiam unquam inueniſſe affirmat,ęque nos docet idem ille ueritatis Euangeliſta Ioannes, Qui enim non diligit,inquit,manet in morte, Dilectio ergo uitam præcedat oportet,ſi ad eam uſq; mors permanet. Ad hæc, Iuſtificationis gratia in Chriſto, ab adoptiõis filialis gratia in eodẽ,eſt inſeparabilis, Sed hanc, ſine dilectione eſſe non poſſe, Chriſtus clariſſimis uerbis affirmat, cum Iudęos iactantes ſe deum patrem habere, mendacij coarguit, Si deus,inquit pater ueſter eſſet, diligeretis utiq; me. Dilectio ergo demonſtrat filios: nec poteſt quis eſſe Dei filius, niſi qui Chriſtum, & in Chriſto patrem diligit.

Eſt ergo dilectio Dei, conditio in nobis neceſſario requiſita

quiſita ad aſſequendam à Deo iuſtificationis in Chriſto, & adoptionis filialis gratiam.

Quod autem eadem, ad eandem, ſit diſpoſitio proxima, efficax, atq; inſeparabilis, ut nuſquam hæc deſit, ubicunq; illa adſit, diuina ſapientia, & per Solomonem, & per ſe ipſam palam loquitur. Per illum. Ego, inquit, diligentes me, diligo. Per ſeipſam uero apud Ioannē. Qui diligit me, diligetur a patre meo, & ego diligam eum, & rurſus. Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit, & pater meus diliget eum, & ad eū ueniemus, & manſionē apud eum faciemus. In omnes ergo, et ſolos, illos, qui eo uſq; peruenerunt, ut deum ſyncero illo amore diligant, iuſtificationis, & filialis adoptionis gratiā operatur uis paſſionis Chriſti, et ſanguinis. Qui, cum etiam in timore illo Dei filiali intelligatur, & comprehendatur, & illi quoq; diuinę hoc ipſum ſcripturæ attribuunt. De quo, ſpiritus ſanctus per os Dauid ita pronunciat.

Vt inſeparabilis.

Quomodo, inquit, miſeretur pater filiorū, miſertus eſt dominus timentibus ſe, quoniam ipſe cognouit figmentū noſtrum, recordatus quoniam puluis ſumus, homo, ſicut fœnum, dies eius, tanquam flos agri. Et iterum. Miſericordia autem domini ab æterno, & uſq; in æternum, ſuper timentes eum, & iuſtitia illius, in filios filiorum, his qui ſeruant teſtamentum eius, & memores ſunt mandatorum ipſius ad faciendum ea. In quibus uerbis, nota uerba, & ſigna myſteria.

Miſericordia domini fixa ſuper timētes ſe, utq; eos ſolos filiorum loco habeat, & dignetur Iuſtificationis gratia.

Teſtamentum, eſſe uoluntatem teſtatoris, qua hæreditatem alicui defert, atq; adeo ipſam hęreditatis donationē, ipſa indicat uocabuli ratio, Sed quo pacto, noſtrum id ſit, & a nobis exigatur teſtamentum ſeruare, merito dubitabit aliquis. Cum hoc magis ad teſtatorem, & dantem hæreditatem, quam ad nominatum hæredem pertineat, teſtamē-

Teſtamentū.

Quomodo ad nos pertineat teſtamentū dei ſeruare.

tum, aut ſeruare, aut mutare, aut infringere. Sed huius ſuæ dubitationis ſolutionem mox inueniet, ſi duplex (quod ad propoſitū attinet) genus teſtamentorū diſtinguat: alterū, abſolutum, & ſimplex: condicionale alterum: In illo, nihil exigitur ab eo cui defertur hæreditas: proinde, eius non eſt teſtamentum ſeruare, aut infringere. In hoc exigitur appoſita conditio, quam niſi ſeruauerit, teſtamentū non ſeruat, ſed irritum reddit. Itaq; cum a nobis exigatur, ut Dei teſtamentū, illud æternū, quod in Chriſti ſanguine confirmatū eſt, hoc eſt, hęreditatis cœleſtis regni factam nobis donationē in Chriſto, obſeruemus, utiq; intelligimus teſtamētum illud Dei, condicionale eſſe, non abſolutū, & ſimplex.

Teſtamentum Dei conditionale.

Teſtator ſiquidem, ipſe Deus, ratum uult eſſe teſtamentū ſuum, æternū, & perpetuum: a nobis tamē exigit, ut impleamus conditionem in hæreditatis delatione in teſtamento appoſitā. Forte queris ea quæ ſit? Grauis ſane nō eſt, nedū nō impoſſibilis, et quā idē ille diuinus ſpūs in pręmiſſis uerbis nobis expreſſit. Itaq; cū affirmauit iuſtitiā Dei in illos reſidere, qui ſeruāt teſtamētū eius, ne dubitare poſſes quosnam illos intelligeret, cōtinuo ſubiunxit, Et memores ſunt mandatorū eius ad faciendum ea. (&) coniunctio hic expoſitiua eſt: perinde, ac ſi dixiſſet. Illi ſeruant teſtamentum eius, qui in illo filiali, de quo præmiſit, timore ſe continentes, ſolliciti ſunt mandata eius implere. Non dicit. Qui omnia mandata eius implent, & faciunt. Nam illam diſtrictionē miſericorditer remittit, ut pius pater, noſtræ fragilitatis nō ignarus, ut in multis omnes delinquimus: ſed qui memores, inquit, ſunt mandatorum eius, & conantur ea implere pro ſuæ infirmitatis modulo: ex qua, ſi labantur interim, & alicubi, aut dormitent, aut deficiant, ſaluo tamen illo filiali timore, & abſq; hoc, quod mandata eius negligant, & poſt tergum proijciant, nihilominus ſuper illos manet confir-

Et quæ illa, quam includit conditio.

Timor filialis, & amor.

mata

mata eius miſericordia, quotidie ignoſcens quod peccat infirmitas, & hij ſeruant teſtamentum eius, & hæreditatis in quam tranſſcripti ſunt, efficiuntur participes: atque ipſis pius pater, quod per ſe longe deficiebat a perfectione iuſtitiæ, ad iuſtitiam imputat: immo, ſua ipſum iuſtitia ueſtit, & iuſtum facit. Iuſtitia illius, inquit, non horum ipſorum, ſuper hos eſt: quæ per ſe nullius meriti erant, horum pia opera, acceptat ad premium, & ingenti mercede remunerare dignatur, Beneplacitum eſt, inquit, domino ſuper timentes eum, & in eis qui ſperant in miſericordia eius. Propriæ iuſtitiæ his nullus reſpectus, nulla fiducia eſt, ſed ſuper una ſperant miſericordia eius: probe intelligentes uniuerſum hoc, repoſitum in ſolo eius beneplacito, liberalitate, & gratia.

Vt ſuæ innocētiæ integritatisq; memoria ſubinde ſe conſolentur & cōfirmant ſancti

Cum quo non pugnat, quod innocentiæ integritatiſque ſuæ memoria ſubinde ſe conſolantur, & confirmant ſancti; neque ab ea etiam predicanda interdum abſtineant, Neque enim cum hoc faciunt, in operibus ſuis, in iuſtitia ſua gloriari, & confidere intelligendi ſunt, ſed magis in unam Dei bonitatem, & miſericordiam intendere oculos: ſuam aeque iuſtitiam neſcire, ſed unam Dei in ſe iuſtitiam agnoſcere, & prædicare: neque ignorare dicendum ſibi cum illo fideli Dauid, Si iniquitates obſeruaueris domine, domine quis ſuſtinebit? & illud, Non intres in iudicium cum ſeruo tuo, quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis uiuens. Quid igitur? Quoniā nō ignorant miſericordiā domini, ut pijſſimi patris erga ſuos filios, fixam ab æterno uſque in æternum ſuper timentes ſe, & iuſtitia illius iuſtificari eos qui ſeruant teſtamentū eius, hoc eſt, qui in timore illius ſe cōtinentes, memores ſunt mandatorū eius, & conātur ea implere, pro ſuæ infirmitatis modulo, ſeruati eiuſmodi teſtamenti cōſciētia, certa fidutia etiā hereditatē teſtamēto

miſericor-

miſericordiſſimi domini delatam expectant: ſcriptos ſe filios gloriantur: & in pijſſimi patris erga ſe beneuolentia, magna conſcientiæ ſecuritate, & conſolatione confidenter acquieſcunt, Nam qui timet Deum, & mandata eius non negligit, ſed implere conatur pro ſuo modulo, quomodo, non firmam fiduciam habebit, Deum paterno erga ſe eſſe animo? Quomodo non ſecurus expectabit delatam teſtamento hæreditatem cœleſtis gloriæ, qui impletum a ſe illud ipſum teſtamentum, hoc eſt, conditionem quæ in eodem appoſita, non difficilis a nobis exigitur, certo ſibi eſt conſcius? Nunquid de fide teſtatoris dubitabit?

Non itaq; in ſua iuſtitia, ſed in diuina erga ſe ſancti cõfidunt benignitate, & miſericordia: in domino, non in ſe gloriantur: non ſuam, ſed diuinam in ſe iuſtitiam reſpiciũt: nec ſe iactant impleuiſſe Dei mandata, (quod ratio iuſtitiæ, ſi quam propriam ſe habere confiderent, requireret) ſed quod ea ipſa ante oculos habuerint, nec a ſe reppulerint, ſed memores fuerint eorum ad faciendum ea.

Itaq; ille Dauid in contentione cum inimicis, a quorum iniqua perſequutione, Dei benignitate ereptus fuerat, eundem, iuſtitiæ, & innocentiæ ſuę patrocinatum gloriatur, quod uias domini cuſtodierit, nec impie defecerit a Deo ſuo, Sed quomodo uias domini cuſtodiſſe ſe intelligat, etiam ad noſtram eruditionem explicans, ſubiungit, Quoniam omnia iudicia eius in conſpectu meo; & iuſtitias eius non reppuli a me. Hoc enim benigno domino, & pijſſimo patri ex nobis ſufficit, etiam ſi in implendis illis deficiamus in multis, quę eſt humana infirmitas. Hoc ille imputat nobis ad mundiciem, & iuſtitiam. Hoc ipſum, idem, ut diximus, etiam beneficijs, retributione, & mercede proſequitur. Proinde ille ſubiungit. Et ero immaculatus cũ eo: hic; quia conniuet, nec imputat maculas, his, quos ſua iuſtitia

ſtitia iuſtificare dignatus eſt: illic, quando plene cōiunctis eidem, euacuabitur quicquid ex parte eſt: quando expolita erit omnis ruga, deterſa omnis macula, Interim, obſeruabo, inquit, me ab iniquitate mea, Non dicit, Carebo omni iniquitate mea: ſed, obſeruabo me ab iniquitate mea: cauebo ne impingam: ſi forte impegero, ignoſcet ille, & ſua iuſtitia noſtram iniquitatem teget, remittet, abſumet, nec imputabit, ſed ſuam, quam, et nobis impartit, ac noſtram facit, iuſtitiam in nobis remunerat, Proinde ille pergens, Et retribuet, inquit, mihi dominus, ſecundum iuſtitiam meā. Suam dicit, quæ Dei, in ſe, eſt: non, quæ ex ſuis ſibi conſtet operibus: ad quam reſpiciens dicit, Non intres in iudicium cum ſeruo tuo, quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis uiuens.

Quanquam, & hoc pacto ſancti, innocentiæ, integritatiſq; ſuæ recordatione, ſubinde ſe conſolari, confirmareq; intelligendi ſunt, ut ijs, uelut ſignis, quibus diuinæ in ſe benignitatis, fidutiam in illum ſuam, magis, magiſq; confirment, & fulciant, dum memoria repetunt, quæcunq; in ipſos dona Deus contulit, Quæ, nobis quodammodo ſunt inſtar radiorum uultus domini, quibus ad ſummam illam bonitatis lucem contemplandam illuminemur: & multo maxime, bonorum operum gratia: quæ ſpiritum adoptionis nobis datum, quodammodo certos nos poteſt facere: tanquam ex uocationis fructibus, in filiorum ſe locū a domino cooptatos gloriantes, cum a conſcientię ſuæ innocētia, illam ſuam in Deo fidutiam confirmant, atq; inde ſumunt exultandi, & in domino gloriandi materiam.

Quod uero etiam hanc obteſtationem, quo exaudiantur, in eo quod petunt a domino, interdū uſurpaſſe, & uſurpare inueniūtur, Se ambulaſſe in integritate, & cordis ſimplicitate, coram facie eius: eo reſpectu feciſſe, & facere intelligendi *Quomodo etiam ſub obteſtatione ſuæ integritatis, et in-*

nocentiæ non nunq̃ orant dominum.

ligendi ſunt, quo ſuam fiduciam in Deum confirment, ad impetrandum ab eodem auxilium in neceſſitate, quod poſtulant, In quo, nõ ad operum ſuorum dignitatem, non ad uitæ ſuæ, quatenus ipſorum eſt, puritatem, & innocentiã, (cui damnatio potiꝰ deberetur, q̃ premium, ue potius, & maledictio, q̃ benedictio, ſi reuocaretur ad diſtrictum examen, & iudicium) ſed ad diuinã potius erga ſe beneuolentiam, & paternum amorem reſpiciunt, a quo, omnia expectare audeant, Perinde ac ſi dicerent, Tu domine noſti, q̃d filiali amore, timore, ac reuerentia me erga te geſſerim, & proinde, certum habeo tuæ bonitati, atq; etiam promiſſioni fidens, quod tibi curę ſim, et uiciſſim paterno me affectu complecteris, Quare nec dubito, quod in hac etiam me neceſſitate non deſtitues.

Vt ſuam etiã iuſtitiã Dei iudicio examinãdam ſæpe obtuliſſe legãtur

Quod poſtremo, pleriq; recurrũt in ſcripturis loci, quibus iuſtitiam ſuam Dei iudicio examinandam, fideles obtuliſſe inueniuntur, & exegiſſe, ſecundum eam de ſe ſtatui. (In quo ille Dauid, cuius magna erat in dominum confidentia, omnium eſt frequentiſſimus) neq; hoc pugnare cũ explicata a nobis ſententia, is clariſſime intelliget, qui eos ipſos locos, ad rem de qua loquuntur, ſecundũ eius circumſtantiam accõmodat, Neq; enim in ijs uniuerſis, ullum inueniet, in quo quiſquam, de totius uitę ſuę tenore, queſtionem haberi uoluit, & ſecundum eum, uel damnari, uel abſolui expetijt: ſed ſpecialem ſemper cauſam aliquam afferri diſceptandam in iudicium: eamq;, non in ſe nudam, nec ad illam diuinę legis rectitudinem, diſtricto, exactoq; iudicio, ſed diuina ueſtitã iuſtitia, & illo miſericordi, ad multas noſtras infirmitates conniuente, paternoq;, uelut de filijs, affectu, & iudicio. Ad hæc, ad impiorum, ſcœleſtorumq; cõparationem: quorum reſpectu, ſancti dum ſibi iuſtitiam arrogant, & ad ſuam innocentiam comprobandam diuinum

implo

implorant iudicium, nequaquam ſeipſos, uelut omni noxa ſolutos, omni ex parte inculpatos, & puros offerũt; ſed in ſolã Dei bonitatem & miſericordiam, ſalutis ſuæ defigentes fiduciam, ut prædictũ eſt, confiſi eundem fore uindicẽ pauperum, præter ius, & æquitatem oppreſſorum, cauſam, in qua innocentes opprimuntur, illi commendant: nec ſe dubitant una cum aduerſarijs ad tribunal Dei ſiſtere, cauſæ ſuę confidentes innocentiæ, & iuſtitiæ; ſed, quo dictum eſt, modo, & contentione facta cum aduerſarijs: præ quorum malicia, aſtutia, nequitia, ſuam ſynceritatem, ſimplicitatem, puritatemque cordis, Deo compertam, gratamque non dubitant; nec reformidant ipſum inter ſe, & illos inuocare iudicem, Quanquam ubi cum ſolo Deo ijſdem eſt negotium, ubi ad rectitudinem illam diuinæ legis, diſtricto iudicio exigẽda foret, eorum innocentia, omnes cum eodem illo Dauid, qui toties, tam fidenter ad diuinum iudicium aduerſus aduerſarios prouocat, uno ore ſibi merito clamandum intelligunt, Ne ingrediaris in iudicium cum ſeruis tuis, quia nõ iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis uiuens.

Vt itaque ad inſtitutum recurrat, unde nonnihil deflexit, oratio, ad hoc nempe, quod ſyncerus amor ille Dei, eiuſdem filialem illum timorem in ſe continens, neceſſario requiratur in adultis omnibus, quo uirtus paſſionis Chriſti & ſanguinis, in ipſis operetur iuſtificationis, & adoptionis filialis gratiam, præter ea, quibus hoc ipſum diuinarum ſcripturarum eloquijs clare demonſtratum eſt, uniuerſa teſtatur, & confirmat doctrina euangelica, & Apoſtolica.

Deus, inquit ille, lux eſt, & tenebræ in eo non ſunt ullę, Si dixerimus, quoniam ſocietatem habemus cum Deo, & in tenebris ambulamus, mentimur, & ueritatem non facimus, Si autem in luce ambulamus, ſicut ipſe in luce

Amorem illũ, ut neceſſariũ ad ſalutem, ab adultis omni-

bus exigi, uniuerſa demonſtrari doctrina euangelica.

eſt, ſocietatē habemus ad inuicem; & ſanguis Iheſu Chriſti filij eius emundat nos ab omni peccato, Audis tonitrui filium, audis ſecretorum cœleſtium, & diuinorum conſciū, eructantem fluenta doctrinæ ſalutaris, & euangelicæ: quæ & hauſit ex Chriſti, dei ſapientiæ, pectore, Audis inquam, affirmantem, ſocietatem nos cum Deo habere non poſſe, nec emundari ſanguine filij eius, niſi in luce ambulauerimus, Sed quid eſt ambulare in luce, numquid tantum credere? Præceptum domini, lucidum eſſe affirmat ille, & illuminans oculos, Et iterū ſapiens, Legem, lucem dicit. Quos ſequentes, lucem intelligimus, in primis, legem Dei: deinde, iuxta eius præſcriptum, uitæ puritatem, & ſanctimoniam: & ipſos ſanctos deniq;, quibus dixit Chriſtus, Vos eſtis lux mundi, At cū in ipſo maxime Deo, uelut in exemplari, ac fontali quadam plenitudine, illa eminenter reluceat puritas, & ſanctimonia, ipſe, principalis illa lux eſt, quam, etiā ad nos demiſit in Chriſto, ut in illo, uelut lucidiſſimo ſuæ claritatis ſpeculo, eius lucem oculis noſtris magis attemperatam cōtuentes, in eadem ambularemus, In qua, qui ambulant, & dei, uelut chariſſimi patris ſui ſanctimoniā emulantes, tanquam legittimi filij, eius in ſe exprimere, referre, & circumferre conantur imaginem, qui Chriſti ſubſequuntur ueſtigia, illi demum, non in tenebris, ſed in luce ambulant: illis eſt uere cum deo ſocietas: illos emūdat ſanguis Ieſu Chriſti filij eius, ab omni peccato, Qui facit, inquit, uoluntatē patris mei, qui eſt in cœlis, ipſe intrabit in regnum cœlorum, & hæreditatem illam ex teſtamento accipiet; Ea eſt autem uoluntas patris, ut audiamus filium, obtemperemus illi, & ſeruemus doctrinam eius, Factus eſt autem (inquit ille Apoſtolus) omnibus obtemperantibus ſibi cauſa ſalutis æternæ, Quibus ſolis, idem ipſe Chriſtus, liberationem a morte æterna promittit, atq; eos ſolos inter ſuos

Non emundari Chriſti ſanguine, niſi qui in luce ambulant.

Quid ſit ambulare in luce.

Hæc notent quibus ſalutis ſuæ cura eſt.

ſuos agnoſcit. Si quis, inquit, ſermonem meum ſeruauerit, non uidebit mortem in æternum, & iterum. Si uos manſeritis in ſermone meo, uere diſcipuli mei eritis. Qui hoc nõ faciũt, ſed contraria potius ingrediuntur uia, quicquid credant, aut non credant, ſi emundari ſe ſanguine eiuſdem ſibi perſuadent & alijs, cum Deo ſe ſocietatem habere, atq; eũdem ſibi eſſe patrem propitium: ſe, alioſq; decipiunt, & ueritas in eis non eſt. Alio ſane, ut audiſti quam credere, opus eſt: ambulare in luce oportet, Chriſtum ſequi, & ingredi per eius ueſtigia, illi obſequi, Quod etiam ubiq; nobis inculcat Apoſtolus. Eſtote, inquit, imitatores Dei ſicut filij chariſſimi, & ambulate in dilectione, ſicut & Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis, oblationem, & hoſtiam Deo, in odorem ſuauitatis. Hoc eſt in luce ambulare, imitari Deum pro noſtro modulo, atq; eius imaginẽ, uitæ ſanctimonia in nobis exprimere, ſicut decet filios chariſſimos: & ambulare in dilectione, ad Chriſti exemplum, qui prior, quamuis inimicos, dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis. Quem qui ſequitur, uiuit iam, non ſibi, ſed Deo, & proximo: nec amicis tantum, ſed, & inimicis ſtudet benefacere, Dei patris ſui, & Chriſti erga nos charitatis emulator factus. Quandoquidem, & ille, ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos: & hic, etiam pro ſe crucifigentibus orauit.

Hac una uia omnes oportet ad uitam ingredi, quæ, uniuerſus, totuſq; Chriſtus eſt. Ego, inquit, ſum uia, ueritas, & uita: & nemo uenit ad patrem, niſi per me. Per Chriſtum ambulant, et ad patrem perueniunt, quibus eius uita, actio & doctrina, ſui ingreſſus metha eſt. Illum, lucem mundi, ſequuntur lucis filij, lucis fructus operantes, qui ſunt in omni bonitate, iuſtitia, & ueritate: & probantes quæ ſunt beneplacita Deo, alieni ab infructuoſis operibus tene-

Vna ad uitam uia Chriſtus. Qui per Chriſtum ambulẽt.

bratum, immo, ea ipſa redarguentes. Ab hac uia ſi decli-
nauerimus, & carnis deſyderijs obſequuti, abeuntes retro,
impleuerimus eius opera, etiam quicquid demum credide-
rimus; etiam ſi haberemus fidem qua montes transferre
poſſemus, non habituros nos partem in regno dei, & Chri-
ſti, idem affirmat Apoſtolus. In illa uia, una nos illa Dei
charitas continet, perpetuo coniunctum habens ſollicitum
illum filialem timorem, illi placere, & mandatis eius obſe-
qui, per omnia fideliter ſtudentem. Quæ una, digne con-
uerſari nos euangelio, & doctrinæ Chriſti facit, & contēp-
tis, conculcatiſq; his terrenis, & caducis, toto pectore anhe-
lare ad illa cœleſtia. Vna præſtat, quod Chriſtus exigit ab
his pro quibus eſt mortuus, ut ipſis fructus paſſionis, &
mortis ſuæ ualeat: Chriſtus unus, inquit Apoſtolus, pro
omnibus mortuus eſt, ut qui uiuūt, nō amplius ſibi uiuāt,
ſed illi qui pro ipſis mortuus eſt, & reſurrexit.

In uia illa, unā nos Dei charitatē cōtinere.

Itaq; ut hic aliquando concludamus de noſtri iuſtifica-
tione, quatenus a nobis dependet, & quo pacto diſpoſitis,
nobis iam adultis, & qui propria peccata illi originali ſu-
peraddidimus, operetur in nobis uirtus paſſionis Chriſti,
& ſanguinis, noſq; ab peccato emundet, & quæ ſit illa in
nobis ad iuſtificationis gratiam diſpoſitio proxima, neceſ-
ſaria, atq; inſeparabilis, iam demonſtratū eſt pleraq; requi-
ri in nobis, & in primis fidem, ex fide pœnitentiam, & dete-
ſtationem uitæ ueteris, deinde, & ſpem ueniæ, ac fiduciam
in Dei bonitatem, ac miſericordiam, ſed omnium horum
conſummatio, eſt ille Dei amor ſyncerus, dominium in cor
de noſtro iam obtinens: ſecum inſeparabiliter coniunctum
habens illum ſanctum, & ſollicitum timorem, & fidele ſtu-
dium, uoluntati eius obſequendi per omnia: ad cuius ad-
uentum uſq; mors in nobis permanet: etiā cum illis ipſum
præcedentibus omnibus: fide inquam illa, & uitæ ueteris

Concluſio de Iuſtificatione noſtri, quatenus a nobis pēdet.

deteſta-

deteſtatione, ac pœnitudine, ſpe ueniæ in Dei bonitatem, ac miſericordiam, Per quę omnia, quouſq; eo perduct⁹ peccator fuerit, ut Deum ſyncero corde, ut prædictum eſt, diligat, adhuc in morte permanet: nihil ſe eſſe affirmat Apoſtolus cum prioribus illis omnibus, quamdiu abeſt charitas, Cum qua, primum incipimus eſſe aliquid: cum ea primum nos induit, & ſuper nos recumbit illa Dei iuſtitia, & Chriſti ſanguis ab omni peccato nos emaculat. Id quod mihi ex euidentiſſimis, quas induximus diuinarum ſcripturarum ſententijs, & doctrina Chriſti, & apoſtolica, irrefragabiliter demonſtratum uidetur.

Obiectio ex uerbis Chriſti, qui ad ſalutem nihil quã fidẽ et baptiſma exigit.

Videbor forte pleriſq;, arctiorem quam ſit, ſalutis uiam facere. Chriſtum ſiquidem promiſiſſe ſalutem credentibus & baptizatis omnibus. Quicũq;, inquit, crediderit, & baptizatus fuerit, hic ſaluus erit. Solam proinde fidem, una cũ baptiſmo, ad ſalutẽ exigit. Quam nos hactenus demõſtrauimus, ſine operoſa illa dilectione nulli contingere. Quod ſi uerũ eſt, uerendum admodũ, ne pauci ad ſalutem perueniant. Cum ſynceram illã, dominãtemq; charitatem in paucis reperire ſit.

Sed ij uideant, ne in dictis Chriſti uerbis paralogizent ſemetipſos, & alios. Non enim hic de re parua, ſed de ſumma ſalutis noſtræ agitur. Ipſe certe Chriſtus teſtis eſt, arctã eſſe uiam quæ ducit ad uitam: & non ſolum non ambulari, ſed nec inueniri quidem, niſi a paucis, affirmat. Proinde, & nobis, ne in ea aberremus, & quod dicitur, impingamus in oſtio, magnopere, & metuendum, & cauendum eſt. Ego certe, qualem a Chriſto, & Apoſtolis doceri uideo, talem, et explicare conatus ſum pro uiribus: nihil de meo addens, nihil detrahens.

De qua fide loquatur Chriſtus.

Quod autem Chriſtus credentibus, & baptizatis ſalutẽ promiſerit, confitemur, & agnoſcimus: ſed nobiſcum uideant, &

ant,& diligenter perpendant,ne forte,de alia,quam Chriſtus,fide,cum ipſum , & hoc loco,& alijs pleriſq; loquutũ intelligant.

Supra fidei uarias,quæ in ſcripturis recurrunt,acceptiones explicantes,& diſtinguentes,principaliorem , atq; uſitatiorem in ſermone eccleſiaſtico eam oſtendimus,quæ ueritatem Dei proprie reſpicit: & qua menteet animo,illi firmiter aſſentimur,atq; innitimur: qua , & Chriſti fideles dicimur: & diſtingui eam a ſpe , & charitate, tam ex rationibus earundem proprijs,quam ex diuinarum ſcripturarum authoritate euidens fecimus. Admonuimus nihilominus lectorem,de eadem, non ſemper ſimpliciter loqui ſcripturas,Chriſtum,& Apoſtolos,ſed nonnunquam,de ea, ut uiua,& charitatis calore fota & accenſa fructificante, producenteq; fructus iuſtitiæ. (Nam uitam omnium quæ in nobis ſunt charitatem eſſe, & ad eam uſq; nos permanere in morte, atq; adeo fidem ipſam ſine ea dici mortuã,ex ſupra inductis, & clariſſima Iacobi ſententia indubitatum eſt) Quod alicubi Apoſtolus diſtinctionis cauſa etiã explicat, de eiuſmodi nempe uiua fide ſe loqui,ut cũ dicit, Fides quę dilectionem operatur: alicubi non explicat,quaſi ſatis indicatum,& apertum ex circumſtantijs, præcedentibus,& ſequentibus. Quod cum plurimis locis faciat,unum hic ex omnibus produxiſſe ſuffecerit,qui propoſitę,ingeſtæq; difficultati explicandæ magis accommodus , & cognatus mihi uidetur.

De fide, non ſimpliciter,ſed ut uiua ſæpe loqui ſcripturas.

Charitas uita omnium quæ in nobis ſunt.

Itaq; cum dicit. Vos ipſos tentate,ſi eſtis in fide: ipſi uos probate. An non cognoſcitis uoſmetipſos,quia Chriſtus Ieſus in uobis eſt? niſi forte reprobi ſitis.Hoc inq; loco,de fide,non illa nuda,ſoláq; ſecundum rationem ſuam propriã, (de qua,cum dicit,fides,ſpes,charitas,tria hæc, maior autẽ horum charitas,item,cum dicit: Si habuero omnem fidem

Locus Apoſtoli, qui de fide uiua neceſſario intelligendus conuincitur.

ita ut

ita, ut montes transferam, charitatem autem nō habuero) ſed de uiua illa (ut diximus) quę per charitatem fructificat, & producit fructus iuſtitiæ, loqui illum indubitatum eſt. Quandoquidem argumentum huius fidei, ad quam, eam ipſam explorare nós iubet, an in nobis ſit, hoc profert, ut inquiramus, & noſcamus, an Chriſt⁹ in nobis ſit, At Chriſtus in nobis non eſt, adhuc in morte manentibus, neq; in alijs, q̃ qui in charitate permanẽt, Quibus mortificato corpore peccati, uiuit ſpiritus iuſtitiæ, Siquidem, an Chriſtus in nobis ſit, quo pacto internoſcere debeamus, idem Apoſtolus hunc lydium lapidem profert, Si Chriſtus, inquit, in uobis eſt, corpus quidem mortuũ eſt, propter peccatũ, ſpiritus uero uiuit propter iuſtificationem, Hoc eſt, quod alijs uerbis alibi dicit, Si mortificationẽ domini noſtri Ieſu, in corpore noſtro circumtulerimus, quo & uita Ieſu manifeſta ſit, & uigeat in nobis, tum demum ſperandũ nobis eſſe, q̃d Chriſtus in nobis ſit, Qui enim Chriſtũ, aut ſpiritũ ei⁹ in ſe habẽt, hij ſoli, Chriſti ſunt: qui autẽ Chriſti ſunt, carnẽ ſuã crucifixerũt cũ cupiditatib⁹, & cõcupiſcẽtijs ſuis, Quibus caro concrucifixa eſt Chriſto, etiam ſpiritus uiget, & uiuit cũ Chriſto, In ijs autem ſolis Chriſtus eſt, Si enim Chriſtus in uobis ſit, corpus quidem mortuum eſt propter peccatum, ſpiritus uero uiuit propter iuſtificationem.

Nota, quale exiſtentis in nobis fidei argumẽtum, requirat Apoſtolus.

Exiſtẽtis in nobis Criſti argumentũ, Si corpus ſit mortuum peccato, et ſpiritus uiuat iuſtitiæ.

Quæ tamẽ, quo paulo clari⁹ intelligant̃, memoria repetẽda ſunt, quę de corpore, aĩa, & ſpiritu, ſuperiori cõtrouerſia, a nobis ſunt expoſita, Vtq; in corpore, aut carne noſtra, uiuat, uigeat, & regnum ſuum habeat peccatum: uelut inſtrumentis ſibi commodis utens, concupiſcentijs, ac deſyderijs eius, illectantibus, & ad peccati conſenſum attrahentibus, in medio poſitam animam, Cui ex altera parte, uelut pedagogus quidam diuinæ irradiationis capax: adiunctus ſit ſpiritus: quem, & mentem, & cõſcientiam uocari in ſcri-

Corpus.
Anima.
Spiritus.

pturis oſtendimus, quo, eandem animam ſurſum retrahat, de melioribus admoneat, de culpis caſtiget & arguat. Eſſe proinde bellum hoc in nobis irreconciliabile, inter carnem & ſpiritum.

Viuere.
Emortuũ eſſe.

Deinde, & hoc ex communi uſu loquendi, memoriter tenendum eſt, tunc uiuere unumquodq; dici, cum uiget, ac ualet, & ſuas operationes expedite ualideq; exequitur: contra uero, languidum, imbecille, atq; adeo emortuum dici, quod uelut conſopitum, proſtratumq; iacet, nec poteſt, quæ ſui ſunt iuris, functionis, aut operis: expedite perficere: ſed impeditur, aut ſua ipſius imbecillitate, aut a fortiori aliqua cauſa contraria.

Quantũ deprimitur, infirmaturq; unũ in nobis contra pugnantiũ, tãtum erigi, roborariq; ſuum aduerſarium.

Certum eſt autem, in his contra ſe pugnantibus in nobis athletis, carne inquam, & ſpiritu, quantum deprimitur infirmaturq; unum, tantum erigi roborariq; ſuum aduerſarium, Robuſta, ac dominante carne, & concupiſcentijs deſyderijſq; eius uniuerſum imperium obtinẽtibus in regno hominis, oppreſſus, & in anguſtum coarctatus, peccatorum, cupiditatumq;, uelut uinculis cathenatus, deiectus, proſtratuſq;, & infirmus iacet ſpiritus: ita, ut uix ſentiatur cõatus eius inualidus. Qui ſi cõtra uiuat, uigeat, ac ualeat, & uelut uim igneã cœlitus nactus, abruptis, atq; adeo liquefactis, & in nihilum redactis ſuæ captiuitatis uinculis, non in libertatem ſeſe modo uendicet, ſed etiam imperium obtineat, uniuerſaq; in regno hominis ſui iuris faciat, ſuum aduerſarium, illam carnem peccati, conterit, ſubiugat, opprimit, atq; adeo mortificat. Quod, quo facit diligentius, uehementius, atq; inſtantius, tanto ipſe euadit potentior: & abſolutius imperium aſſequitur, ut cuius uirtus, in ſui aduerſarij infirmitate perficitur.

Mortificationem, aut mortẽ, quid hic in-

Cum hic mortificationem, aut mortem audis, non illã communem intelliges, hoc eſt, ſeparationem animæ a corpore:

pore: nec illam etiam ſecundam, animæ mortem, ſepara- tionem inq; eius a Deo, quæ per peccatum uenit, atq; eius eſt ſtipendium, & de qua toties ſcriptura, Anima quæ pec- cauerit, ipſa morietur: ſed eam, quam diximus, mortem lau dabilem, qua mortificatur caro peccati, & ſpiritui ſub- iecta redditur: qua quis moritur peccato, & conſepelitur Christo, per quam uiuificatur ſpiritus, & uita æterna ac- quiritur. *telligere oportet.*

Quin, & hoc animaduertendum eſt, pro clariori intel- ligentia locutionis, quam hic tractamus, apoſtolicæ, quod ex uſu latini ſermonis, illi quis uiuere dicitur, cui uelut ad- dictus ſeruit, quo ſuæ uitæ ſcopũ dirigit, a quo affectu pẽ- det, & quod præcipuum in uita ducit. Vt quidam ſibi, qui- dam alijs, quidam uentri, auaritiæ, gloriæ, mundo, quidam etiam uirtuti, & ſapientiæ ſtudio, Deo deniq;, dicuntur ui- uere. Et ſicut uitam mors terminat, ita rurſus, mori dicun- tur ijs, quibus uixerunt, cum ab eiſdem, cogitatione, ſtudio & affectu ſeparantur. *Alicui uiuere, aut mori, quid ſit.*

Ita, qui uixerunt peccato, per mortẽ Chriſti rurſus mo- riuntur peccato, ut uiuant Deo, Moriuntur inquam pec- cato, per odium, deteſtationem, ac pœnitentiam uitæ uete ris, ad eam ipſam prouocati Chriſti doctrina, exemplo, & erga nos amore, & ſtudio, atq; ad dei ſe uoluntatem iam cõ ponunt: illi ſe prorſus ex amore illo ſyncero ſubijciũt: ab eo pendent: Chriſtum imitari conantur, & uita, moribuſq; ex primere, quod eſt, non iam ſibi, ſed Deo, in Chriſto uiuere, Quod qui faciunt, ij demum Chriſtum induerũt, Chriſtũ, atq; eius ſpiritum in ſe habent: ijs mortua eſt caro peccato, & ſpiritus uiuit iuſtitiæ. Opera proinde illa ſua, non po- teſt in iiſdem caro perficere, quamuis ut non plene mor- tua (quod hic non aſſequimur) ſuggerere ea non deſinat, ſed opera, fructuſq; uiuentis ſpiritus in eiſdem eſt cernere: *Quomodo qui uixerunt pec- cato, per Chri ſti mortem mo- riuntur pecca- to, ut uiuant deo in Chriſto.*

Quę uniuerſa (quorſum hęc prolixius inducta ſunt) requirit illa fides, de qua, memorato loco loquitur Apoſtolus, ut cuius indicem, ad quem ipſam explorare nos iubet, an in nobis ſit, hunc profert, ut internoſcamus an Chriſtus in nobis ſit: qui eſſe in nobis non poteſt ſine his omnibus, Loquitur ergo de fide illa, quæ per charitatem uiuit, & noſtrū ſpiritum, quo dictum eſt modo, uiuificat, & operatur fructus iuſtitiæ, Quod ideo aſtruximus aliquanto diligētius, quoniam non partim hinc lucis pendere ad ſtatum pręſentis controuerſiæ, poſt intelliges.

Obiectionis inductæ, ex prædictis ſolutio. Itaq;, quod uideretur forte quibuſdam, Chriſtum, illū, quem nos ſupra aſſeruimus Dei amorem, non exigere ab adultis omnibus, ut ad ſalutem neceſſarium, Ego contra exiſtimo, Nec aduerſari nobis, quod promittit ſalutem credentibus, & baptizatis omnibus, Primum, quoniam de fide, nihil dubito ipſum hic loqui eodem modo, quo eius Apoſtolum inducto per nos loco, ut & alibi ſæpe, loqui, nunc demonſtrauimus: uiua inq; illa, quæ per charitatem operatur fructus ſpiritus, mortificata carne peccati, Deinde, Quoniam etiam in baptiſmo, ut nobis ad ſalutem ualeat, cōſepeliri nos Chriſto oportet ut peccato mortui, in nouitate uitæ ambulemus.

Etiam baptiſmū requirere, dignam pœnitentiā uitæ ueteris, quæ niſi ex amore Dei digne nō peragitur. An ignoratis, inquit ille, quia quicumq; baptizati ſumus in Chriſto, in morte ipſius baptizati ſumus? Cōſepulti enim ſumus ei per baptiſmum in mortem, Vides, ut quiſquis legittime in Chriſto baptizatus eſt, ei ipſi quoq; per baptiſmū conſepultus eſt, Quod fieri non poteſt, niſi prius ſit mortuus peccato, Mortuo enim, non uiuo, ſepultura debetur, Quid autem ſit mori peccato, paulo ante a nobis explicatum eſt: nempe, deteſtari, atq; execrari peccatū, & ab eo auerti, affectu & animo, & dignam pœnitentiam

agere

agere uitæ ueteris. Quæ, niſi ex amore illo Dei procedat, non digne peragitur. Quemadmodum poſt, in controuerſia, de pænitentia, demonſtrabimus., Pœnitentiam autem hanc prærequiri baptiſmo, in his de quibus loquimur adultis, qui commiſerunt de quo merito pœniteant, non ſolũ hoc loco Apoſtolus, ſed uniuerſa habet doctrina Chriſti, & apoſtolica. Sed inſequentibus controuerſijs proprius de hoc locus incidet.

Et hactenus quidem, de myſterio redemptionis, iuſtificationis, ſalutisq; noſtræ, & quatenus a Deo, & Chriſto, et quatenus a nobis pendet, ſecundum diuinarum ſcripturarum authoritatem, euangelicam, apoſtolicamq; doctrinã, & catholicæ fidei regulam, quanta potui luculentia, et fide a nobis explicatum eſt. In quo, quod aliquanto prolixiores fuimus, res ipſa requirebat: cui accommodari, & ſeruire debet oratio: prȩſertim cum ex hoc clare demonſtrato, totius iſtius, grauiſſimæ ſane & maximi momenti controuerſiæ, ſtatus præcipue pendeat.

Et quanquã in eo, magna ex parte, non uideantur admodum pugnaturi nobiſcum noſtri aduerſarij, ut quos uideo eiuſmodi quid, quale a nobis explicatum eſt, imaginari de eodem: & uidere, ſed quaſi, a longe, & per denſam falſarum opinionum ſuarum caliginem, & tanq̃ per ſomniũ, nec poſſint clare explicare, quid uidere ſe uideant, quemadmodum ſcripta eorum teſtantur omnium, conſideremq; fore, ab initio, ſi ita inueniſſent, ut a nobis eſt, explicatum ab aliquo, priuſq; ſuo illud marte, ſuo ingenio, & ſenſu explicare aggreſſi ſunt, ut acquieuiſſent in eodem: abſtinuiſſentq; a comminiſcendis portentis illis, nouæ eius ſuæ commentiæq; fidei, quæ ad Lutherum uſq;, eſt inaudita eccleſiæ: atq; utinam ijſdem reiectis, claræ catholicæ ueritatis luci, nobiſcum acquieſcerent; tamen, quando hactenus

uentum eſt, ad eam ipſam clariſſimæ ueritatis lucem, uniuerſa eorundē hac de re doctrina diligenter excutienda eſt, & quo clare, qualis ſit, ab omnibus poſſit conſpici, conſtituenda ſub oculos.

Quid inter aduerſarios, & catholicos hic præcipue controuertatur.

In primis, non admodum, puto, pugnabunt nobiſcum in iuſtificationis (ut à nobis explicatum eſt) ſalutiſq; myſterio, quatenus ex Deo, & Chriſto eſt. Sed in hoc uertitur uniuerſa hæc noſtra cōtrouerſia, in quibus ex nobis, & quo pacto diſpoſitis operetur. Nos demonſtrauimus, & fidē illam proprie dictam, qua Dei ueritati, mente, & animo firmiter aſſentimur, atq; innitimur, requiri; & præter eam, etiam ſyncerum illum, & uincentem omnia in corde noſtro, Dei amorem; qui, & filialem illum timorem in ſe complectitur, ſollicitumq; mandatis eius in omnibus obſequendi ſtudium. Illi Charitate nos iuſtificari negant, (quam ſententiam, & in locis, & in commen: ſuis in epiſ. ad Rom. ſæpe repetit Philippus) ſed ſolam fidem quandam exigunt, uelut diſpoſitionem proximam, quæ a nobis iuſtificandis exigitur, & qua poſita, nunquam deſit iuſtificationis gratia. Neq; enim adeo craſſos exiſtimo, ut illam ipſam fidem ſuam, gratiam iuſtificationis exiſtiment, quippe, quæ, etiā ipſis authoribus, ſit peccatorum noſtrorū remiſſio: ſed neceſſarium, & proximum medium in nobis, ad aſſequendā illam iuſtificationis gratiam. Proinde Lutherus, in epiſ. ad Galat. ſolam fidem docet neceſſariam, cætera omnia libertima, nec præcepta nec prohibita.

Itaq; quod illi ſola fide, non charitate iuſtificari nos affirmant: Nos contra dicimus, nec fide, nec charitate noſtra nos iuſtificari coram Deo, ſi formaliter, & proprie loquamur: ſed una Dei in Chriſto iuſtitia: una Chriſti nobis communicata iuſtitia: una ignoſcente nobis peccata noſtra Dei miſericordia: quod ſupra euidens fecimus. Vt uero

intelligamus

ſntelligamus nos iuſtificari, ſeu fide,ſeu charitate,uelut diſpoſitionibus,aut medijs quibuſdam,in nobis,ad iuſtificationis gratiam a Deo obtinendam neceſſarijs,nos utramq; & fidē,& charitatē neceſſario requirimus,ſed hanc,non illam,eſſe diſpoſitionem proximam & inſeparabilē, a iuſtificationis gratia,etiam a nobis demonſtratum eſt: ut hoc locutionis modo, charitate, quā fide iuſtificari,nos uerius dixerimus.

Charitate,quā fide,magis iuſtificari nos,tametſi a neutra proprie.

Quod autem in Apoſtolo paſſim recurrit, iuſtificari nos fide, aut per fidem in Chriſto, atq; eius ſanguine,eiuſmodi eſt,ut nobis ſemper inculcet,non in nobis,aut operibus noſtris,ſed in Chriſto iuſtitiā noſtram quærere: quo phariſaicam illam,impiamq; opinionem iuſtitiæ propriæ,quæ ex noſtris operibus eſt, (quæ carnales Iudæos, quibus cum ipſi perpetuum erat negotium,fere,occupauerat, qui ſuam quærentes iuſtitiam ſtatuere, iuſtitiam Dei aſſequuti non ſunt) eliminaret e mentibus fidelium: doceretq; in uno Chriſto noſtram iuſtificationē eſſe,In eius ſanguine,non in operibus iuſtitię,quę fecimus nos, fidere nos oportere:proinde,fidem,illic confidentiam intelligit.Iuſtificamur erga nos fiducia illa in Chriſto, & eius ſanguine. Sed ille demum,nō uane confidit, in Chriſto iuſtificari ſe, qui illū corde ſyncero diligit,& ſollicite ſtudet obſequi eidem in omnibus. Qui ſolis ſibi obſequentibus factus eſt cauſa ſalutis æternæ. Illos emundat ſanguis eius,qui in luce,hoc eſt, in ipſo Chriſto ambulant, quemadmodum ſupra demonſtrauimus. Proinde,ſi de fidei ratione,& acceptione inter nos conueniret, iam cauſa ſufficienter peracta foret,& ſatis demonſtrata aduerſariæ opinionis falſitas.

Quomodo Apoſtolus intelligat per fidē in Chriſto, & eius ſanguine iuſtificari nos.

Quia tamen de fide,non ex uſu diuinarum ſcripturarū, (ſecundum quas omnes eius acceptiones ſupra diligenter explı-

Aduerſarios, nõ ex uſu ſcripturarum, ſed nouo more loqui de fide.

explicauim⁹,& diſtinximus) ſed nouo more,hactenus a nemine ante ipſos intellecto loquuntur,quo congrederemur certius,neceſſarium nobis fuit in explicanda eius ratione, incumbere aliquanto diligentius:& eam ipſam, ab iiſdem ipſis eius authoribus requirere. Cum in ſcripturis,ut dixi, nullam fidei formam aut characterem qualem ipſi imaginantur,inueniam. Quod dum facere conatus ſum, & eorum ſcripta hac de re pene pererraui omnia, mihi ipſi perſuadere non potui,ut adhuc intelligant,de qua fide loquãtur,& intelligant:tam uarie,tam prodigioſe,illos ipſos de eadem loqui,& docere inuenio,& efficiam,ut etiam tu lector una hoc mecum intelligas.

Quam uarie, quam inconſtãter,quam contrarie.

Luthero ut nihil ſecũ de fide conueniat.

Vt autem a Luthero incipiamus, qui primus nouitiam hanc fidem, de fide commentus eſt, eandem illam definiens,nunc hoc,nunc illud dicit. Alicubi enim credulitatem eam affirmat, eorum quæ diuinitus reuelata & promiſſa ſunt. Ita ſane in actis ſuis, haud multum differenter ab ea, quam communiter loquentes intelligunt,fide catholica. Alicubi uero,non illam,ſed ſingularem quandam, reſpicientem certum aliquid particulare quod agitur. Vt in aſſertio: affirmat nihil oportere eos qui ad euchariſtiã accedũt, orationes,aut alia pia opera præparatoria præmittere, ſed ſatis eſſe,ſi credant ſe gratiam ibi conſequuturos. Eam ſiquidem fidem ſolam,eos dignos,& puros facere, Similiter & in ſacramento pœnitentiæ,aut abſolutione,exigit ut firmiter quis credat,ſe a ſacerdote abſolui:quod quiſquis fecerit,quicquid ſit de cõtritione,& ceteris omnibus,is illi uere abſolutus eſt. Alicubi negat fidem eſſe rerum præteritarũ,ſed ſolũ futurarum,quod facit libello de uotis. Ad hęc libello de fide, & operibus, fides,inquit, nullo modo eſſe poteſt,niſi ſit uiuax quædam,& indubitata opinio,qua homo ſuper omnem certitudinem certus eſt ſeſe placere deo,

ſe deum

ſe Deum habere propitium, & ignoſcentem in omnibus quæ fecerit, aut geſſerit: propitium in bonis, & ignoſcentẽ in malis, Rurſus libello, de libertate chriſtiana, docet eum, qui habet fidem, per eandem, liberum eſſe ab omni lege, & ex mera libertate, omnia quæcunq; facit gratuito facere, nullo prorſus reſpectu ſui, nihil quęrere, nec ſui commodi, nec ſalutis; cum iam ſatur ſit, ac ſaluus; Dei gratia, ex fide ſua: ſed ſolum, unumq; beneplacitum dei, Vide lector, quã hic doctrinæ iſtius nouæ author primus, de ſua illa fide tã topere a ſe prædicata, & cui initium, & finem, atq; adeo totum in ſalutis noſtræ negotio tribuit, loquatur incõſtanter, & infideliter, & uarie, & contrarie: ita, ut neſcias, etiã ſi maxime uelis in eius te dare ſententiam, quam nam fidem ſeq deberes. In quibus tamen omnibus, nihil ex ſcripturis, nihil ex promo, condoq; eccleſiaſticorum dogmatum, ſed nuda, meraq; affert ſui capitis ſomnia.

In primis, Quam immenſo interuallo diſtant, fides, quã in actis, prædicat eſſe credulitatem eorũ, quæ diuinitus reuelata & promiſſa ſunt, & ea, quam deſcribit libello, de libertate Chriſtiana, nulli obſcurum eſt, Illam, nempe catholicam, neceſſario requiri in omni acceſſuro ad deum, & immenſo interuallo, per ſe, abeſſe a iuſtificatiõis gratia, & eſſe etiam in peccatoribus, qui mundi, & Dei gloriam plus diligũt, & in iudicio damnationis ſententiam accepturi ſunt, ſupra, irrefragabili diuinarũ ſcripturarũ authoritate euidẽs fecimus. At fides, quam memorato libello, de lib. chris. deſcribit (de qua eadem, libello de fide, & op. loqui uidetur) infallibilem certitudinem ſalutis preſtat: & adeo catholica nõ eſt, ut mihi non perſuadeam, ullum õmnium, etiã huius ipſius fidei aſſertorum, ſibi perſuadere, ſe talem eſſe, qualẽ hæc fides exigit, ut uidelicet, per fidem iam liber a lege, plus pręſtet, & exigatur a lege: nec iam ultra, ſui, ullũ reſpectum

habeat: nihil de ſua utilitate, ſed nec de ſalute quidem ſolli-citus amplius: uelut eius iam ſecurus, & ſatur omniũ, mera libertate, planeq; gratuito, ob unum Dei beneplacitũ faci-ens, quæcumq; facit omnia. Certe, electus ille Apoſtolus, etiam poſtq; in cœlũ raptus interfuit archanis cœleſtibus, eam fidei perfectionẽ nec ipſe præſtitit, nec a nobis exegit. Immo, quo damnationem effugeret, et ſalutẽ aſſequeretur, caſtigaſſe ſe corpus ſuũ, & in ſeruitutem redegiſſe ingenue prędicat: & quo etiam nos idem faciamus, exhortatur oẽs, Neſcitis, inquit, quod ij, qui in ſtadio currunt, omnes qui-dem currunt, unus autem accipit brauium? Sic currite, ut comprehendatis, Omnis autem qui in agone cõtendit, ab omnibus ſe abſtinet, Et illi quidem, ut corruptibilem coro-nam accipiant: nos autẽ incorruptam. Ego igitur ſic curro, non quaſi in incertum: ſic pugno, non quaſi aerẽ uerberãs: ſed caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo, ne cum alijs prædicauero, ipſe reprobus efficiar. Audis queadmo-dum, & cuius reſpectu, nobis currendum ille doceat: audis ut ſe quoq; cucurriſſe, & depugnaſſe glorietur? Vult nos currere, ut comprehendamus. Quam uiam? numquid aliã, q; & ille ſe cucurriſſe gloriatus eſt? qui ait, Viam mandato-rum tuorum cucurri, cũ dilataſti cor meũ, Ad hũc curſum nos charitas inſtruit, et fortes facit: proinde non ſemper cu-curriſſe ſe hanc uiam ille prędicat, nam ſubinde torpuit, im-mo recurrit retro, & grauiter lapſus eſt: ſed tunc, cum dila-taſti, inquit, cor meum. Dilatatur nobis cor, rei iocundæ, & amatę præſentia: proinde, illa uelut metaphora, diuinum amorem, qui nos Deo coniungit, nobis exprimit: quẽ, ſol-licitum illum, ſanctumq; timorem, & ſtudium, dilecti uo-luntati obſequendi per omnia; includere, & neceſſariũ co-mitem habere, ſupra demoſtrauimus. Hic quando adeſt, nos currere facit: ubi deeſt, torpentes, negligenteſq; ſumus.

Vt Lutheri fi-dẽ Paulus non habuerit.

Ad hũc

Ad hũc curſum nos Apoſtolus prouocat:numquid nullo noſtri, nullo ſalutis per hunc aſſequendæ reſpectu? immo, ſic currite,inquit,ut comprehendatis,Quid? coronam,nõ corruptibilem,ſed incorruptã,Et tu,qui currebas,qui pugnabas Paule?cur caſtigabas corpus tuum, & in ſeruitutem redegeras? Ne forte,inquit,cum alijs prædicauero,ipſe reprobus efficiar,Vides itaq;,nec Paulum ipſum præſtitiſſe, multo minus exegiſſe a nobis eam perfectionem, quã fides prædicata a Luthero,omni prorſus,ſi illi credim⁹,ad ſalutẽ neceſſaria,requirit,& exigit: quinimo & ipſum,hinc,damnationis timore,inde,ſalutis ſpe, ac deſyderio, ſuam ipſius ſalutem operatum fuiſſe,non ſola fide aſſequutum,Vtq; et nos cum timore, ac tremore ſalutẽ noſtram operari doceat, & in renumerationẽ aſpicere,Quę uniuerſa,fidei Lutheri, merę nugę ſunt,immo in dei miſericordiam,et Chriſti ſanguinem blaſphemia,quicquid facimus ipſi, iuſtificationis, & ſalutis aſſequendæ gratia: adeo Zelotypa eſt illa eius fides,& ſocij impatiens, in hoc iuſtificationis negotio,Intelliges proinde,quam diuerſa ſit,Lutheri hęc ſalutaris fides, ab Apoſtolica. Illa, ubicũq; eſt,certũ hominẽ,ſuper omnẽ certitudinem facit, ſe placere Deo,atq; ipſum ſe patrem in omnibus ignoſcẽtem habere,ac propitium, Iſta timorem, ac tremorem, non ſolum admittit,ſed etiam exigit,Iſta dicit,ne forte damner,et reprobus efficiar. Illa,prorſus gratis, atq; ita gratis, a Deo ſalutem accipit, ut in ea, aut ad eam, nihil cooperari nos illi ſinat:ne non totum Dei ſit, aut eius in hoc benignitati, liberalitati, & miſericordiæ detrahatur aliquid. Hæc, etiam iubet, atq; exigit, ut ipſi quoq; noſtram ipſorum ſalutem operemur. Illa non permittit, ut quicq; noſtra ipſorum cauſa faciamus,ſeu damnationis uitandæ,ſeu ſalutis aſſequendæ gratia. Hæc requirit, & docet iſta omnia.

Anthiteſis fidei Lutheranæ, & apoſtolicæ.

Concluſio de Luthero, qđ nec ſecum cõſentiat de fide, nec cum Apoſtolo.

Euidens proinde hinc factum exiſtimo, Lutherũ, nec ſecum conſentire de fide, nec cũ Apoſtolo, quamcumq; tã dem illam ſuam fidem intelligat.

Bugenhagius, ut in eadẽ pplexitate laboret.

Apud Bugenhagium Pomeranum. nihil fere inuenies explicatius, diſtinctius, aut conſtantius, Nam cũ uniuerſo ſuo illo libello, ordinationis nouellæ eccleſiæ ſuæ Danicæ, nihil præter fidem Chriſtianam crepet: & opera quę iuſtificationis & ſalutis noſtræ peraguntur gratia; fortiter explodat, exibilet, expungat, maledictiſq; & conuicijs inſectetur eos, qui ea, aut requirãt, aut doceant, aut faciant, ſalutis iuſtificationiſq; aſſequendę gratia: ſi tamẽ perueſtiges, atq; intelligere quæras, quam illam fidem Chriſtianam intelligat, cui acceptam referendam iuſtificationem, & ſalutem noſtram exiſtimet, etiam ſi uelis illi credere, quid tandem crediturus ſis non intelliges.

Nam frequẽter eam definit, qua certo credimus Chriſtum, coram deo patre eſſe iuſtitiam noſtram, ſanctificationem, redemptionem, & uitam æternam, & qui nos liberet a lege, peccato, & morte, cõſtituatq; ſub gratia: & faciat, ut agnoſcamus, inuocemuſq; patrẽ, Aut (quod mutatis pauliſper uerbis in idem recidit) qua credimus remiſſionẽ peccatorum per Chriſtum, pro nobis conceptum, natum, paſſum, glorificatũ (utraq; enim ſępe utitur) Ex quibus quidẽ finitionibus, cum certi aliquid tibi intellexiſſe uideris, quid fidem illam ſuam, quam euangelicam dicit, intelligat: eandem rurſus obſcuriorum uerborum inuolucro ita inuoluit, & implicat, quaſi ſtudio hoc egerit, ne poſſit a quoquã intelligi, Nec mirum, cum nec ſemetipſum intelligat, Nam fidem, qua credimus remiſſionem peccatorum, propter Chriſtum pro nobis mortuum, facile quiuis intelligit, Nec minus, quod idem ipſe, ſit noſtra iuſtitia coram patre, Cũ hæc ipſa, credat (ut expoſuimus) & crediderit ab initio

uniuerſa toto orbe catholica eccleſia, Itaq; cum ex dictis eius uerbis, quam fidem intelligat, probe tibi intellexiſſe uideris: alteram mox eius finitionem affert, quam ita non intelligas, ut merito dubites nec ex prioribus illis certo te intellexiſſe quid intelligat. Siquidem, eandem definit, fiduciam, qua Christum apprehendimus in conſcientia coram Deo, & in Christo patrem. Cuius definitionis uerba, quanto magis, expendo & ad ſe inuicem confero, tanto minus intelligo, nec puto multos Oedipos ſufficere, explicandis enigmatibus quæ ſub ijs latent, Immo, nec quenq;, etiam ſi hoc ipſum magno ſtudio quęrat, facile inuenturum quæ cõnectere poſſet uerba minus coherẽtia (Fiducia qua Christum apprehendimus in conſcientia, corã Deo, & in Christo patrem) Quæ ſi quis recte nobis explicare potuerit, is mihi erit magnus Apollo. Conſcientiã, quid intelligere debeamus, ex uſu diuinarum ſcripturarum, ſupra nõ ſemel a nobis explicatum eſt: ſuperiorem nempe eã rationis partem, quæ ſemper deprecatur ad optima. Cuius hoc ſit officium proprium, ut nos moneat, extimulet, & ad meliora prouocet: obſequentibus, & legi Dei obtemperantibus, teſtimonium perhibeat, & congaudeat: præuaricantes uero, & ab honeſto, a diuina lege in cordibus noſtris, ſeu dei digitis deſcripta, ſeu doctrina, traditiõe, aut fide recepta declinãtes, repræhẽdere, iudicare, condẽnare. Neq; eius eſt, fidere, aut fiducia: ſed uolũtatis, & per eã, hominis: quę, ex teſtimonio conſcientiæ oritur, quando illa non repræhendit nos, ſed impletæ legis Dei teſtimonium perhibet. Quemadmodum clariſſimis uerbis Ioannes nos docet. Si, inquit, conſcientia non repræhendat nos, fiduciam habemus ad Deum. Quam ipſam, Paulus gloriationem noſtram appellat dicẽs, Gloriatio noſtra hęc eſt, teſtimoniũ cõſcientię noſtræ. Inepte proinde, hæc definitio, fiduciã, conſcientiæ tribuit.

Nota portentoſam definitionem fidei.

Conſcientia, et eius officium.

Fiducia, ut cõſciẽtiæ nõ ſit.

Deinde,nec conſequentia quæ in eadem ſubiunguntur,& conſcientiæ tribuuntur, eidem conuenire poſſunt: non magis,q̃ oculis ut audiant,naribus ut uideant.

Dicit fidem illam ſuam Euangelicam, eſſe fiduciam qua in conſcientia apprehendimus Chriſtum coram Deo, & in Chriſto patrem,quid eſt hoc?in conſcientia apprehẽdi Chriſtum coram Deo,& in Chriſto patrẽ, Diſperea m, ſi ullum hic uerbum quid uelit, intelligam, aut diuinare poſſim,etiam ſi maxime cuperem eius diſcipulus fieri, atq; illi credere in omnibus.

Biſariã apprehendi à nobis aliquid.

Duobus ſane modis apprehendi ego a nobis aliquid intelligo,ut huic inſtituto poſſit quoquo pacto congruere, (nam corporalem apprehenſionem,qua aliquid manibus tenemus,ante omnia a propoſito reijcio) Tu uide lector, ſi quid amplius intelligas. Dicimur aũt(quomodo huc quaqua ratione pertinere poteſt)apprehendere aliquid,cũ eius notitiam percipimus:ſeu ui illa imaginaria,quæ ad ſenſum interiorem pertinet: ſeu rationali,quæ ui illi imaginatiuæ coniuncta eſt: quam inferiorẽ rationis portionẽ dicimus.

Noticia.

Dicimur preterea,affectu,uelut manibus quibuſdã,apprehendere,quod ardẽter amamus,cui amore cõglutinamur, & quod uelut ulnis quibuſdã amplectimur. Illud,ut dixi; imaginariæ, aut illi coniunctæ in nobis rationalis uirtutis eſt:hoc autem uoluntatis proprium. Neutrũ uero conſciẽtiæ conuenit. Nec diuinare poſſum,quo horum modorum intelligat, apprehendi a nobis in conſcientia Chriſtum, & in Chriſto patrem: cum neutro horum modorum ita poſſit in conſcientia apprȩhendi,Primum certe,per fidem fit:& illius,quam dixi,rationis munus eſt:nempe,Chriſtum,cogitatione,fideq; apprehendere, & in Chriſto patrem,eo ſane pacto quomodo idem dixit Chriſtus, Ego in patre, & pater in me eſt. Alterum,uoluntatis,affectus,& amoris eſt

Affectu.

proprium

propriũ. Quo pacto, ſponſi ſui amore uulnerata, atq; adeo ebria iam fœlix anima, in myſtico illo epithalamio. Inueni, inquit, quem diligit anima mea: tenui eum, nec dimittam. Et rurſus ſuum ſponſum alloquens. Quis mihi det te fratrem meum, ſugentem ubera matris meæ, ut inueniam tē ſolum foris, ac deoſculer, & iam nemo me deſpiciat? apprehendam te, & ducam in domum matris meæ. Vniuerſus hic ſermo metaphoricus eſt. Tenuiſſe ſe dicit eum, nec dimiſſuram, & iterum apprehenſuram, ſed amoris hæ ulnę, hæ manus ſunt, quibus dilectum tenet, apprehendit, complectitur. Si priorem illam appræhenſionem hic intelligat, nemo Chriſti fidem profeſſus, non ita apprehendit Chriſtum, & in Chriſto patrem. Sed nec fiduti, nec conſcientiæ, eſt apprehenſio eiuſmodi, ſed catholicæ fidei: & apprehenſiuæ illius rationalis uirtutis propria. Illa enim ad uoluntatem pertinet. Conſcientiæ uero, uis illa apprehenſiua non tribuitur. Si uero poſteriorem illam, quæ amore, & affectu fit, apprehenſionem intelligat, hoc dicit (ut propriis, clariſq; uerbis pro metaphoricis utamur) fidem eſſe fiduciam, qua Chriſtum amamus in conſcientia, & in Chriſto patrem: atq; ita: etiam noua hic adducetur abſurditas, ut Chriſtum amemus fiducia, Quod ex ipſa terminorum ratione euidenter falſum eſt. Nam amore amamus: fiducia confidimus: nec eſt amor, fiducia, ſed cauſa fiduciæ: ut quæ ex amore naſcitur. Quem enim ſyncere amamus, in illum etiã confidimus: quemadmodũ ſupra a nobis plenius eſt expoſitũ. Et quid hic amor, quid hæc fiducia ad conſcientiã?

Perpende lector, quam nihil in definitione fidei Bugenhagij cohereat.

Deinde, & hoc quis nobis ęnigma explicaturus eſt? Quid intelligat CHRISTVM apprælendere coram Deo, patre uidelicet, & in Chriſto patrem? Nam ego, quomodocunq; demum apprehenſionem in conſcientia intelligat, quid ſit Chriſtum apprehendi coram DEO non in-

non intelligo. An apprehenditur aliquando Chriſtus, hoc eſt, Dei patris uerbum & filius, ſed non coram Deo patre: aliquando uero, non appræhenditur ſolum, ſed etiam corā Deo patre apprehenditur, ut ſit hoc, Chriſtianæ illius tam ſalutaris fidei, illud minime? & quid eſt illud ipſum? coram Deo? Num quid fit a nobis, non coram, ſed clam, & abſente Deo? Haud ſane Dauidi ita uiſum eſt, Quo ibo, inquit is, a ſpiritu tuo, aut quo a facie tua fugiam? Si aſcendero in cœlum, tu illic es: ſi deſcendero in infernum, ades.

Conuincuntur ſemetipſos, nō intelligere, q̄ illam ſuā fidē intelligant.

Nunc tuam lector conſcientiam, apello, qui iſtiuſmodi uerbis, tam obſcuris, tam male coherentibus, tam nihil ſignificantibus, inuoluunt atq; implicant rem omnium maxime explicatu neceſſariam, & in qua una (ſi ipſis fides habēda ſit) uniuerſa ſalutis noſtræ ſumma conſiſtit, an tibi uidētur intelligere, quam ipſam fidem de qua tam magnifica prædicant, loquantur, & intelligant? Sane, ſi intelligunt, ſtudio nolunt intelligi, nec agunt candide, nec Chriſtiane, ſed ſuam alijs ſalutem inuident. Qua in re, quid aut agant, aut moliantur, nō intelligo. Tam diligēter, a bonis, quę hactenus prædicata ſunt, operibus, homines ad unam ſolāq; fidem ſuam reuocant, opera ipſa eleuant, extenuant, nihili penę fieri curariq; perſuadēt, in una illa fide, accipere poſſidereq; nos docentes omnia? Atq; illam ipſam fidem quānam intelligant, cum requiris, nihil certi intelligis: ſed nūc hoc, nunc illud ingerunt, ut poſt omnem inquiſitionem, quam ante, diſcedas incertior. Nam eandem, quam in his duobus, uelut exempli cauſa, demonſtrauimus uarietatē, inconſtantiā, obſcuritatē, in omnibus illorum libris inuenies.

Sed forte expectas, in ipſa eorum confeſſione Auguſtana, inuenire hanc ipſorum fidem explicatam certius, ac definitius: & merito ſane, ut, in qua, communi omnium nomine, Imperatori, & ſacri Imperij ſtatibus publice exhibita,

bita, communi quoq; ſtudio, omnium laborarunt ingenia.

Attamen, etiã illã ipſam excutiens diligentius, fruſtra te expectaſſe inuenies: immo, minus conſonũ, minuſq; coherens inuenies, Tribus ſane articulis, hanc ſuę fidei fidem, in eadem executi ſunt, Quorum primo, qui numero quartus eſt, ipſam in ſe fidei illius naturam, uim, & energiam explicare conantur, Secundo, Quo pacto ea acquiratur, ingeneretur q; nobis: Tertio, quę nam, ipſam cõſequantur in nobis, & ab ea, uelut fructus quidam ab arbore prodeant. *Demonſtrantur nihilo certius, aut definitius, definire ſuam fidẽ, in ſua cõfeſſione Auguſtana.*

Habet itaq; primus ille, in hæc uerba, Item docent, Quod homines non poſſint iuſtificari coram Deo proprijs uiribus, merito, & operibus; ſed gratis iuſtificentur, propter Chriſtum, per fidem, cum credunt ſe in gratiam recipi, & peccata remitti propter Chriſtum, qui ſua morte, pro peccatis noſtris ſatisfecit, Hanc fidem, imputat Deus pro iuſtitia coram ipſo, Hactenus uerba articuli. *Ar. iiij. cõfeſſ. Auguſt.*

In quibus audis, gratis nos iuſtificari propter Chriſtũ, per fidem: ſed quam fidem intelligant, nondum intelligis: niſi quod interim ſperare poſſis, loqui eos de fide, ut loquentes communiter, nempe catholica: quæ dei ueritatem adequate reſpicit, quemadmodũ ſupra a nobis explicatum eſt. *Oĩa uerba aduerſariorũ de fide, ambiguitatis plena.*

Quæ ſequuntur in articulo, Cum credunt ſe in gratiã recipi, & ſibi peccata remitti propter Chriſtum, &c. nihilo certiorem lectorem reddunt, de qua fide loquantur: ſed tantum dubitare faciũt, an intelligant de fide catholica, quod ea iuſtificemur quidem, ſed non omnes, nec ſemper: ſed illi, & tum demum (quod ipſa uerba importare uidentur) qui, & quando ſe credunt in gratiam recipi, & ſibi ob Chriſtum remitti peccata: (neq; enim omnes hoc credere, qui habent fidem catholicam ſupra euidens fecimus) an uero, non illi fidei catholicæ, ſed uni huic ſpeciali, qua quiſq; de ſe credit, quod Deo placeat, & in Chriſto iam iuſtificatus ſit, iuſtifi-

cationis gratia, acceptam referant (quod ſe intelligere, innuunt, ſed non conſtanter in articulis ſequentibus, ut mox intelliges) Iſtiuſmodi, enim perſuaſionẽ, qua quiſq; ita forte de ſe credit, nihil habere cũ catholica illa fide cõmertij, plane indubitatum eſt: cum hanc, manere etiam in peccatoribus, & damnationi obnoxijs, & qui nihil dubitant in morte ſe adhuc permanere, ſupra euidentiſſimũ fecerimus: & eiuſmodi particularem de ſe perſuaſionem, nec diuinæ ſcripturę (quæ mei, tuiq; ſpeciatim non meminit, ſed generaliter loquitur) nec ęccleſiaſticæ traditionis authoritati inniti per ſe notũ eſt: ſed neceſſario (niſi uana ſit, & temeraria præſumptio) ex interno diuini ſpiritus diffuſi in cordibus noſtris teſtimonio, aut ex ſpeciali aliqua, forte alicui facta, diuina reuelatione oritur, Reuelationem hanc, extra ſortẽ relinquo. Teſtimonium autem eiuſmodi, diuini in nobis ſpiritus, fides non eſt: neceſſe eſt enim, ut ſequatur pręſentiam eiuſdem in nobis ſpiritus: qui tamẽ non datur, niſi iam credentibus, immo, & deum ſyncero corde amantibus, nõ uero infidelibus: nec poteſt ineſſe aliquibus, niſi in quibus Chriſtus eſt, Quod autem argumentum habeamus inhabitantis nos Chriſti, non dubium, ſed clariſſimũ, ex uerbis Apoſtoli ſupra demonſtrauimus: nempe, ſi corpus nobis eſt mortuum peccato, & ſpiritus uiuat iuſtitiæ, Quod, ut ſit, alio ſane, q̃ fide nobis opus eſſe, ex eiſdem, quiſquis ille clariſſime intelligit.

Ar. v. confeſs. Aug. Magis te adhuc dubium, & incertum reddent, ſi diligenter expendas, ſequentia, Siquidem articulo. v. ſuæ confeſſionis, quo modũ generationis ſuæ in nobis fidei explicant, habent in hæc uerba.

Vt autem hanc fidem conſequamur, inſtitutum eſt miniſteriũ docendi euangelij, & porrigendi ſacramẽta, Nam per uerbum, & ſacramenta, tanquam per inſtrumenta, donatur

natur ſpiritus ſanctus, qui fidē efficit, ubi, & quando uiſum eſt Deo, in ijs, qui audiunt euangelium; ſcilicet, quod non propter noſtra merita, ſed propter Chriſtum, iuſtificet hos, qui ſe credunt propter Chriſtum in gratiam recipi, Damnant proinde Anabaptiſtas, & alios, qui ſentiunt ſpiritum S. contingere ſine uerbo externo hominibus, per ipſorum preparationes, & opera, Hactenus illi articulo memorato, Quē ipſum, cum mecū diligēter expēdo, neſcio quid mihi uidere uideor: immo nō lucem, ſed plus q̃ cimmerias tenebras, in doctrina noui huius euangelij mihi uidere uideor.

Inſtitutum docendi euangelij miniſteriū, ut homines aſſequantur fidem orthodoxam & catholicam, qua credimus, non credentibus tantum, ſed fideli ac ſollicito ſtudio, obtemperantibus doctrinæ Chriſti, per illū, & in illo, ut in mundi luce ambulantibus, illū ipſum per ueſtigia eius ſequētibus, uitam & ſalutē expectandam eſſe, intelligimus: Hanc enim unam fidem doceri a Chriſto, & Apoſtolis, ſuper euidentiſſimum fecimus, Sed quam ipſi demonſtrant, hanc ſuam aliquam ſpecialem, quæ ſola ſecuritatē uitæ, & ſalutis præſtet, a Chriſto, Apoſtolis, aut Euangeliſtis doceri, nuſquam ſane inuenimus: immo, contra plane e diametro, etiam cum omni fide nihil nos eſſe, niſi adſit charitas: quemadmodum ſupra a nobis ſatis demonſtratum eſt.

Vt uero, etiam porrigendorum ſacramentorum ſit inſtitutum miniſteriū, quo per ea fidem aſſequātur homines, haud ſane intelligo, Neq; enim Chriſti euāgelio hoc cōſonat: nō doctrinę apoſtolicę, & catholicæ eccleſię, quę adultis, niſi iā fidelibus, & credentibus, ſacramēta non porrigit.

Nota lector portēta errorū, quibus ſcatet articulus.

At quod probandi illius cauſa ſubijciunt, multo mihi uidetur prodigioſius, Nam per uerbum (inquiunt) & ſacramenta donatur ſpiritus ſanctus, qui fidē efficit, ubi & quādo uiſum eſt Deo, in his, qui audiunt euangelium.

Vt cũ Lutheri doctrina, articulus pugnet e diametro.

In primis, cum Lutheri doctrina hoc non conſonat, qui in aſſertio: docet hereticam eſſe, quamuis uſitatam ſententiam, qua dicitur, ſacramenta nouæ legis dare gratiam, his, qui obicem non ponunt, E diametro enim ſibi conſtituuntur iſta, hæreticam ſententiam eſſe, quod ſacramenta dant gratiam, Et per eadem donari ſpiritum S. qui ſine gratia non eſt, Sed noſtra nihil referat, ut pugnent ſecum: pergamus proinde in eo quod cœpimus.

Spiritum ſanctum per uerbũ, & ſacramenta, uelut per inſtrumenta donari hominibus, qui fidem efficiat, ubi & quando hoc Deo uidetur, in his qui audiunt euangelium, mihi ſane nouum, & incredibile uidetur: ut qui nuſꝗ in diuinis ſcripturis inueniam, ſpiritum S. datum, nõ credentibus, aut infidelibus, quo in eis fidem efficeret: immo nullis niſi iam credentibus. Dedit Chriſtus Apoſtolis ſpiritum S. ſed iam fidem habentibus, Apoſtolorum Petri, & Ioannis miniſterio Samaritas iamdudum, & credentes, & baptizatos in nomine Ieſu, ſpiritum S. accepiſſe, Lucas teſtis eſt, Aeque & Epheſi nonnullos, poſt acceptam fidem, & regenerationis ſacramentum a Paulo Apoſtolo, Ita quoqꝫ Iudęis ex Petri concione ad Chriſti fidẽ conuerſis, & corde cõpuncto interrogantibus, quo ipſis ad ſalutẽ opus eſſet, idẽ reſpondit, ut pœnitentiam agerent, & baptizarentur in remiſſionem peccatorum, ita demum promittebat fore, ut ſpiritum S. acciperent, Vt autem quiſquam infidelis adhuc, ſpiritum S. acceperit, ſcio quod nullum ex ſcripturis exemplum proferent: immo ſcio, quod palam contradicat Apoſtolus, Vt cui idem eſt, Chriſtum in ſe habere, & ſpiritum Chriſti, & ſpiritum Dei in ſe habere, Id quod uno eodemqꝫ loco clariſſime explicat, ad Romanos ſcribens, Si quis autem ſpiritum, inquit, Chriſti non habet, hic non eſt eius, Si autem Chriſtus in uobis eſt, corpus quidem

Spiritũ s. nullis dari, niſi iã fidelibus.

mortuum

mortuum eſt propter peccatum, ſpiritus uero uiuit propter iuſtificationem. Quod ſi ſpiritus eius, qui ſuſcitauit Ieſum a mortuis, habitat in uobis, qui ſuſcitauit Ieſum a mortuis, uiuificabit & mortalia corpora ueſtra. Ita hic de inhabitante nobis Chriſti ſpiritu, ad inhabitantem nobis Chriſtum, & Dei patris qui ipſum ſuſcitauit a mortuis, ſpiritũ, tranſitum facit, ut plane demonſtret, in idem ſemper concidere: Vt autem Chriſtus in nobis ſit, nõ ſolum fidem iamdudum habere oportet, ſed etiam mortificatũ corpus peccato, & uiuentem ſpiritum iuſtitię, quod nec ſine dei amore dominatum in corde noſtro obtinente fieri poſſe, nedũ ſine fide, ſupra clariſſime demonſtrauimus.

Sed ita ſit, ut uolunt aduerſarij, detur ſpiritus ſanctus per uerbum, & ſacramenta infidelibus, qui in eis fidem efficiat. An datur omnibus? aut quibus tandem? Reſpondẽt dari audientibus euangelium, etiam ſi non credant euangelio, hoc enim neceſſarium eſt, ut confiteãtur: Nam ſi crederẽt, iam fides pręueniret dationem, acceptationemq́ſpiritus, & nõ eſſet effectus dati nobis ſpiritus: Omnibus auditoribus euangelij dari hunc ſpiritum, his uerbis non affirmant: nec, ut puto, exiſtimant. Quos ſi percontari pergas, an datus in hunc modum ſpiritus, non credentibus, ſuum continuo effectum in illis ſecum afferat, & fidem operetur in omnibus quibus datus eſt, reſpondẽt, nõ ita habere: ſed in quibus, ubi, & quando Deo hoc uiſum eſt. Poteſt ne quicq́, aut dici, aut cogitari abſurdius? Datus infidelibus diuinus ille ſpiritus, non tamen in ijs omnibus, nec ſemper fidem efficit, ſed nutum adhuc Dei cuiuſdã expectat: quo accepto, tum demum operatur fidem: & interim, quid miſer homo, qui nullas in his omnibus ſuæ poteſtatis, & arbitrij partes audit, aut intelligit? ut ſpiritum accepiſſe ſe ſcire poterit? & ut hoc ſciat, quo nam pacto diuinabit miſer ex

Perpende hæc lector obſecro, mira enim ſtupendaq́; ſunt omnia.

eorum ſe eſſe numero quibus ille impartiri uelit fidei gratiam: an hoc loco: hoc tempore? Quis enim diuinorum hūc conſiliorum fecit participem? Nihil ne conabitur interim, nec ut accipiat ſpiritum, nec ut, per illum cōſequatur fidei gratiam? Nihil ſane ſecundum horum euangelium: quod damnat omnes, qui exiſtimant, ut ſpiritū ſanctum accipiamus, quicquam conferre, aut promouere noſtras præparationes, & opera, Quid igitur? Quid enim aliud: quam ut cōmiſſa uniuerſa ſuæ ſalutis cura Deo, a cuius unius beneplacito intelligit pendere uniuerſum, ipſe interim uiuat molliter ac ſuauiter, & genio indulgeat. Cur enim fruſtra ſe fatigaret quiſquam? fruſtra conaretur ad id, quo intelligit uniuerſum conatum ſuum nihil proficere?

Quod euangelium aduerſarij, de Euangelio loquentes intelligant.

Quod ſi adhuc pergas inquirere, quodnam illud Euāgelium intelligant, ex cuius auditoribus ſibi deligat deus, in quibus, ubi, & quando ſibi uiſum eſt, operatur fidem, per ſuum illum, quem eiſdem diſtribuit, ſpiritum: ſatis diligenter, ac dilucide, ab eiſdem hoc explicatum inuenis, de ſuo ſe Euangelio loqui: hoc nempe. Quod Deus propter Chriſtum gratis iuſtificet hos, qui ſe credunt ob ipſum in gratiam recipi: præter quod, aliud nullum Euangelium uidentur agnoſcere, ſed in uno hoc, breui ſane, ac facili, ſummam ſe ſalutis tenere: cum tamen noſtrum, & Chriſti Euāgelium multò ſit operoſius, & prolixius.

Damnant proinde Anabaptiſtas, & alios, qui ſentiunt Spiritū S. contingere ſine uerbo externo hominibus, per ipſorum præparationes, & opera.

Aduerſariorū in Anabaptiſtas cenſura qualis.

Digni certe Anabaptiſtæ, qui damnētur ab omnibus, at indigni fortaſſis qui damnentur ab iſtis: quibus errores ſuos, merito acceptos referant, ut a quibus didicerunt, neglecta authoritate traditionis eccleſiaſticæ, uni ſcripturæ credi opor-

di oportere, In cuius tamen ſano germanoq; intellectu, nemo alterius hominis ſit ſubiectus iudicio, ſed quiſq; ſequi ſecure poſſit, quod ex ſcripturis intelligit. Ex quo uno, fœcundo ad omnes hæreſes principio, & illorum, & ſacramẽtariorum, & aliarum noui huius euangelij ſectarum, craſſiſſimi & prodigioſi errores prodierunt.

Deinde & hanc ob cauſam damnantur immerito, quod ſentiant ſpiritum ſanctũ ſine uerbo externo nonnunq; dari hominibus, per ipſorum præparationes & opera: cũ certũ ſit, intus nobis loqui poſſe dominum: prouocare ad pœnitentiam uitæ ueteris, & ad ſui amorẽ nos excitare: et eo uſq; promouere, ut nos dignetur ſui conſolatione ſpiritus: ne in re certa, atq; euidenti aſſerenda hic hereamus diutius. *Sine uerbo externo, Spiritũ S. ſæpe dari hominibus.*

Neq; hoc recte damnãt in Anabaptiſtis, et in alijs: quod ſentiant Spiritum S. nobis dari, per noſtras præparationes, & opera. Quod quicumq; ſentiunt, non hoc ſentiunt, noſtras præparationes, & opera, cauſam effectiuã, ſed ſolũ diſpoſitiuam eſſe, quod ſpiritum ſanctum accipiamus: & quibus poſitis, ille nunq; deſit: & quibus deficientibus, nõ adſit, Eiuſmodi enim diſpoſitionem, eſſe amorem illum dei ſyncerum, cum omnibus ſine quibus ille eſſe non poteſt; ſupra, diuinarũ ſcripturarũ irrefragabili authoritate, Prophetarum, Chriſti, Apoſtolorum, & Euangeliſtarum teſtimonio, euidenter demonſtrauimus: quos uniuerſos, hij ſimul inuoluunt ſua hac damnationis ſententia, ſed quæ nullis quam damnatoribus nocuiſſe poteſt. Quid enim aliud in uniuerſa ſcriptura Deus exigit a nobis, quam pœnitentiam uitæ ueteris, atq; eius innouandæ ſtudium: utq; ſyncero corde ad ipſum conuertamur: hoc autem facientibus; & non alijs, remiſſionem peccatorum, uitam, & ſalutem promittit: ad illos, non ad alios, ſe reſpecturum illo miſericordiæ ſuæ oculo, ſeq; uiciſſim conuerſurum *Spiritũ S. nobis dari per noſtras præparationes & opera.*

per

per amoris affectum affirmat. Si impius, inquit, pœniten‑tiam egerit ab omnibus peccatis ſuis quæ operatus eſt, & cuſtodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudicium, & iu‑ſticiam, uita uiuet, & non morietur: omnium iniquitatum eius non recordabor. In iuſtitia ſua quam operatus eſt, ui‑uet. Audis quibus promittatur peccatorum remiſſio, & ui‑ta: nempe, peccatorum digne pœnitentibus, et quibus iam adeſt, mandatis Dei per omnia obſequendi ſollicitum, & fidele ſtudium: quod ab illo Dei amore, & filiali timore eſt inſep arabile. Vides ut operibus iſtis, iuſtificationem, & ſa‑lutem noſtram, quatenus ex nobis pendere poteſt, deus im‑putet. In iuſtitia, inquit, ſua, quam operat us eſt, non, quam credendo ſolum accepit, uiuet.. Nullis, quam auerſis iam a uia ueteri, iam humiliatis, iam contritis corde, iam cum ſol‑licito timore mandatis eius obſequentibus promittit me‑delam & ſanitatem: ad ſolos illos, reſpecturum ſe affirmat, Ad quem, inquit, reſpiciam, niſi ad pauperculum, & con‑tr tum ſpiritu, & trementem ſermones meos? Vides ut ne‑get ſe reſpecturum ad alios: Prærequirit ergo illa in nobis opera, quibus tales reddimur: non quod his ipſis aſſequu‑ti iam ſimus iuſtificationis gratiam: quæ in uno illo miſeri cordi ad nos reſpectu cõſiſtit: ſed uelut præparatiões quaſ‑dam ad eandẽ, in nobis prærequirit & exigit. Nam, quod contriti corde, hoc ipſo, ſanati aut uiuificati nondum ſint, ſed adhuc, ut ſanentur indigeant, idem propheta, etiam alio loco affirmat, Quia hæc, inquit, dicit excelſus, & ſubli‑mis, habitans æternitatem &c. ut uiuificet ſpiritum humi‑lium, & uiuificet ſpiritum contritorum. & rurſus in perſo‑na ſaluatoris, Spiritus domini ſuper me, eo quod unxerit me dominus, ad annunciandum manſuetis, miſit me, ut mederet contritos corde, Vides cor contritum exigi in no‑bis, prius ꝙ illud ſanare, aut uiuificare dignetur dominus?

Amore aut cõtritione nos nõ ſanari, ſed dei gratia.

prius

prius q̃ illo miſericordiæ ſuæ oculo ad nos reſpicere. Quã-uis, ea ipſa noſtra ſanitas, uita, aut iuſtificationis gratia, non ex nobis, aut noſtra contritione ſit, ſed illi, a Deo ſuperueniat. Et hoc eſt, quod clariſſimis uerbis Dauid prædicat, Qui ſanat, inquit, contritos corde, & alligat contritiones eorum. Ita Chriſtus, promittit laborantibus, & iugo peccatorum oneratis, refectionem, ſi tamen prius ad ſe ueniãt. Venite, inquit, ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam uos. Ad ſe uenientibus, promittit ſuã gratiam, Et uenire ad Chriſtum, nũquid eſt dormire, aut conſertis ſub alas manibus ocioſum quieſcere: an non conuerti, & moueri ad Chriſtum, affectus cordis, & amoris, non pedum greſſibus? Opera ergo ille noſtra prærequirit, quibus poſitis, promittit non defore ſuam gratiam.

Et hactenus quidem, priorum duorum articulorũ, cõfeſſionis aduerſariorũ de fide & iuſtificatione hominis, myſteria, ſatis excuſſimus: & euidens fecimus, non ſolum prodigioſis, et abſurdiſſimis erroribus plena eſſe uerba ſingula, ſed etiam, ut ex his nihil certi ac definiti quiſquam poſſit intelligere, quam fidẽ in uniuerſa hac controuerſia, & quotieſcumq; de fide iuſtificante loquuntur, intelligant. Quod tamẽ, ante omnia, clariſſime explicatum, ac definitũ oportuit: ut in quo uno, totius ſalutis noſtræ ſummam uolunt conſiſtere, Nec puto tam amethodos, quin feciſſent, ſi modo ipſi certo intellexiſſent, & intelligerent, de qua fide ſeipſos loquentes intelligant.

Tertij uero articuli eorundem de hac ipſa ſua fide, quo uim eius uiuam, operantemq; efficaciam explicant, diſcuſſionem tantiſper differemus, dum hanc de notione eiuſdẽ inquiſitionem abſoluerimus: ad quam reuertentes.

Excuſſio eorũ quæ apologia continet, ad fi-

Haud immerito ſperabã fore, ut in apologia eiuſdẽ cõfeſſionis ſuæ, quæ forte ob breuitatem, in eadem dicta uideri

dei ſuæ chara-ctere in pertinētis. poſſent obſcurius, explicata inuenirem certius, diſtinctius, & luculentius, Quam uniuerſam (uerboſam ſane, & prolixam, unde, & breuiter hic ſubijciemus, quæcumq; ad characterem, finitionemq;, quam hic inueſtigamus, fidei illius pertinent) non paruo tedio iterum, iterumq; perlegi, & ſingula pene uerba diligenter excuſſi: ſed nihil magis inueni conſonum, nihil coherentius, certius, definitius: immo, uniuerſa hæc apologia, maxime autem, quatenus concernit præſentem cōtrouerſiam, magis errantes, uelut in tenebris, aliquos, ꝙ certa uia, recto curſu, orationis luculentia, in certum ſcopum apte tendentes, uidetur exprimere: nec ex ea uniuerſa mihi perſuadere poſſum, ipſos certo, & clare intelligere, quid fidem loquentes intelligant, Tu uide lector, & diligenter aduerte animum, an forte idem tibi mecum uidebitur.

Qualis apologia in uniuerſum.

Quam uarias fidei ſuæ definitiones Apologia cōtineat. Definientes itaq; in apologia fidem iſtam ſuam, cui iuſtificationis gratiam, & ſalutem, bonorumq; omnium cumulum acceptum referant.

Prima. Hæc igitur fides, inquiunt, ſpecialis, qua credit unuſquiſq; ſibi remitti peccata, & Deum placatum nobis eſſe, propter Chriſtum, conſequitur remiſſionem peccatorum, & iuſtificat nos, Et quia in pęnitētia, hoc eſt, in terroribus, conſolatur, & erigit corda noſtra, regenerat nos, & affert ſpiritum ſanctum, ut deinde legem Dei facere, uidelicet, uere diligere deum, atq; eum timere, illiq; obedire poſſimus, Et paucis interpoſitis.

Secunda. Et hęc fides, eſt noticia Chriſti, Et rurſus poſt aliquāta.

Tertia. Eſt autem ea fides iuſtificans, non tantum hiſtoriæ noticia, ſed aſſentiri diuinæ promiſſioni, in qua gratis propter Chriſtum offertur remiſſio peccatorum, & iuſtificatio.

Quarta. Et ne quis, inquiunt, eam ſuſpicetur tantum eſſe notitiam hiſtoriæ, addemus amplius, Eſt uelle, & accipere ob-

latam

latã promiſſionẽ, remiſſionem peccatorum, & iuſtificationem: nec ſufficit ad fidẽ iuſtificantem, credere ſibi peccata dimitti, & propter Chriſtum ſe in gratiam recipi, hoc item uellę, ſed oportere quoq; hanc recipere.

Hæc ſunt, quæ immenſa illa, & confuſa apologia, ad characterem, finitionemq; eius, quam docent fidei pertinẽtia, cõtinet, In quibus quatuor diuerſiſſimas, immo ſecum pugnãtes definitiones unius illius ſuæ fidei intelligo, Quæ nunc paulo preſſius excutiendę ſunt, ut & tu lector intelligas, an temerarium, aut falſum ſit meum de eiſdem, quod indicauimus, iudicium.

Ipſos loqui de fide non catho lica, ſed quadã ſpeciali.

In primis hoc prudenter, & recte faciunt, quod nos admonent, de fide ſe loqui, non ut omnes cõmuniter, nempe, catholica, ſed de fide quadẽ ſpeciali, ea uidelicet perſuaſione, qua quis de ſe cred.t ſibi remitti peccata ꝓpter Chriſtũ, & quod Deum placatum habeat, Vt hactenus apologia pertinere poſſit ad elucidationem quarti ſuæ confeſſionis articuli, cuius uerbis, ut oſtendimus, lectori de hoc ipſo ingeſſerunt dubium, Nam hic clare explicãt, de ſpeciali perſuaſione hac ſe loqui: hanc fidem remiſſionem peccatorum conſequi, & iuſtificare nos, non illã catholicã, Et hactenus exiſtimas inueniſſe te aliquid certi, quod intelligant, Sed quę illi huic finitioni ſuæ adijciunt continuo, faciunt, ut de alia fide in apologia, de alia uero, in illa ipſa ſua confeſſione loqui ipſos merito credas, & exiſtimes.

Primæ definitionis excuſsio credere ſe pla cere Deo per Chriſtum.

Vt euidenter pugnent apolo gia, et confeſſio.

Nam quinto, quem audiſti, eius articulo, dicunt ſpiritum ſanctum, per uerbum, & ſacramenta dari hominibus, qui fidem efficiat in euangelij auditoribus, ijs tamen, quibus, & quando Deo uiſum eſt, In apologia dicunt plane contra, Ipſam nempe fidem, ſpiritum ſanctum in nobis præcedere, immo, per eam, conferri nobis eundem, Aut ergo euidenter ſecum pugnant, apologia, & cui eadem pa

trocinatur, confeſſio, aut de alia, in illa, de alia in hac fide, ut loquantur neceſſe eſt.

Secũdæ definitiõis excußio.
Fides Chriſti cognitio.

Quod addunt deinceps, & ſecundo loco ſubijciunt, fidem hanc eſſe cognitionem Chriſti definiẽtes, ea nec prioribus, nec ſequentibus conſonãt, ita ut cogaris, adhuc nouã aliquam fidem, quam hic definientes intelligant, inueſtigare, & querere.

Quibus modis in nobis generetur cognitio

Cognitio in nobis eſt, aut ex ſenſibus, aut ſuperiori aliquo, quod rationi innotuit principio: aut deſuper infuſa diuinitus, Senſuum beneficio proprie cognoſcimus, quæ ſub ſenſuum experientiam ueniunt: quis non, ſine adhibita illis rationis regula, Aeque ratio, in cognoſcendis his, quæ ad ſe proprie pertinent, utitur nihilominus, quãdiu corpori coniuncta eſt, adiutorio & beneficio ſenſuum, quibus doctrinationẽ, aut uiua uoce, aut ſcriptura, loquẽtibus nobis inſtructoribus, accipimus: qui nos, uel ordine quodam, & rerum conſequentia, deducant ex notis nobis, in noticiã

Scientifica.

eorum quæ ignota fuerant, (quomodo ingenerantur nobis diſciplinæ omnes inuentę humanitus) uel ex fide ueritatis, quam apud nos habent indubiam, eorum, quæ certo ſibi explorata affirmant, nobis quoque certam fidẽ faciunt, Qua-

Hiſtorica.

lis fere eſt noticia hiſtorica: quę perſcripta ab his, qui uel rebus geſtis interfuerunt, uel certam earundem noticiam habuerunt, antiquitatis, & præcedentium nos ſæculorũ conſenſu ad nos perlata, ſui fidem apud nos facit, Quomodo etiam de Aſia, Africa, cæteriſque, quas ipſi non uidimus regionibus, & incolarum moribus, referentibus alijs dignis fide, qui ipſi eaſdem luſtrauerunt, credimus.

Fidei.

Ad hoc genus, Chriſti fidem pertinere, nec deſuper diuinitus infundi (quemadmodum quæ prophetico ſpiritu, aut aliter illuminati ſancti Dei, plerique acceperunt homines) ipſe nos docet Apoſtolus, Qui nõ eſſe perſonarum

acceptio-

acceptionem apud Deum Romanis approbans, primum ex Eſaia, dicente. Omnis qui credit in illum, non confundetur, deinde, ex Ioele, qui futurum prædixit, ut omnis quicunque inuocaret nomē domini, ſaluus fieret, ita ſubiungit. Quomodo ergo inuocabunt eum in quem nō crediderūt? aut quomodo credent ei quem non audierunt? Quomodo autem audient ſine prædicante? & adhuc ex Eſaia, dicēte, Domine, quis credit auditui noſtro? concludit tandem. Ergo fides ex auditu eſt, auditus autē per uerbum fidei, hoc eſt, euangelium, aut doctrinam Chriſti. Affirmat, quod uides, fieri non poſſe, ut credat quis, his quæ non audierit, & edoctus fuerit. Audire autem edocerique neminem poſſe, niſi doctorem, & Chriſti doctrinæ præconem habeat.

Fidei noticiam nō infundi deſuper, ut propheticã, ſed ex auditu, & traditione eſſe.

Cum ergo dicunt hic aduerſarij, fidem de qua loquuntur, eſſe cognitionem Chriſti: eam neceſſario cognitionem debent intelligere, ſi modo quid intelligant, qualem de Chriſto facit fides catholica: quæ diuinis ſcripturis, & eccleſiaſticæ traditionis authoritati, immo diuinæ ipſi ueritati adequate innititur: quam hij, ſuo more, appellant hiſtoricam, nec dignantur ſuæ fidei nomine. Pugnant proinde etiam hic ſecum: fidem definientes cognitionem Chriſti, & tamen ſpecialem, & diuerſam facientes a catholica, qualem ex ſcripturis habemus de Chriſto, & alijs, quæ ſalutis noſtræ gratia in eiſdem nobis ſunt tradita.

Vt etiã in hac definitione pugnent ſecũ, nec cum priori ea conſonet.

Iam uide, & in ſequentibus, num quid magis explicent, aut ſecum conſtent, & conueniant. Ita autem habet tertia, quam proferunt, definitio.

Tertiæ definitionis excuſsio.

Eſt, inquiũt, ea fides iuſtificans, non tantum hiſtoriæ noticia, ſed aſſentiri diuinæ promiſſioni, in qua gratis propter Chriſtum offertur remiſſio peccatorum, & iuſtificatio.

Fides noticia hiſtoriæ, et præterea aſſentiri diuinæ promiſſioni.

Hoc primum aduerte lector, illos hic conſiteri, ſuam fidem eſſe noticiam hiſtoriæ, ſed non ſolā noticiā eiuſmodi.

immo inſuper aliquid: nempe aſſentiri diuinæ promiſſioni, de gratuita noſtra iuſtificatione in Chriſto. Per hiſtoriam autem, niſi uniuerſam diuinam ſcripturam intelligant, diuinare non poſſunt, quid intelligant. Neq; enim puto, quod aut Troianam Iliadem, aut Romanam hiſtoriam intelligant: ſed quæ diuinis ſcripturis ſunt prodita: tametſi ea ipſa, haud proprie hiſtoriæ deſignentur nomine, ut quæ, geſtæ rei ſeriem narrationemq; continet: qualia non ſunt uniuerſa quæ in ſcripturis continentur: cum tamen ea uniuerſa indiſtincte reſpiciat fides catholica, & eis credat, ut diuinis oraculis: Quam cum noticiam illi appellant, æque loquuntur inepte, & impropriè: Neq; enim fides, eſt noticia omnium quæ ſcripturis ſunt prodita, quæ exercitatione, meditatione, & aſſiduo ſtudio acquiritur, ſed firmus aſſenſus animi, quo nihil dubitamus uera ea eſſe omnia: ſiue omnium eorum noticiam habeamus (quales quam pauciſſimi reperiuntur) ſiue non habeamus: ſiue intelligamus, ſiue non intelligamus omnia. Sed ita mihi illi loqui uidentur perpetuo. quaſi ſtudio hoc agant, ne a quoq; poſſint intelligi.

Vt fides nō ſit noticia aut hiſtoriæ, aut alteriuscuiuſq; rei

Interim tamen fatentur ſuam, illam fidem eſſe noticiam hiſtoriæ: ſiue illam fidem, ſiue exercitatione & ſtudio partam noticiam ſcripturarum, aut in uniuerſum, aut qua parte proprie hiſtoriam continent, intelligant: quamuis præter illam (quamcumq; demum intelligant) noticiam hiſtoriæ, etiam hoc, illi tribuant, quod diuinis aſſentiatur promiſſionibus.

Promiſſiones diuinæ.

Hoc itaq; mihi uelim reſpondeant, de quibus hic loquãtur diuinis promiſſionibus, An de his quæ in ſcripturis cõtinentur: an uero de alijs quibuſdam quæ extra ſcripturas ſunt? Quales duplici genere imaginari poſſumus: nempe, uniuerſalis, pertinenteſq; ad omnes: aut ſpeciales, quæ certam

Per ſcripturas. Extra ſcripturas. ſicte

tam perſonam reſpiciunt. Vniuerſalis erat, quæ Noe fa- *Vniuerſales.* cta eſt, quod deleturus deinceps non eſſet Deus uniuerſam carnem aquis diluuij. Specialis uero, quæ ſiebat Abraæ, cum ipſi præciperet Deus, exire de terra & cog- *Speciales.* natione ſua, peregrinariq; in terra aliena; hæc nempe, faciamq; te, inquit, in gentem magnam, & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, eriſq; benedictus. Vtriuſq; uero generis notam præferebat, qua eidem promiſſum eſt, in ſemine ipſius benedictionem accepturas omnes gentes: ſpecialis equidem, ea parte qua in ipſius ſemine: uniuerſalis uero, quod omnibus gentibus ea promittebatur impartienda benedictio. Has uero promiſſiones, illi non ex ſcripturis, ſed ex factis ſpecialiter ad ſe diuinis acceperunt oraculis: tametſi diuinus ille ſpiritus, per Moyſen, ad noſtram quoq; inſtructionem, in publicas ſcripturas, eas ipſas retulerit.

Hoc ergo nunc mihi reſpondeant aduerſarij, cum fidei ſuæ præter notitiam hiſtoriæ tribuunt, quod inſuper diuinę promiſſioni aſſentiatur, an loquantur de diuina promiſſione quæ in ſcripturis, &, ut in ſcripturis, an uero, de aliqua quæ extra ſcripturas diuino oraculo uni aut alteri facta eſt, eaq; aut uniuerſali, concernente omnes, aut ſpeciali, quæ unam tantum perſonam concernit, aut alteram. *Ex his perpēde lector, an ſe ipſos intelligāt aduerſarij.*

Si de una aliqua, quæ in ſcripturis continetur, iam bis ineptiunt, & ſe ridiculos faciunt: primum in eo, quod fides illa ſpecialis, tantopere ab ipſis prędicata, non ſolum nihil hoc pacto, præ noſtra catholica ſpeciale, & inſigne haberet; imo, in ea ipſa includeretur, & eſſet eius quædam exigua particula: cum nō ſolū uni illi diuinæ promiſſioni, quā nobis gratis offertur remiſſio peccatorum, et iuſtificationis

gratia

gratia in Chriſto,ſed promiſſionibus omnibus:nec ijs tantum,ſed & comminationibus breuiter,omnibus quæcũq; in diuinis ſcripturis continentur:& eo ſenſu quem in illis ipſis intendit ſacer ſpiritus (in quo tamen,non ſuo ſenſui, ſed catholicæ ecclesiæ,fidelis credit:eum eſſe uerum germanumq; ſcripturarum ſenſum nihil dubitans, quem eadem ipſa ſequitur, & ſequuta eſt catholica Chriſti ecclesia) firmiſſime credat fides catholica. Deinde, etiam in eo,quod unã hanc promiſſionem diſtinguant,& ſeparent a reliquis omnibus qua diuinis ſcripturis continentur,eamq; diſtincta ſpecialiq; fide credi uelint a cæteris omnibus. Quæ uniuerſa,nos indiſcriminatim,& indiſtincte, credimus una fide catholica:ut quæ Dei ueritatem in uniuerſum reſpicit: illi adequate innititur:quicquid ab ea prodit,illi certiſſimo aſſentitur.

Quod ſi non de promiſſione diuina quæ in ſcripturis eſt,aut ut in ſcripturis eſt,ſed de altera quadam extra ſcripturas loquantur:ante omnia docere nos debuiſſent,cuiuſmodi uerborum forma, & tenore ea ſit: ad quem,aut quos facta: quod eius certum,& infallibile argumentum habeant: & unde certo ſciant tam gratum Deo,eiuſmodi promiſſioni credere,præ uniuerſis quæ per diuinas ſcripturas idem nobis ingerit & loquitur: ut illi ſpecialiter fidei condonet peccata,& iuſtificationis gratia eandem remuneret: illam autem catholicam,nullius faciat. De quibus uniuerſis,niſi certiſſimam ante nobis rationem reddiderint,utiq; intelligunt quam ſunt inepti,quam ridiculi,qui,ut ſibi credamus,ſua ſomnia,nec ſatis explicata ingerentibus,a nobis exigunt. Tu uero ex his lector eſtimationem fac,an in hũc, quem hactenus audiſti,modum, ſuam nobis fidem explicantes,eam ipſam,quæ ſit de qua loquantur,intelligant:mihi ſane credibile non uidetur. Quam meam ſententiam,

magis

magis adhuc confirmat etiam quarta, quam ſubiungunt, eiuſdem ſinitio.

Et ne quis, inquiunt, fidem ſuſpicetur tantùm eſſe notitiam hiſtoriæ, addemus amplius.

Quartæ defini tionis excuſſio

Eſt uelle, & accipere oblatam a deo promiſſionem, remiſſionem peccatorum, & iuſtificationem, Nec ſufficit ad fidem iuſtificantem, credere ſibi peccata dimitti, & propter Chriſtum ſe in gratiam recipi, hoc item uelle, ſed oportere quoq; hanc recipere.

Fides, uelle et accipere oblatam a deo promiſſionem.

Perpende obſecro lector hęc uerba diligenter, & uide, num ijs, adhuc nouã quandam, etiam alterius, neſcio cuius nouę fidei, qualem in prioribus omnibus non audiſti, nec intellexiſti, faciem exprimant?

In quarto ſuæ cõfeſſionis articulo, et prima definitione apologiæ, hæc erat ipſis fides iuſtificans, qua credit quis ſe in gratiam recipi, et peccata ſibi remitti propter Chriſtũ, qui morte ſua pro peccatis noſtris ſatisfecit. Hanc unã fidẽ illic affirmant ad ſalutem ſufficere, & nobis pro iuſtitia imputari coram Deo, Cum his iam confer, quæ hoc loco de ſua illa fide dicunt, & uide, an in eandem conueniant, Eſt, inquiunt, uelle, & accipere, oblatam a Deo promiſſionem, remiſſionem peccatorum, & iuſtificationem. Illic, ipſis erat fides iuſtificans, credere ob Chriſtum, ſe in gratiã recipi, ſibiq; peccata remitti. Hic, ijſdem, eadem illa fides, eſt, uelle & accipere oblatam a Deo promiſſionem. Vt autem toto genere hæc a ſe differãt, Credere ſe iuſtificari propter Chriſtum, & uelle atq; accipere oblatam a Deo promiſſionem, nemo non intelligit, qui latini ſermonis non ignarus, uocabulorum, & rerum rationes intelligit.

Vt hæc definitio euidenter pugnet, cũ prima, & iiij cõfeſſionis ar.

Deinde, Quo pacto non euidẽter iſta inter ſe pugnãt? fidem qua credimus nos iuſtificari a Deo, & in gratiam recipi propter Chriſtum; nobis imputari pro iuſtitia coram

a Deo

Deo, noſq; iuſtificare (quod quarto confeſſionis ar: & prima definitione apologiæ affirmant) Et, nō ſufficere (quod hic dicunt) ad fidem iuſtificantem, credere ſibi peccata dimitti, & propter Chriſtum ſe in gratiam recipi, ſed oportere inſuper eandem, & uelle, atq; etiā accipere, Quo, inquā, modo hęc non pugnant e diametro? Si fides, qua credimus nos iuſtificari et propter Chriſtum in gratiam recipi, nobis imputatur a Deo ad iuſtitiam, & nos iuſtificat, quomodo ea ad iuſtificationem non ſufficit? Si non ſufficit, non iuſtificat, Si ſufficit, quomodo præter illam requiritur, ut iuſtificeris, non ſolum uelle illam ipſam iuſtificationis gratiam, ſed etiam, ut eam re ipſa recipias? Hæc, ne tibi uerba uidentur hominum intelligentium, quid loquantur, aut intelligant?

Dicunt iuſtificantē fidem, ne quis eam ſuſpicetur notitiam hiſtoriæ, eſſe, uelle, & accipere oblatam a Deo promiſſionem, Quid eſt hoc? Quid inq;, oblatam a Deo promiſſionem uelle, & accipere? Diuinas promiſſiones, uolumus quidem omnes, hoc eſt, optamus, ac deſyderamus ea, quæ eiſdem promittuntur, (neq; enim aliud nobis erga eas uelle eſt) ſed non accipimus omnes, quia non omnes illis nos dignos reddimus, nec eiuſmodi, quibus, qualibuſq; promiſſa ſunt, Velle proinde, oblatam nobis a Deo promiſſionem, quid ſit, quiuis intelligit, Sed nec hoc, intellectu difficile aut obſcurum eſt, quid ſit, oblatam a Deo promiſſionē accipere, nempe, rem promiſſam aſſequi, atq; eius compotē fieri, Sed niſi explicuerint, quid faciens, aut quo pacto, illā ipſam promiſſionem aſſequar, quid obſecro his uerbis explicant? Affirmant, nō ſufficere ad aſſequendā promiſſam in Christo iuſtificationis gratiam, credere, quod propter Chriſtum illam aſſequutus ſis: neq; etiam, ſi illi credulitati adiungas, eius obtinendæ uoluntatem & deſyderium, ſed

Diuinæ promiſſiões

Velle.

Accipere.

oportere

oportere inſuper, ut tandem re ipſa accipias. Hoc ergo nobis explicent, ut intelligamus, quo nobis præter illā ipſam fidem, quam alibi prædicant ſolam ſufficere, præter ſalutis, (quod eidem hic adiunxerunt) deſyderium, nec tamen cū illa ſufficere affirmant: quo inquam nobis, præter hæc, ad iuſtificationis gratiam re ipſa accipiendam, accipiendamq; opus ſit?

Vides lector, q̄tum hij, & q̄ infœliciter laborēt, in explicanda nobis fide illa ſua, cui uni, ſummam ſalutis noſtræ tribuunt, De qua, ſi quid certi intelligerent & iam apud ſe conſtituiſſent, idem aliquid certumq; etiam perpetuo loquerētur, Quiſq; enim, de quo certi aliquid cōcipit, etſi nō ipſam rei ueram rationem aſſequutus eſt, ſaltē ſuæ illius cogitationis imaginē facile explicat, Secus his accidit, qui de re quapiam, uidentur quidem ſibi uidere aliquid, ſed indiſtincte, confuſe, & proinde quid uideant explicare neſciūt. *Conſtare ex præmiſſis Aduerſarios, nihil certi de fide intelligere.*

Hanc perplexitatem in omnibus iſtiuſce fidei profeſſoribus animaduertens, ac perpendens Ioannes Caluinus, libro illo ſuo, de inſtitutione religionis Chriſtianæ, cap. iiij. unus omnium, in hunc nodū explicandum incumbit quidem diligētius, & accuratius: ſed res ipſa inexplicabilis, explicari non patitur: eo minus, quod nec de illa ipſa (ut diximꝰ) certi, q̄tuis falſi aliqd, certo illi omnes intelligāt, nec ſciunt, quid ſe uidere uideant. Quod, ut etiam in illo ipſo intelligas, quo nihil uerum dubites in omnibus (tametſi quę omnium nomine ab ipſis exhibita ſunt, ſuæ fidei confeſſio, & eius apologia, hoc ſatis demonſtrent de omnibus) non tamen grauabimur etiam huius ſententiam explicare, & excutere, præſertim, ne querantur iniquiores nos fuiſſe in explicanda eorū ſentētia. Definit quidē confidenter ſatis, fidē illā ſuā Chriſtianā, quam dicunt, quod ſit diuinæ erga nos beneuolentiæ, firma, certaq; cognitio, quæ gratuitæ in

Io. Caluini definitio. Chriſto promiſſionis ueritate, per ſpiritum ſanctum reuelatur mentibus noſtris, & cordibus obſignatur.

Sed quando hęc ipſa definitio preſſius excutitur, nihil ea inuenitur indefinitius, nihil confuſius, Quod tamē priusquam facio, quo pacto hanc ſuam definitionem explicet, coloret, & probabilem facere conetur, præmittendum eſt, ne & ipſe queratur circumſcriptam a nobis, & conciſius productam eius ſententiam.

Finitionis per eundem explicatio. In primis, Non uult eſſe poſſe fidem, per quam, Deo grati, & accepti non ſimus: Proinde a ſophiſtis, quos dicit, ſcholaſticis, non paruo ecclesiæ malo, profectā affirmat nugatoriam diſtinctionē fidei formatæ, & informis, reclamāte ſcriptura uniuerſa: quos & dicit, de fide imperite, & inſulſe ſtridere magis quam loq (Iſtiuſmodi modeſtia ſtatim perfundit, atque imbuit omnes profeſſores ſuos, hæc noua doctrina euangelica, quantuis alioqui, & natura, modeſtiſſimos) Cui tamen, ut pro his ſophiſtis uerbo obiter reſpondeam, (neque enim hic immorari decretum eſt) habent hij magnos ſuæ illius diſtinctionis authores, Chriſtum, Euangeliſtas, & Apoſtolos, ex quibus ſupra clariſſime demōſtrauimus, non omnem fidem, gratos nos Deo facere; Immo, inquit ille, Si habuero omnē fidem, ita ut montes transferam, nihil ſum, niſi præter fidem, etiam charitatem habeam.

Ipſe uero, unicā tātū piorū fidē agnoſcit, cū Paulo, ut dicit, Apoſtolo, Qua in re, quantū cū Paulo cōuenit, ex his, quę ſupra de fide ex ſcripturis demonſtrauimus, eſt euidētiſſimū.

Fidem, qua deum credimus ueracem, æque non poſſe falli, ac fallere, qua ueritati eius firmiter innitentes, diuinas ſcripturas pro certiſſimo oraculo habemus, ut nullius momenti affirmat, ita indignā eſſe uult appellatione fidei, a cuius ſolida ueritate abſit longiſſime, Energiam eā uult eſſe fidei, ut erga Deum, affectu, corde, & amore afficiatur

homo

homo. Nullã proinde mentis aſſenſionẽ, niſi quæ ad cor ipſum uſq; penetret, atq; in eo defixa reſideat, uiuaſq; radices agat, quibus firmiter, & uelut inſeparabiliter adhereamus Deo, dignam ueræ Chriſtianæq; fidei appellatione exiſtimat. Vt quæ, cõtenta non ſit ſimplici cognitione hiſtoriæ, (ſic fidem appellant, qua ſcripturis, ut diuinis oraculis credimus, quam autem proprie, paulo ante explicatum eſt) niſi, & cor hominis, penitius inſideat, atq; occupet, quam ut euaneſcat temere.

Eſſe quidem uerbum (ita ſcripturam appellant) eius obiectum, & ſcopum, in quem perpetuo collimare debeat: a quo, ſi uel parum deflectat, iam non fidem, ſed incertam credulitatem eſſe, et mentis uagum errorem, Eſſe idem; & baſim qua ſuſtineatur, & fulciatur, unde ſi uel paululum declinet, corruat, Ipſam, intueri deum, in uerbo ut in quodam ſpeculo, per quod, ſemper ſe repreſentet, ijs quos ad ſe uult trahere. Attamen, in illo ipſo uerbo, præcipue reſpicere, qua erga nos uoluntate ſit, Cuius fundamentum ſit, præſumpta de dei ueritate perſuaſio. Nec tamen, qualiſcumq; diuinæ erga nos uoluntatis noticiam, fidem intelligit: Non enim, quæ indignantem, uindicantemq; reſpicit: ſed quæ clementem, benignum, & propitium. Illam ſiquidem, refugere ab eo nos docere: at fidem, querere oportere Deum, non fugere. Ad ipſum querendum nos allici, cum ipſum eſſe bonum noſtrum nobis perſuaſum eſt. Illud nobis confirmari, ubi ſibi curæ, ſtudioq; ſalutem noſtram eſſe declarat, Quod, cum una gratiæ promiſſione faciat, qua ſe nobis teſtificatur patrem eſſe, ea opus fuiſſe: ut in quam ſolam reclinari cor hominis poſſit, Et quia non multum habitura eſſet momenti, diuinæ bonitatis noticia, niſi in ea, nos ſimpliciter acquieſcere faceret, excludendam eſſe dubitatione mixtam intelligentiam, quæ non ſolide ſibi conſtet,

ſed ſecum ipſa diſceptet: addidiſſe proinde, ſe in deſinitione fidei, certam, & firmam, Quippe, plenam, & fixam, qualis de rebus compertis eſſe ſolet, certitudinem, fidem ipſam requirere.

Eiuſdem finitionis excuſſio pene neceſſaria.

Hactenus lector rethoricantem audis Caluinum, & ſue fidei deſinitionem explicantem, non paulo certe (quod ingenue confitendum eſt) probabilius, uerisſimilius, & conſtantius, quam uniuerſa & confeſſio, & apologia, quas iam excuſſimus: immo, quam omnes, quos uidere contigit, profeſſores huius nouæ fidei. Nam, & certam definitionem ſaltem proponit: cuius & partes certo ordine exequitur, & explicat. Id quod deſyderes in alijs omnibus. Quos uelut cæcos in tenebris errare hac, illacꝙ, et in circuitum agi magis, quam aliquo certa uia tendere uideas, quoties fidem nobis ſuam explicant. Qua cauſa, illum mihi tacitum hic præterire uiſum non eſt: ne quis forte nouæ huius fidei ſectatorũ, ſaltem in illo ſupereſſe eidem ſubſidij aliquid ſperare poſſet, quod a nobis euerſum non ſit. Nihilo enim plus, etiam in illius deſinitione, ſi uniuerſa diligenter excutiantur, certi & ſolidi in quo acquieſcere poſſis, inuenies: nihil certius de fide illorum intelliges, etiam ſi ita quæras ut qui ſequi cupias.

Audiſti in primis, definientem ſuam illam fidem, eſſe diuinæ erga nos beneuolentiæ cognitionem certam & firmam: beneuolentiæ inquã, demonſtratæ nobis in promiſſione ſalutis gratuita, quæ nobis in Chriſto facta eſt: qualem ex dei uerbo, aut diuinis ſcripturis concipimus. Quam, cũ habeat omnis, qui fidem catholicam habet, qui Chriſto nomen dedit, & diuinis ſcripturis credit ut certiſſimis oraculis, nihil adhuc aliud tibi merito uideris intelligere, quam particulam quandam fidei quam nos profitemur, catholi-

cæ: qua

tæ: qua in uniuerſum credimus ijs omnibus, quæcunq; a Deo noſtræ ſalutis gratia nobis reuelata ſunt, ut non totiꝰ uniuerſæq; fidei, ſed qua parte illa, Dei erga nos beneuolentiam, quo dictum eſt modo, nobis teſtificatam, reſpicit, illam quam efferunt energiam ſuæ illius fidei ipſos attribuere, merito exiſtimes.

Sed cum illi notitiæ, quam, & aſſenſionem dicit, poſt ſeipſũ explicantẽ attribuere uideas, ut ſyncero cordis affectu, & amore afficiamur erga Deum: ut in corde noſtro, uiuas, firmaſq; radices iaciat: iam merito dubitare incipis, quid uelit dicere: Cum hæc, neq; notitiæ, neq; aſſenſioni, (quæ rationis ſunt propria) poſſint competere. Nam cor (quod contra mentem idem ipſe diſtinguit perpetuo) metaphorica illa locutione, ut transfertur ad animum, partem illam animæ affectuoſam atq; imperioſam, cui propriæ conuenit, amare, odiſſe, uelle, nolle, haud dubie intelligit: ſi modo aliquid intelligat. Vt autem diuinæ erga nos beneuolentiæ noticia, quam concipimus, non ſolum ex una illa, cuius ipſe meminit, promiſſione, ſed etiam ex uniuerſis eius erga nos operibus, nempe, quod nos crearit ad ſuæ beatiſſimæ bonitatis conſortium, & tam multis beneficijs, tã benigne, ac liberaliter nos cumularit, & cumulat, non immerito ad ſui amorem prouocare nos debeat, & pleroſq; prouocet, quos idem amor ille (quæ amoris natura, & uis eſt) in amatum transformet, & uelut glutino quodã illi uniat, atq; unione eiuſmodi familiares faciat, ac fiduciã pariat, & uelut ſecuritatem quandam, qualis inter eos eſt, q ſe mutuo & ſyncero affectu diligũt, etiã nos intelligimus. Sed ut uniuerſa hæc, illi notitiæ proprie tribuamus, ipſa rerũ natura & ratio nõ patitur. Aliud ſiquidẽ eſt amor, aliud amati noticia. Hæc, illã ut præcedat oportet: quãdo amor

prære-

prærequirit amati noticiam. Ille tamen, hac, eſt perfectior: necq; ex hac, ut integra, totacq; ſua cauſa pendet, ſed liberæ uoluntatis (quam cordis nomine per translationem ſcriptura ſignificat) germen eſt.

Multo minus intelligis quid intelligat: immo certius intelligis, quod nihil certi intelligat, quando eandem fidem, & partes definitionis eius explicans, nunc ſpem, nunc fidutiam ipſam facit, ut de qua intelligit loqui Apoſtolum, cũ his promittit ſalutem, qui fidutiam, et gloriationem ſpei ad finem uſq;, firmam retinent. Quid enim ſpei, quid fidutiæ cum noticia commune eſt?

Nos cum omnibus recte loquentibus, & qui, quod loquuntur intelligunt, diſtincta hæc, & diuerſa intelligimus: fidem, ſpem, amorem ſeu charitatem, & fidutiam illam firmam, quæ ipſa, ſpei gloriatio recte intelligitur dici ab Apoſtolo: quanq; unum iſtorum ex altero oriatur, & pendeat. In quibus, primum omnium, fides eſt: primum dico, non perfectione, ſed tempore, Oportet enim accedentẽ ad Deum iam credere, Ex fide, quæ nobis proponit dei erga nos, quamuis peccatores, beneuolentiam, & omnibus ſyncero corde ad ſe reuertentibus paratam miſericordiam, ſpes naſcitur, qua in eandem bonitatem, et miſericordiam confidere incipit, & ad ipſum accedere, affectus cordis, amoriſq;, nõ pedum progreſſibus: per quem, cum illum iam attigit, iam aſſequutus eſt, tenet, complectitur, ipſique unitur glutino unius ſpiritus, incipit in ſe eius ſuauitate perfundi: conſolationes ſentire, & uelut amicus amico tandem familiaris efficitur: ex familiaritate, illa fidusia, illa gloriatio ſpei naſcitur, non iam remiſſionis offenſæ (quæ, ſecundum, in hoc progreſſu, locum obtinebat) ſed brauij, & coronæ firma certaq; expectatio. Quæ omnia tam diuerſa, qui in unum confundũt, & in unius fidei ratione quærunt concludere,

dere, & proinde, ſolā nos fidem iuſtificare cōtendunt, quid aguntaliud, quàm quod ineptiſſime, & pertinaciſſime altercātes de uocula, rē ipſam nolint intelligere; immo ſtudio quęrant obſcurare, ne poſſit a quoquam intelligi; & inuolutorum, perplexorumque uerborum fumos ſuffundant in oculos.

Epilogus de aptis hactenus duobus ſigillis doctrinæ aduerſariorū, de iuſtificatione fidei.

Et hactenus quidem priora duo ſigilla noui huius euāgelij, de iuſtificatiōe, quæ per ſolā fidē eſt, ſatis ut puto aperuimus, Quorum primum, eſt in ipſa ratione illius prædicatę a ſe fidei, De qua, nullam apud aduerſarios certam rationem, aut notionem adhuc conſtare, in quam, perpetuo reſpicientes conſtanter de eadē loquantur, ſed tanquam ad diuerſa reſpicientes, nunc hoc, nunc illud proferant, ſed nihil coherens, nihil conſonum, immo falſa, immo pugnātia omnia, mihi ſatis demonſtratū uidetur. Et quanquam omnes imaginari uideātur, illā ſpecialem perſuaſionem, qua quis ſibi perſuadeat, ad ſe certo pertinere promiſſionēm iuſtificationis, et ſalutis in Chriſto: ſe illius iam factum participē: exiſtimantes eiuſmodi perſuaſionem neminem poſſe fallere: tamen reſpicientes interim ad rationem fidei catholicæ, qualis hactenus ab orthodoxis patribus noſtris tradita eſt, & ad tam multa, quę paſſim recurrunt in ſcripturis, illi ſuæ imaginationi aduerſantia, neſciunt, quo ſe uertant: ſed nūc unum comminiſcuntur, nunc aliud: ſed nihil conueniens, immo ſecum pugnantia omnia, & falſitatem illius ſuę ſtultiſſimę, & uaniſſimę imaginationis euidenter coarguentia, quemadmodum euidentiſſimum fecimus.

Secundum uero ſigillum eius doctrinæ, ſub quo clauſa conduntur illa eius tā multa myſteria, eſt in eo, quod ſola illa ſua fide iuſtificari, nos docent, Quod, non ſolū illā eorū fidem, (quam adhuc neſciunt quę ſit, & inaudita hactenus fuit omnibus) immo, nullam omnium fidem ſolam facere, ſed multa ad hoc alia, & in ſumma, dei illum ſyncerū, uin-

Duorũ adhuc explicandorũ propoſitio.

cẽtemq; in nobis amorem requirere, irrefragabili diuinarũ ſcripturarum authoritate, certiſſimum fecimus.

Reſtãt fere adhuc bina eiuſdẽ doctrinę aperiẽda ſigilla, ſed in quib⁹ nõ tantũ, ut in priorib⁹, nobis erit operę & negotij, tertium nempe, & quartũ (ſub quatuor enim, uelut ſigillis concludi præcipua eius myſteria, a principio annotauimus, Quorũ tertiũ conſequẽti loco excutiendum eſt, de fallaciſſima certitudine ſalutis, quam promittunt ſuæ fidei ſectatoribus, Sub quo, etiam excutietur ſextus confeſſionis eorum articulus, quo prædicant ſuam illam fidem eſſe fœcundam, & neceſſario feracem bonorum operum, Quartũ uero, & ultimum, conſiſtit in modo, quo imaginantur gratuitam iuſtificationis, & ſalutis gratiã, quo, et meritũ omne tollunt, & nullum operum noſtrorum, hac in re reſpectum a Deo haberi, nulla eius reſpectu, & gratia, a nobis uolunt fieri. Age igitur ad apertionem illius ſigilli tertij.

Apertio ſigilli tertij.

De fallaciſſima ſecuritate ſalutis, quam promittũt ſuæ fidei ſectatoribus.

Fidei catholicæ, quam nos profitemur, cum & ipſi tribuamus certitudinem firmam, plenam, fixam, qualis de rebus compertis eſſe ſolet, uidentes certitudinem eiuſmodi, in ſua illa fide, & notitia diuinæ erga nos beneuolentię exigere aduerſarios, nondum intelligimus, ea in re inter illos & nos eſſe differẽtiam, aut ſub illo lapide latere ſcorpium, Sed cum explicantes eoſdem audis, quam nam illam certitudinem intelligant, tunc ſe prodit impietas.

Qualem ſalutis certitudinẽ doceat fides catholica.

Chriſti fidelis, magnam, copioſam, effuſamq; in multos, omnibus obuiam ac paratam dei miſericordiam certo credit, nec quicq; dubitat: nondum tamẽ certo apud ſe cõſtituit, nec certo ſibi perſuadet, quod ipſe, eius ſit particeps: ſed indignitatis ſuæ, & grauiſſimorum peccatorum, quib⁹ tam pium & miſericordem dominum, in ſe tam beneficũ, inceſſanter offendit, merito trepidat, & in ſe confunditur: in ipſo præſertim ſuæ cõuerſionis initio: nõ tamẽ deſperat; nec

nec deſpondet animum: nihil dubitans, maiorem eſſe eius miſericordiam, quàm ſit, aut eſſe poſſit noſtra iniquitas: unde et ſpem ueniæ cõcipit: atq; illi ſe humiliter proſternit cũ publicano illo euãgelico, non audens, uel oculos ad cœlum attollere: Quo pacto progrediens, quemadmodum prędictũ eſt, & receptus tandẽ a pientiſſimo patre, & miſericordiſſimo domino, ex amore conſolationem, familiaritatem, & fiduciam paulatim concipit: non tamen ſalutis ſuæ ſecuritatem omnimodam: ſuæ nimirum mutabilitatis conſcius, Vnde etiam ſollicite, & inſtanter in timore Dei ſe continet.

At longe eſt diuerſa certitudo ſalutis, quam fides illa ſpecialis aduerſariorum exigit: quibus, Chriſti fidelis non eſt, niſi qui ſolida perſuaſione, Deum ſibi propitium, beneuolumq; patrem eſſe perſuaſus, de eius benignitate ſibi pollicetur omnia: & diuinæ erga ſe beneuolentiæ promiſſionibus fretus, indubitatam ſalutis expectationem præſumit: immo, non, niſi qui ſuæ ſalutis ſecuritati innixus, diabolo, & morti confidenter inſultet: ad illius exemplum, qui dixit, ſe certum, quod neq; mors, neq; uita, neq; angeli, neq; principatus, neq; poteſtates, neq; uirtutes, neq; præſentia, neq; futura, breuiter nulla creatura, ipſum poſſet a charitate Dei diuellere, qua nos in Chriſto Ieſu cõplectitur, Spiritũ ſanctũ, hac in re, ſigilli uice defungi affirmãtes, ad diuinas promiſſiones, unde conſtet beneuolentiæ eius erga nos cognitio, obſignandas in cordibus noſtris: quarũ certitudinẽ, idem, mẽtibus noſtris impreſſerat: atq; eundẽ, ad confirmandas, conſtituendaſq; eaſdem, arre locũ tenere, Quod ipſum affirmari uolunt ab Apoſtolo, ad Epheſios dicente, In quo, & credentes, aut poſtquàm credidiſtis, obſignati eſtis ſpiritu promiſſionis ſancto, qui eſt arrabo, aut pignus hæreditatis noſtræ, Et rurſus, Qui unxit nos deus,

Qualem ſalutis certitudinẽ fides aduerſariorum exigat

& uigilantia eſſe uidētur: Ne forte, inquit, cū alijs prædica‑
uero, ipſe reprobus efficiar, Mihi ſane, nō ſuper oēm certitu‑
dinē certi de ſalute ſua, ſed cū timore, & ſollicitudine ad eā
contendentis, & reprobationem ſugientis, quamuis iamdu
dum conſtituti in magnis profectibus, uox hæc eſſe uide‑
tur. At longe plus aſſequuti, & in altiorem diuinæ cha‑
ritatis gradum ſubleuati, illa, ex epiſtola (quæ tempore po
ſterius ſcripta eſt) ad Romanos plena confidentię uox eſt,
Quis nos ſeparabit a Charitate Chriſti? &c. Certus ſum
enim, quia neq; mors, neq; uita, & cætera quæ ſubiungit.
In ſumma, nulla creatura, ſeparare nos poterit a charitate
Dei.

Quanq;, ſi & præcedentia, & ſubſequentia huius loci apoſtolici conferas, hoc clariſſime intelliges. His uerbis nobis ſignificare uoluiſſe apoſtolum, ut fixos nos, et radicatos in charitate Dei, ex hoc, quod beneficiorū ei⁹ erga nos magnitudinē, digne diligenterq; eſtimamus, et cōſideramus ut oportet, nulla tētatiōis uis, nulla creatura ab illo ſeparare poſſit, niſi ipſi ultro ignauiter, turpiterq; ceſſerimus, et ex ſe impotenti aduerſus nos aduerſario locū in nos dederimus, & nos ſubmiſerimus.

Quam inepte confirment illam quam promittunt ſalutis certitudinē, ex teſtimonio in nobis diuini ſpiritus.

Quod uero de teſtimonio diuini in nos ſpiritus proferunt, quod tandem, ſuam illam fidem proprie faciunt, eiuſmodi eſt, ut ſatis demirari non poſſum, quis hæc dicētes agitet cæcitatis ſpiritus, ut, quam aliena loquantur, non intelligant. Siquidem, ſpiritu promiſſionis ſancto obſignari corda, non infidelium, ut credentes fiant, ſed iamdudū credentium, & ex ſide pœnitentium uitæ ueteris, & ad deum per ſyncerum amorem conuerſorum, immo, ab eodem in gratiam iam receptorum, quo ſentiant conſolationē, et ſuauitatem diuini amoris: utq; idem, uelut arrabo ſit, promiſſę & expectatæ ſalutis, in illo amore perſeuerantibus, tam eſt

certum, tam expertum his qui in Chriſtiana militia ſeſe exercuerunt omnibus, tam conteſtatū diuinis eloquijs (quod ſupra clariſſime demonſtrauimus) ut plane rudem uniuerſæ rei Chriſtianæ ſe demonſtret, quisquis de hoc dubitare potuerit. Et plane mirandum eſt, quod nō intelligant Caluinus ille, & cæteri, illis ipſis, quæ citant, uerbis Apoſtoli ad Epheſios, ſuam ſententiam plane redargui, In quo, inquit, iam credētes, aut poſtq̄ crediſtis, obſignati eſtis ſpiritu promiſſionis ſancto. Præcedit ergo fides, ſignaculum, aut ſigillum in nobis ſpiritus, non ſequitur, ut hij aduerſus omnem ſcripturam affirmant. Quod ipſum ſignaculum in nobis ſpiritus, uelut ſuam cauſam effectus, adhuc ſequitur, teſtimonium illud quod idem ille ſpiritus, noſtro ſpiritui perhibet. Vt intelligas, quam diuerſa res ſit Paulo apoſtolo, fides Chriſtiana, & euangelica, ab hoc teſtimonio ſpiritus, quod hij demum fidem faciunt: quantum illis cum eodem Apoſtolo de fide conueniat.

Demonſtratur iactatæ ab aduerſarijs certitudinis uaniſſima uanitas.

Diuinis promiſſis firmiter credentes Chriſti fideles uniuerſi, nihil dubitant Deum ſe patrem habere propitium, & ſe illi fore chariſſimos filios, ſi in timore illo filiali erga ipſum ſe continuerint: ſi mādatis eius obſequi ſollicite ſtuduerint, ut decet bonos, & chariſſimos filios: Certum habent ſe accepturos ſalutem in Chriſto, ſi eidem charitatis glutino copulati, obſequentes fuerint. Neq; enim ullis alijs, niſi his demum, hæc, niſi fruſtra, & uane, expectari poſſe, a diuinis ſcripturis, Chriſto, Apoſtolis, & Euangeliſtis, certiſſimo edocti ſunt: quemadmodū ſupra euidēs fecimus. Neq; ullā inueniūt, tā abſolutā promiſſionem, aut filialis adoptionis, aut ſalutaris gratiæ, quæ uſum rationis iam aſſequutis facta ſit, in qua incluſa non ſit conditio iſtiuſmodi. Neq; enim omnes, teſtamenti patris fiunt participes, ſed qui ipſum ſeruant: proinde abſolutum nō eſt; ſed includit aliquid

cuius

cuius obſeruatio a nobis exigitur:a quo obſeruato, aut ſecus,pendet delatę teſtamento hæreditatis aſſequutio;Quã qui propoſitam quidem & delatam omnibus, aſſequi uoluerint,neceſſe eſt,ut ſeruando teſtamento ſtudeant:ut memores ſint mandatorum patris,& in filiali timore, ac reuerentia erga ipſum ſe contineant:a nutu,ac uultu patris pẽdeant,et dependeant:illi gratos ſe filios exhibere conentur; eius imaginem in ſe exprimere uitæ puritate,ſanctimonia, iuſtitia:in luce Chriſto ambulare,ut lucis filij, Chriſti doctrinæ fideliter obſequi.Nam his demum factum hũc cauſam ſalutis æternę,hos a peccatis ſuis emũdari eius ſanguine,eiuſdem ipſius Chriſti,& Apoſtolorũ teſtimonio,ſupra euidentiſſimum fecimus. Ad quæ dum quiſq; reſpicit, & a ſe exigit,an patris,quomodo prædictum eſt, teſtamentũ ſeruauerit,merito timet,ac trepidat.

Et quamuis ille radicatus,fixus, & iam uelut familiaris amor,fiduciam illam quandam ſecuram ſalutis pariat.Hęc tamẽ ſecuritas,lõgiſſime abeſt ab iſta ſecuritate, quã aduerſariorũ exigit & promittit fides:ut iã demonſtratũ eſt. Deinde,etiam illa ipſa qualiſcumq; ſecuritas,non eſt inter ipſa noſtræ conuerſionis initia,quæ tamen neceſſario a fide inchoat:ſed indignitatis noſtræ conſcientia,& erga creatorẽ, & tam benignum & munificum in nos dominum,tam pium patrem,ingratitudine atq; inobedientia confuſi, & nihilominus de infinita bonitate & miſericordia eius ſperantes,atq; eidẽ humiliter proſtrati,ex dolore offenſæ eius,pectus tũdimus:& ſynceri doloris teſtes,fideles lachrymas ubertim effũdim⁹:nec audemus ad cœlũ attollere oculos,p̃ dolore,cõfuſione,et uerecũdia:ſed humiliati in ſacco,cilitio & cinere,pauimento adhęrentes, ſupplices oramus miſericordiſſimũ dominũ, ut nobis ſit propitius,& peccata ignoſcat.Hic eſt uere germanus et Chriſtianus,fidelis animi,ex

Vere germanus fidelis animi ex euangelica fide ad deum ſe conuertentis habitus.

uera

uera,euangelicaq; fide ad Deum ſe cōuertentis habitus: & qui ab eodem iuſtificationis gratiam impetrat: ſi Chriſto, & eius euangelio credimus, In qua, qui permanet, & obſequentem deinceps filium illi ſe exhibet, is demum teſtamētum patris ſeruat, & ſalutis promiſſionem omnibus propoſitam, ſuam facit. Quam ſi quis credat aliter poſſe ſuam facere, ut, ſi tantum nihil heſitans certo credat, quod ad ſe pertineat, non ſolum incerta, ſed etiam uana eſt credulitas iſtiuſmodi: ut quæ nec Deum, nec Chriſtum, ſponſorem habet: immo, eſt Deo, Chriſto, apoſtolis, & diuinis ſcripturis omnibus plane contraria: quemadmodū ſupra clariſſime demonſtrauimus.

Qui demū nō uane poſſunt credere ſe Deū patrē habere propitium.

Immo uelim hoc mihi reſpondeant, qui hac ſalutis ſecuritate miſeros lactant, ſe & alios, & in æternæ damnationis barathrum certo præcipitant, Quo pacto non falletur, credens ſe Dei filium, atq; eundem habere patrem propitiū, cuius ſi uitam contempleris, nihil minus quam Dei eſt: nihil minus quam Deum cogitat: ſed mundo, atq; eius curis totus immerſus eſt, mammonæ ſeruit, carnis deſyderijs obtemperat?

Notum eſt, filios quos dici eorum, quorum imitantur actus, & opera. Ita Daniel ad unū ex illis ſenioribus, quos cæcus atq; impotens adulterandi furor adegit, ut falſo ſuo teſtimonio, non ſolum commacularent caſtę ſanctęq; mulieris pudicitiam, ſed etiam in mortem innocentem traderent, Semen, inquit, Chanaā, non Iuda. Sic quoq; propheta ad filios Iſrael, Pater tuus Amorrheus, mater tua Cethea, quibus utiq; non generis neceſſitudo, ſed morum ſimilitudo illos iungebat, Ita deniq; in euangelio Chriſtus, ad Iudeos iactantes ſe Abrahæ filios, Si Abrahæ filij eſſetis, opera utiq; Abrahæ faceretis. Atq; iterum, cum ſe patrem habere deum dicerēt, primum, coarguit mendacij, deinde,

 diaboli

diaboli ipſius conuicit eſſe filios. Si Deus, inquit, pater ueſter eſſet, diligeretis utiq; me, Ego enim ex deo proceſſi, & ueni, Videtis, unde ineunda nobis ſit eſtimatio, unde conſectandum, an Dei ſimus filij? num patrem illum propitiũ habeamus? nempe, ſi Chriſtum diligamus, Et quis eſt, qui Chriſtũ diligit? Ipſum audi, Qui diligit, inquit, me, ſermones meos ſeruat, Ille ergo uere, fideliter, & nõ uane ſperare poteſt, Deum ſe patrem habere propitiũ, qui Chriſti doctrinam ſeruat: illi ſe conformare contendit: illum induit: cuius uita, Chriſti uitã emulatur: breuiter, cui uiuere Chriſtus eſt, Illos uero iactantes, Deum ſe patrem habere, propter eius fidem, & noticiam, conuicit eſſe diaboli filios, ex uita ipſorũ, & operibus, Vos, inquit, ex patre diabolo eſtis, & deſyderia patris ueſtri uultis facere. Habemus Lydium lapidem, ad quem examinare nos debeamus, cuius ſimus filij: Deum, an diabolum, patrem habeamus: Illum nempe ipſum lapidem angularem, poſitum in Sion, in ruinam, & reſurrectionem multorum: Chriſtum inquam ipſum. Quẽ ſi diligis, ſi doctrinam eius ſeruas, ſi ipſum uita, & moribus exprimis, Deum patrem habes: Sin minus, diabolum: etiã quicquid credideris de Chriſto: etiam ſi certiſſimo perſuaſeris tibi, propter Chriſtum (cui ob uitæ, morumq; diſſimilitudinem neceſſario diſplices) te placere deo, Quę ſane, nihil eſſe poteſt aliud, q̃ temeraria, & peſtilentiſſima præſumptio.

Lydius lapis ad quẽ examinare te poßis, Deum, an diabolum, patrem habeas.

Sed fidem illã ſuam, iactant includere illa omnia: quippe, feracem eſſe bonorum operum, & uitam noſtram, ad Chriſti doctrinam neceſſario componere: nec peccatum ullum mortale admittere, Quod, quo pacto fiat, intelligere ego non poſſum.

Excutitur VI ar. confeſs. An fides eorũ ſit neceſſario ferax bonorũ operum.

Eſt illis fides, promiſſæ iuſtificationis & ſalutis gratię, in Chriſto firm⁹ aſſenſus, Ita enim imaginari eos, ſed uelut

per denſam quandam caliginem uideo, quod proinde non poſſint clare exprimere, diuina promiſſione, uelut gratuito & liberaliter, iuſtificationis, & ſalutis gratiam in Chriſto offerri omnibus: a nobis uero unum hoc requiri, ut acceptemus oblatã: quod promiſſioni firmiter aſſentiendo, & nihil dubitando eius nos iam factos participes, fieri intelligunt: atq; ita, per unam illam fidem nos fieri, & iuſtitiç, & ſalutis participes.

Docent proinde, fidelem omnem, certo ſtatuere debere, ſe reputari iuſtum coram deo, & eius ſe eſſe chariſſimum filium, propter hoc ſolum, quod certo credit, hac ſe gratia impartiri, propter Chriſtum, pro ſe paſſum & mortuum, & qui pro peccatis noſtris abunde dependit: quæ non poſſit illum fides fallere, ſed tã certo conſtet cuiq;, q̃ certo credit. Age igitur, & hic pauliſper agamus cum aduerſarijs.

Demonſtratur dicti articuli euidẽs ſalſitas.

Accipiamus Chriſtianum aliquem, ſed grauibus peccatis implicitum, qui induxit in animum ueſtro euangelio credere, Quo pacto hic ſecum non ſtatuere non poterit (q̃ uere, nihil refert ad præſens) ſe reputari iuſtum corã Deo, atq; illum ſe habere patrem propitium, illius ſe eſſe chariſſimum filium, quia credit hac ſe gratia impartiri propter Chriſtum, pro ſe paſſum & mortuũ, qui pro peccatis ſuis abunde ſatisfecerit: & aſſentiendo acceptare, gratis oblatã in illo iuſtificationis & ſalutis gratiam?

Si dixeritis, ueram, illum eiuſmodi, fidem ueſtram non habere, q̃ diu in peccatis eſt: quamdiu mundo ſeruit, carni & ſathanæ: quod ueſtra illa fides, mortale peccatum non compatitur, Hoc eſt, quod hic inquirimus, nec intelligere poſſumus, unde illi ueſtræ fidei hçc ſit cũ peccato pugnantia? Habet iſtiuſmodi, uniuerſum id, quod continetur in ratione ueſtræ fidei; firmiter aſſentitur diuinæ promiſſioni, qua

qua gratis in Chriſto offertur omnibus, iuſtificationis & ſalutis gratia: atq; illi aſſentiendo eã ipſam acceptat, et acceptatione ſuam facit: quando ad hoc ipſum, uobis nihil requiritur aliud: & ueſtro illi euangelio firmiter credens, certo ſtatuit ob illam ſuam fidem iuſtum ſe reputari corã deo, atq; illum ſe patrem habere propitium: eo quod firmiter credit Chriſtum pro ſe paſſum, & mortuum, Hęc eſt enim ueſtri doctrina euangelij, Hoc igitur a uobis explicatum mihi cupio, quid huic deſit, quo minus ueſtram illam fidẽ habeat: cui ego nihil deeſſe uideo, quod in ueſtræ fidei ratione includitur & compræhenſum eſt, Quod peccator eſt, non aduerſatur rationi ueſtræ fidei, Immo Lutherus, eius ipſius author, docet credentis in Chriſtum nulla opera eſſe tam mala, quæ eum poſſint accuſare, aut damnare, Ita ſane libello de uotis, Et ſermo: quo explicat illud Euangelij, Sic Deus dilexit mundum, Immo, aduerſus Carolſtadium, affirmat nullum eſſe peccatum, q̃ incredulitatem: nullam iuſtitiam, q̃ fidem, Et in capti. Docet non dubitandum nobis eſſe de ſalute, poſtq̃ baptizati ſumus, Quia promiſſio ibi facta, non eſt, inquit, mutabilis ullis peccatis, unde baptizatus, etiam uolens, non poteſt ſalutem perdere, niſi nolit credere: Quin & communis eſt ueſtrum omnium, atq; una ſententia, ſola fide iuſtificari hominem: nullo uitæ eius, nullo operum reſpectu: ad quę docetis reſpicere nos non oportere, ne quicq̃ nutet ueſtræ fidei illa ſalutis ſecuritas, & certitudo uacillet aut heſitet: Cum merito, quiſquis ad ſe, uitamq; ſuam reſpexerit, criſtas demittit: ſed clauſis ad nos ipſos, uitamq; noſtram oculis, uultis in unam Dei miſericordiam intentis nos oculis, certo credere, quod ipſi grati ſimus, & chariſſimi filij, Quod quiſquis facit, is uobis talis eſt, qualem ſe firmiter credit.

Vt nulla ſit pugnãtia fidei aduerſariorũ cum peccatõ.

Is autem, qui a nobis exempli cauſa propoſitus eſt, firmiter credit, uobis credens, quod ſit dei filius, & ipſum placatum habeat: quamuis in peccatis ſuis molliter quieſcat: ſatis eſſe ad ſalutem credens, ueſtram illam fidem habere: ueſtro illi euangelio credere; nihil hac in re ad ſuam uitam aut opera, ne non ſatis firma ſit fidei ſuæ certitudo & firmitas, ſed in unam dei miſericordiam reſpiciens: quem, propter illam ipſam ſuam fidem, ſibi perſuadet propitium: etiã quicquid de uita ſua fuerit; quantumcumq; alioqui diuina gratia indignus fuerit: quæ dignitatem noſtram, præparationes noſtras & opera, nihil moratur, niſi falſum ſit ueſtrũ euangelium. An forte dicetis eiuſmodi hominem, in uita perdita, illud ipſum non poſſe credere? Certe hoc poſſe credere etiam grauiſſimis peccatis irretitos, teſtimonio eſt Micheas propheta: qui eiuſmodi fidem, aut perfidiam potius, in pleriſq; ſui temporis coarguit, Teſtimonio eſt Ioannes Baptiſta, qui eandem peſtilentiſſimam credulitatem, in turbis, tam Phariſeorum, q; Sadduceorum, ad ſuum baptiſma uenientium, uelut populariter receptam perſtrinxit: Teſtimonio quoq;, & alter Ioannes, ille Euangeliſta, qui refert Iudęos, ita reſpõdiſſe Chriſto, nos patrem habemus Deum: quos tamen ille contra conuicit, non Deum, ſed patrem habere diabolũ, Teſtimonio deniq; ſanctiſs. patres noſtri, Hieronymus, Auguſtinus, & cæteri, qui affirmant, ab ipſo etiam naſcentis æccleſiæ Chriſtianæ exordio hanc fuiſſe multorum fidem, quod ſola fide in Chriſtum ſaluaremur: etiã qualiſcumq; uita noſtra foret, qualiacumq; opera. Quid eſt ergo, quod dicitis, eam, quam prædicatis fidẽ, ſecum non poſſe mortale peccatum compati?

Cauilli remotio.

Poſſe etiã peccatores firmiter credere ſe Dei filios.

Sed præſumptuoſa, dicetis, & erronea, eorum quos cõmemorauimus fides extitit: & uera dicetis, Sed cur non æque ueſtra falſa eſt, aut certe eſſe poteſt? Hoc enim quiſq;

nobis

nobis reſpondeat, quo pacto illi quos commemorauimus omnes, credendo ſe Dei filios propter unam fidem in Deum, & ob eandem, illum ſe habere patrem indulgentem, & propitium, errare potuerunt, atq; adeo craſſiſſime errarũt, & miſere ſe deceptos nunc inueniunt: uos autem illud ipſum credẽdo, errare non poſſitis, ſed tam certum uobis hoc ſit, quam certo creditis?

Adhuc unum reſtat aperiendum ſigillum doctrinæ aduerſariorum, quam hic excutimus, & ſub quo tecta claudũtur eius myſteria: nempe, in modo quo imaginantur gratuitam iuſtificationis, & ſalutis noſtræ gratiam; quo, & meritum noſtrum uniuerſum tollunt, & nullum operum noſtrorum hac in re reſpectum a Deo haberi, nulla a nobis eius reſpectu & gratia patiuntur fieri; & facta, eo adeo non promouere, ut inde abducant magis, & ad diuinæ gratiæ iniuriam pertinere contendant, Quo uni illi ſuæ fidei, ſine ſocio atq; emulo, hic regnum aſſerant.

Apertio ſigilli quarti.

Quomõ imaginentur gratuitam iuſtificationis, & ſalutis gratiam.

Sed nos ſupra diuinarum ſcripturarum irrefragabili authoritate demonſtrauimus, gratuitam quidem a Deo, in Chriſto, conferri nobis iuſtificationis gratiam: non tamen conferri quibuslibet: nec alijs, q̃ ſyncerũ illum, operoſumq; Dei amorem, ſollicitum timorem, ac fidele ſtudium uoluntati eius obſequendi iam habentibus. Ad quem amorẽ, timore illo fœcundum, obſeruationemq; mandatorũ ſuorum, quæ ex eodem procedit, præcipuum ipſum hac in re reſpectum habere, atq; eius gratia nobis conferre, & uelut retribuere iuſtificationis, & ſalutis gratiam, idẽ ipſe irrefragabilis teſtis eſt. Ad quem, inquit, reſpiciam, niſi ad pauperculũ, & contritũ ſpiritu, & trementem ſermones meos? Et Chriſtus in euangelio affirmat, pios accepturos regnũ patris, propter impenſa in proximos charitatis opera, quæ uelut ſibi impenſa acceptat: quibus ſe dicturum in iudicio

Demõſtratur eius falſitas.

Ad amorẽ noſtrũ atq; opera præcipuum à Deo, et maiorem quã fidei reſpectum haberi, in donãda nobis iuſtificationis, & ſalutis gratia.

affirmat. Venite benedicti patris mei, poſſidete paratū uobis a conſtitutione mundi regnum. Eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare, & quę ſequuntur cætera: falſiſſimum eſt ergo quod docent aduerſarij, noſtrorum operum, a deo in impartienda nobis iuſtificationis, & ſalutis gratia, reſpectum nullum haberi: immo plane contra, præcipuū, & maiorem quam fidei, eorundem ab ipſo reſpectum haberi, atq; ea ipſa uelut illis remunerare, ex eiſdem eſt euidentiſſimum.

Opera noſtra coram deo eſſe meritoria.

Quin, ut hoc credamus, quod ipſe inquirentibus ſe per ſyncerum amorem, atq; ardēs deſiderium, remunerator ſit, exigere a nobis fidem ipſam orthodoxā, & catholicam, ſine qua nemo poteſt ad deum accedere, apertiſſimis uerbis affirmat Apoſtolus. Oportet, inquit, accedentem ad deum, credere quia eſt, & quod inquirentibus ſe remunerator ſit. Aliud eſt autem, munerare: aliud remunerare: illud, ſignificat ſimpliciter donare aliquid: nullius prioris officij aut beneficij accepti compenſandi, reſpectu: quod ij faciunt, qui priores, aliquem dono aut beneficio ſibi demerentur, & obligant, Remunerat autem, qui acceptum beneficium, aut quod uelut ſibi impenſum tulit, tametſi alioqui eius utilitas ad ſe non pertineat, compenſat: atq; eius reſpectu bene merito aliquid retribuit, Itaq;, ad præcedens is meritum reſpicit, quamuis liberale: quale fere eſt in officijs, ac beneficijs: non uero ad illud ſeruile, & conductitium: quale ex pacto & conuento, pro certa mercede eſt exhibitum. In quibus hæc eſt differentia, quod in illo priori genere, in retribuendo, ac remunerando, non commenſuramus datum accepto, nec conamur æquale æquali reddere: ſed ſemper ſtudemus benemerentem beneficio uincere, & ſuperiores ea in re partes tenere. In hoc poſteriori, contra ſtudemus: nempe æquale æquali reddere: & certa mercede, certam

Duplex meriti genus. Liberale. Seruile. Eorum differētia.

tam operam paciſcimur. In illo, benemerenti nullum ius, nulla actio cōpetit quicꝙ mutuo petendi ab eo, de quo eſt benemeritus: ſed uniuerſum, liberalitatis utriuſcꝙ eſt: tametſi homo gratus, ipſa uelut gratitudinis lege, acceptum beneficium, maiori ſemper beneficio compenſet: nec ſe ſatisfeciſſe exiſtimat, niſi uicerit, & nouo benemerentem beneficio ſibi obligauerit. In hoc poſteriori, ut conſtituitur uerũ debitum, competitꝙ merēti ius petendi mercedem, & aduerſus tergiuerſatorem, aut ceſſatorem datur actio: ita maligne compenſatur: & cauetur quantũ poteſt fieri, ne plus reddatur, aut ſoluatur, quam impenſa opera ualeat. Poſtremum hoc meriti genus locum non habet inter Deum, & homines: cum illum, nobis debitorem nulla poſſimus ratione conſtituere: ut cuius eſt uniuerſum, & quod ſumus, & quod facimus, & quod poſſumus. Priori uero illi generi, uticꝙ locus eſt. Siquidem miſericordiſſimus, & piiſſimus dominus, & ſi bonorum noſtrorum non indigeat, & ſi nihil ex nobis ipſi poſſit accedere, tamen, ſui ſimiles nos cupit euadere, quia bonus eſt: & ad hoc ipſum propoſitis præmiis nos inuitat. Velut, ſi liberalis, benignuſcꝙ herus aliquis, ſeruos ſuos ad id inuitet, propoſitis cuicꝙ pro ſua gnauitate, diligentia, ac labore pręmiis aliquot liberalibus, ad quod, æque ſine ullo premio obligarentur ex ſua conditione, & officio. Et ut magis quadret ſimilitudo propoſito. Si quis hoc ipſum faciens, unum illud in eiſdem reſpiciat, ut homines frugi, bonoſcꝙ faciat: non ſuæ ullius utilitatis, ſed ſolum illorum ipſorum cauſa, quia, & ipſe bonus eſt: & ſuos omnes, ſui quocꝙ ſimiles reddere ſatagit.

Quale ſit meritum inter deum, & hōmines.

Simile.

Aptatio.

Ita ſane optimus, & clementiſſimus dominus, uelut ſibi impenſum beneficium acceptat, cum aut proximis, aut nobis ipſis benefacimus: cum illum ipſum, qui & nobis ſummum

mum bonum noſtrum eſt, toto corde amamus, deſyderamus, & exquirimus. Cuius ipſius inquiſitionis, noſtriq́ erga ſe amoris reſpectu, uitam nobis æternam, & coronam gloriæ immortalis retribuit, & uelut mercedem proponit, unicuiq́ ſecundum ſuum laborem, propriam. Merces autē eſt, quæ pro opera. & labore, uelut ſtipendij loco, redditur. Quæ cum operi alicui, aut labori proponitur, eo utiq́ fine, eaq́ intentione proponitur, ut eius ſpe & reſpectu, excitentur ad agendum, ſatagendum, & laborandum alacrius. Nec uult qui mercedem proponit eiuſmodi, ut non expectetur: ſed contra, ut expectetur pro opere, ac labore cui repromittitur. Qui proinde ad eam reſpiciunt, eius contemplatione, & intuitu ſuam ſocordiam excitant, ſeſe prouocāt ad curſum in ſtadio, ad certamen bonorum operum, brauij & coronæ, quæ perſeuerantibus ac uincentibus proponūtur, ſpe ac reſpectu, nihil ſeruiliter faciunt: ut falſo imaginātur aduerſarij: immo hoc faciunt. quod idem ille dominus noſtræ fragilitatis conſcius nos facere docuit: quod fecerūt illi, quos ſingulari ſua gratia præuentos, atq́ exaltatos, nobis, quos imitaremur, uelút duces quoſdam conſtituit, Ita Moyſes ille, ſi Paulo credimus, reſpiciebat in remunerationem, cum Chriſti improperium præferret Aegiptiorum theſauris, & diuicijs, Abrahæ puſillanimitatem ac timorē, mercedis magnæ repromiſſione detrahere conatus eſt ille, in cuius tamen manu ſunt corda filiorum hominum. Noli, inquit, timere Abraam, quia merces tua, magna nimis. Ita Dauid inclinaſſe cor ſuum ad faciendas iuſtificationes dei propter retributionem, idem ipſe affirmat.

Merces.

Ad mercedem reſpicientes in ſuis operibus, nihil ſeruiliter facere.

Nec tamen hic quicq́ Deo, aut Chriſto adiungimus in illo ſuo ordine, in iuſtificationis noſtræ, & ſalutis negotio, qui opera, eius ipſius aſſequendæ gratia facimus, & facienda docemus. Aeque enim uniuerſum, eſſe confitemur in-

Qui bonis operibus ſtudent iuſtificationis, et ſalutis aſſe-

finitæ

finitę dei bonitatis,& gratuitę, ſine qua plane peieramus, miſericordiæ. Aeque unum Chriſtum, propitiatorem, ſaluatoremq; noſtrum, immo propitiationem, redemptionē, iuſtitiamq;,& ſalutem noſtram: nō uero, noſtra opera, etiā qualiacumq; ea ſint, Ipſe tamen opera noſtra a nobis exigit, ut iuſtificationem,& ſalutem gratis operetur in nobis: ut paſſionis, mortis, & præcioſi ſanguinis eius uis illa ſalutaris deriuetur ad nos. Neq; enim ideo pro peccatis noſtris ipſe dependit, ut nos, noſtri, ſuiq; oblitos, carni ſeruientes & ſathanæ, confratres, coheredeſq; haberet,(Neq; enim ad gloriā, ſed potius ad eius ignominiā pertineret habere fratres,& coheredes eiuſmodi) ſed ideo, inquit ille, unus ipſe pro omnibus mortuus eſt, ut qui uiuunt, non amplius ſibi ipſis uiuant, ſed illi, qui pro ipſis mortuus eſt, & reſurrexit: quibus uiuere Chriſtus eſt, Hijs demum (ut ſupra demonſtrauimus) factus eſt cauſa ſalutis æternæ: hijs uenit propitiatio, redemptio,& ſalus: omnibus quidem, q̄tum ex ſe fuit, ſed hijs tantum, re ipſa,& efficaciter: non quia quicq; ab ipſo, ulli, ſed quia a nobis deeſt: quia nos ipſi, indignos nos præſtamus oblatæ gratiæ.

quędā gratia, æque eandem gratuitam agnoſcere.

De merito proinde ſanctorum operum, ut pertinacius a nobis diſſentiant aduerſarij, cauſam nullam habent, niſi quod noſtram ſententiam non intelligunt: immo, in eandem nobiſcum ſententiam conueniunt: aut qua parte a nobis diſſentiunt, etiam a ſeipſis diſſentiunt,& ſecum ipſi pugnant: quod non raro faciunt, cuius in his, quæ hacten⁹ excuſſimus, euidens ſatis ſpecimen exhibuimus.

Vt ſine cauſa pugnēt aduerſarij cū catholicis, de merito ſanctorū operum.

Execrantur in primis meriti uocabulum, quod, qui primus aptauit operibus hominum comparatis ad dei iudicium, fidei illum puritati peſſime conſuluiſſe affirmant: nempe, quantum in ſe offenſionis contineat, magno cum orbis detrimento patere, Interim tamen, negare non poſ-

ſunt, immo, aperte confitentur, eodem uſos paſſim omnes uetuſtos ſcriptores ecclesiæ, Necq; hoc negant, ſed nodiſcũ una confitentur, hoc ipſum euidenter affirmantibus diuinis ſcripturis, dominum, quæ in nos contulit, aut in nobis operatur bona opera, & noſtra appellare, & non tantum ea accepta eſſe ſibi, ſed, & ampliſſima remuneratione dignari: ſic tamen, ut agnoſcamus gratiæ dei eſſe, quicquid, quod laudem meretur, in operibus noſtris eſt. Quod cum & nos dicamus, & nihil præterea, quodad hanc rem attinet, immerito nobiſcum pugnant, & rixam querunt, ubi cauſa rixæ non eſt.

Opera præcedentia iuſtificatiõis gratiam, uim meritoriã non habere.

Diſtinguitur quidem in ſcholis haud improbabiliter, nec diſſonanter ab orthodoxorum patrum ſententia, inter opera quæ præcedunt, & quæ ſubſequuntur in nobis iuſtificationis gratiam: Quorum illa, non ſint alicuius, ſaltem de condigno, a deo meritoria, & proinde, illam ipſam iuſtificationis gratiam, cadere non poſſe ſub merito, Hæc uero, quæ ſequuntur iuſtificationem, uticq; ſic eſſe meritoria, Nõ tamen ex ipſis, aut ex nobis, ſed ex diuina gratia ex qua pcedunt, eſtimata hac ipſa dignitate noſtrorum operum: ex Chriſti, quo aſperguntur ſanguine: ex eiuſdem, noſtri capitis, Dei hominis meritis, quæ nobis, ut membris eiuſdem cõmunicãtur, quibus noſtra inuoluuntur, atcq; induuntur opera: influente ab illo in nos capite, uitali illo ſpiritu, & uiuifica: unde iam efficatiã, energiam, & dignitatem ſuam, non ex nobis, ea ipſa noſtra ſortiuntur opera: ut a Chriſto ſit, non a nobis, quamuis per iuſtificationis gratiam, communicata nobis, ea dignitas noſtrorum operum: quibus promereamur, & hic magis roborari, ac proficere, in noſtrę huius procurſu militię: & pro eodem illo noſtro profectu, coronam, & præmia cœleſtis gloriæ.

Sequentia habere.

Vnde pendeat ualor noſtrorum operum.

A Chriſto, & quomodo?

Manete

Manete, inqt ille, in me, & ego in uobis, Sicut palmes non poteſt ferre fructum a ſemetipſo, niſi manſerit in uite, ſic nec uos, niſi in me manſeritis, Ego ſum uitis, uos palmites, Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum: quia ſine me, nihil poteſtis facere, Quod palmes fert fructum, ex uitali, germinatiuaq; uirtute habet, quæ in uite eſt, cui inſertus, incorporatuſq; eſt, Siquidem præciſus ab eo, continuo areſcit, ac moritur: Attamen, palmes uiti incorporatus, fructum fert, etiam ex uirtute, quæ iam in ipſo eſt: quamuis ea, a uirtute uitis dependeat, & ab ea influat, communiceturq; palmiti, Chriſtus uitis eſt, & nos palmites: Quamdiu illi incorporati manemus, influit ab eodem uitalis ille ſpiritus, per quem iam operamur & nos, fructumq; multum ſanctorum, & meritoriorum operum proferimus: Qui, tametſi ſine illo nihil poſſumus: tamen cum illo, & in illo, & per illum, poſſumus & nos plurimum. Neq; enim uitis tantum, ſed & palmes uiti incorporatus, fructum profert: non ex ſe ipſo, ſed ex uirtute, quam a uite accipit, Ita tamen, ut & omnem operum noſtrorum illam meritoriam dignitatem, etiam poſt omnem iuſtificationis gratiam, æque & ipſum præmium, quod pro illis nobis redditur, nihilominus gratiam in Chriſto Ieſu, confiteamur cum Apoſtolo. *Nota diligẽter*

In qua noſtra ſententia, cum nihil ſit, quod deroget gloriæ diuinæ miſericordiæ & gratiæ: immo, quod non totum tribuat diuinæ miſericordiæ: & gratiæ nihil, quod non Chriſti, & Apoſtolicæ ſententiæ per omnia conſonet, quærunt tamen, quod calumnientur aduerſarij, Quod non putamus opera noſtra omnia, ex ſe damnabilia, tametſi confiteamur, non ex ſe, ſed ex diuina gratia habere ea ualorem ſuum, quod alicuius precij, *Aduerſariorũ ſententia, omnia opera noſtra eſſe inquinata, ac ſordida, & damna-*

d ij coram

bilia potius, ꝗ meritoria.

coram Deo ſint, Cum ipſi contra affirment, nihil in ſe ualere, cuius precium augeri, aut euehi poſſit a diuina gratia: nullum opus noſtrum eſſe poſſe, quod in ſe ſorditatum, atq; inquinatum non ſit: quod non indulgentia, & uenia indigeat: non ſolum remunerationem ullam non depoſcat.

Vt non ſolum Chriſto, ſed etiam ſibi ipſis contrarientur in dicta ſententia.

Qua in re, non ſolum euidenter cōtradicunt Chriſto, qui clare affirmat inſertos ſibi palmes, bonos fructus, eoſq; plurimos proferre, non uero (ut hij uolunt) omnes malos, & damnabiles: ſed etiam (quæ mira uis eſt, & energia noui huius euangelij) ſecū pugnant e diametro, Quando ijdem ipſi affirmant (quod ſuperiori cōtrouerſia intellexiſti) uniuerſum hominē, natura ſua, quam a natiuitate corruptam & prauam traxit, carnem eſſe: nihil ſpiritus habere, niſi quod per regenerationem accepimus. Eam aūt eſſe carnis naturam, ut non poſſit legi dei ſubijci: immo, nihil poſſit, ꝙ repugnare Deo, atq; eius gratiæ: etiam in ſanctis, & ſub ipſa gratia. Nullas proinde partes, libero noſtrę uoluntatis arbitrio, quod nobis innatum eſt, relinquunt in bonis operibus: ſed ea uniuerſa, totaliter, & efficaciter fieri affirmant, a Dei in nobis ſpiritu, & gratia: etiam repugnante naturali noſtra, ut praua, & carnea, uoluntate. Hæc enim myſteria includit illorum de peccato originis, ſupra a nobis explicata, & excuſſa ſententia. Quod ſi eſt, unde ergo habent ſanctorum bona opera, quod etiam peccata ſunt? Ex nobis hoc ipſum habere non poſſunt, ſi ex nobis non ſunt: ſi nec cooperatur quidem ad illa liberum noſtræ uoluntatis arbitrium: immo, ut dicunt, illis reſiſtit, ac repugnat potius: Multo minus a ſpiritu ſancto, & diuina gratia (quam totalem eorundem cauſam imaginantur) hoc ipſum etiam habere poſſunt. Vnde igitur? Vides lector Chriſtiane, ꝙ ſit cœca impietas.

Non

Non eſt ergo, quod illi falſo affirmant, faſtuoſum meri- ti, uocabulum, ut noſtris accommodatur operibus: immo contra, plenum chriſtianæ modeſtiæ, intellectum, quomo- do a nobis explicatum eſt: nec obſcurat, ſed magis illuſtrat diuinam erga nos benignitatẽ, & gratiam: nec uana ſuper- bia, ſed humili, ſanctaq; erga diuinam bonitatem fiducia, et ſecuritate imbuit homines, Nihil in ſe offendiculi continet, immo ędificationis, ac pietatis plenum eſt: quod, cũ tot ſæ- culis ante hos abſq; offendiculo fuerit in eccleſia, conſtat per hos ipſos inuectum, quicquid eius inde exortum eſt. *Nihil offendiculi in ſe continere, meriti, uocabulum.*

Nihil in ſe offendiculi habebat (homouſion) uocabulum, immo ueritatem eſſentialis unitatis diuinarum perſonarũ apte exprimebat: ſed plurimum offendiculi per hoc ipſum in orbem introduxerunt Arriani hæretici.

Et his quidem catholicæ, & noſtræ doctrinæ ueritas, de fide, operibus, & iuſtificatione hominis; aduerſariorum ue- ro doctrinæ euidens falſitas, & pugnantia, mihi ſatis demõ ſtratę uidentur. *Peroratio.*

Reſtat adhuc argumentis, & rationibus reſpõdere, qui- bus illam ſuam fidem, & doctrinam aſſerunt. Qua in re, nõ parua difficultate, ac perplexitate diſtineri me ſentio: non equidem ex ipſo argumentorum, & rationum pondere, at- q; efficatia: ſed quia nihil ab eis dialecticæ, ut decebat, hac in re explicatum eſt: ſed quodam uerborum rotatu, atq; im petu, uelut in gyrum multa raptante, & circumferẽte, effu ſæ, prolixæ, abſq; ordine, abſq; ſcopo errantis orationis ui, confuſa omnia: adeo, ut nullam in uniuerſa illa tam proli- xa apologia demonſtrationem, aut rationem ſuis membris conſtantem, apte propoſitam, explicatam, & proſequu- tam, ſed abſq; ulla plane coherẽtia, abrupta, diuulſa, diſtra- cta, bis decies repetita eadẽ uidere ſit. Quod clariſſime in- telligeres, ſi apologiam illam uniuerſam a capite ad calcẽ, *De rationibus & argumentis aduerſariorum, quibus ſuam illam fidẽ aſtruũt.*

hic excutere liberet, Vix enim ullū in ea uerbum eſt, quod non noui aliquid monſtri includat, & ſingulari reprehenſione dignum nō ſit, Sed quoniam ut hoc foret infinitum, nec operæ precium, ita, intactas eorū rationes a nobis prætéritas, ipſi in erroris ſui confirmationem raperent: coactus ſum in tantæ confuſionis caligine, ordinis aliquid, & lucis quærere, aut inferre potius, Quod faciens, duo in uniuerſū argumentorū genera perſpicere mihi uideor, quibus utuntur in hac controuerſia; alterum, quod ducitur ex imaginatione, qualem de fide concipiunt; alterum, ex ſcripturarum pleriſq; authoritatibus, quę uidentur fidei tribuere iuſtificationis gratiam, quam negant operibus.

Omnia illorū argumenta reduci in ſcopos duos.

Primum eſt eiuſmodi, Imaginantur fidem, promiſſionē illam ſalutis in Chriſto proprie, & correlatiue reſpicere, Iuſtificationem autem, nobis dari aut offerri per promiſſionē gratuitam, Eandem, ſola acceptatione, aut firmiter aſſentiendo illi promiſſioni, (quod per fidem illam ſuam ſpecialē fieri intelligunt) noſtrā fieri. Sola proinde fide ſua illa nos iuſtificari hinc confectum uolunt. Hæc ſumma eſt rationū omnium, quas deducunt ex notione ſuæ fidei; immo, hæc unica ratio, quamuis trāsformata ab illis, in multas formas, ac ſpecies, quo copiæ ſuæ diuitias oſtentent.

Summa, et uis omnium primi generis. Quæ ex notiōe, qualem imaginantur, fidei iiſdē deducuntur.

In qua, multis modis hallucinantur, & euidenter falſa multa, tanquam primo uera accipiunt, Primum, euidenter falſum eſt, fidem, unam aliquam promiſſionem diuinam, proprie & adequate reſpicere: ut quæ diuinā ipſam ueritatē in uniuerſum adequate reſpicit. Secundo, & hoc falſum, quod affirmant, & ſumunt tanquam confeſſum & notorium, per promiſſionem gratuitam nobis dari, & contingere iuſtificationis gratiam, Tertio, & hoc æque euidenter falſum eſt, quod promiſſiones diuinas abſolutas, & non condicionales intelligunt; ut ex parte noſtra, nullo alio, quā ut

Multa euidenter falſa ab iiſdem uelut primo uera accipi.

acceptemus eaſdem,opus ſit,quo noſtras eas faciamus. Nã ſi (ut ſunt, & a nobis ſupra luculentiſſime demoſtratũ eſt) conditionales ſunt,alio ſane,quam ut acceptemus eaſdem, opus eſſe,quo,fructum aut effectum earundem noſtrum faciamus,nempe,ut impleamus conditionem in promiſſionibus appoſitam,omnes intelligunt.

Fidem noſtram,diuinæ ueritati ſimpliciter,& adequate inniti,illi firmiſſime inherere,illi uelut correlatiue reſpondere,& non magis promiſſionibus quã cominationibus,prędictionibus futurorum,quam pręteritorum, pręſentiumq; atteſtationibus,eorum uidelicet,quæ a noſtris ſenſibus, & lumine rationis naturalis ſemota ſunt,ſed omnibus ſimpliciter,quæcumq; a Deo ęccleſiæ ſuæ ſalutis noſtrę gratia reuelata ſũt,certiſſimo credere,plane certũ atq; idubitatũ eſt.

Fidem, diuinã ueritatem uniuerſim adequate reſpicere, et non proprie unam eius promiſsionem aliquam.

Eque & illud,nihilo plus mereri nos nihilo,gratiꝰ deo facere,credendo unũ illorũ q̃ alterum:promiſſionibus,q̃ cominationibus;futuris,q̃ pręteritis: ſed unum hoc eſt,quod Deo in fide noſtra gratũ eſt,quod ipſi rationẽ noſtrã ſponte ſubijcit: illi honorẽ primę,atq; iſallibilis ueritatis tribuit; illi ſimpliciter credit,quamuis cõtra ſuã ipſius rationẽ, aut etiam ſenſuum apparentiam.Gratũ Deo extitit, quod uiri Niniuite,prophetæ eius,ciuitatis ſuę euerſionem prędicẽti crediderunt,atq; ex ea fide,ſunt conuerſi ad pœnitentiam: ſpem ſuam adhuc collocantes in infinita Dei miſericordia. Tam eſt gratum Deo,ut ipſi credamus mundum factũ ex tempore,quã ut credamus futuram reſurrectionem, & iudicium.Nobis ad iuſtitiã reputatur, credentibus in eũ qui ſuſcitauit Ieſum Chriſtum D. N. ex mortuis, quod eſt exhibitum,Cuius adhuc futuri fides,æque ad iuſtitiam reputata eſt præcedentibus ipſum patribus: aut etiã eo magis, quo obſcurius,illis,adhuc futuri,quam nobis, iam palã ſub totius orbis conteſtatione exhibi fides innotuit.

Nihilo gratius deo, unum credere, q̃ aliud. Et in fide noſtra quid Deo acceptum ſit?

Noe

Qualis fides ſit Noe imputata ad iuſtitiã.

Noe ad iuſtitiam reputatum Paulus affirmat, quod deo prænuncianti futurum diluuium credidit: ex qua fide eidẽ obtemperans, centum annis priusq̃ fieret, arcam ſibi in ſalutem domus ſuæ cœpit conſtruere. Hęc, inquam, fides, affirmante Apoſtolo, illi ad iuſtitiam imputata eſt: & per eã, iuſtitiæ quæ per fidẽ eſt, hæres inſtitutus: Fide, inquit Noe reſponſo accepto, de ijs quæ adhuc non uidebantur metuens, aptauit arcam in ſalutem domus ſuæ, per quam dãnauit mundum: & iuſtitię quæ per fidem eſt, hęres inſtitutus eſt. Hic uideant, & diligenter perpendant aduerſarij, quid hæc fides, cum illa ſua ſpeciali conueniat. Affirmat Apoſtolus eam fidem fuiſſe, non equidem promiſſę remiſſionis peccatorum, iuſtificationis, & ſalutis in Chriſto, ſed prędicti a Deo diluuij, cum ſtudio fideli obſequendi mandato diuino (quod illi diſerte adiungit) de conſtruenda arca in ſalutem domus ſuæ, annis centũ antequam fore prædicebatur diluuium: quo ipſo, mundum ſuæ damnationis admonuit. Idẽ affirmat ſcriptura geneſeos: nec ullius promiſſionis, ſeu remiſſionis peccatorũ, ſeu iuſtificationis, ſeu æternæ ſalutis, cui ea fides ad iuſtitiam imputata proprię, & ſpecialiter reſpondeat, ſed tantum pręſeruationis eius ab aquis diluuij, & in ipſo, reparationis humani generis, meminit.

Hæc diligẽter ponderent aduerſarij.

Abraæ quæ fides, et quã diuerſa ab illa aduerſariorũ ſpeciali, ſit imputata ad iuſtitiam.

Iam, et Abraæ, audi quæ fides ſit imputata ad iuſtitiam. Nam cum ſenex adhuc, eſſet illiberis; & de hoc quæreretur apud Deum, quod uernaculus eius, heres ſuus futurus eſſet, ita illi reſponſum eſt diuino oraculo, Nõ erit, inquit, hic hæres tuus: ſed qui egredietur de utero tuo, ipſum habebis hæredem. Eduxitq; eum foras, & ait illi. Suſpice cœlũ, & numera ſtellas, ſi potes. Et dixit ei. Sic erit ſemen tuum, & ſubdit ſcriptura, Credidit Abraam Deo; & reputatum eſt illi ad iuſtitiam. Hic iam uide, cui nam promiſſioni diuinę, hæc

hæc fides imputata Abraæ ad iuſtitiã, proprie reſpondeat. Promiſſionem quidem audis, ſed non promiſſionem iuſtificationis in Chriſto, nec æternæ ſalutis in eodem, quam ea fides, eidem aſſentiendo acceptauerit, & acceptando ſuam fecerit: ſed tantum, promiſſionem filij, & numeroſæ poſteritatis in illo. Falſum eſt ergo, quod ſola fides promiſſæ iuſtificationis, & ſalutis in Chriſto nos iuſtificet: aut nobis imputetur ad iuſtitiam, Immo, fidem promiſſionis, etiam rei diuerſiſſimæ a iuſtificatione & ſalute, imputatam fuiſſe a deo ad iuſtitiam, nunc audiſti affirmari a Moiſe, & Apoſtolo: immo, diuino per illos ſpiritu.

Idem, & in Sara demonſtrat idem Apoſtolus, Nam et eam quoq́; iuſtitiæ quæ per fidem eſt, hęredem fuiſſe oſtēſurus, non fidem eius ullam profert promiſſæ iuſtificationis & ſalutis in Chriſto, ſed fidem, qua credidit Deo, ſibi ſterili promittēti filium: Fide, inquit, & Sara ſterilis uirtutem in conceptione ſeminis accepit, etiam præter tempus ætatis: quoniam fidelem credidit eſſe eũ, qui repromiſerat. Idem quoq́; deprehendes in omnibus, quos deinceps, eodem loco, idem enumerat Apoſtolus, Quorum fidem prędicans, nuſquam proprie fidem promiſſæ ſalutis, & iuſtificationis in Chriſto profert: ſed indiſtincte, fidem, qua deo ſimpliciter crediderunt, De quibus tamen omnibus concludens, dicit eoſdem, per fidem uiciſſe regna, operatos iuſtitiam, & adeptos repromiſſionem. *Quę ſara quoq́;.*

Quanq́; nõ nudam ille fidem intelligat, frigidam, torpentem, atq́; adeo mortuam: ſed quæ charitatis igne fota, atq́; accenſa fructificat, & operatur iuſtitiam (quemadmodum ipſe diligenter explicat) & obedientiæ mandatorum Dei ſollicitum & fidele ſtudium ſecum coniunctum habet. *Viuam fidẽ intellig. quã ſcriptura dicit, imputatã ad iuſtitiam.*

Cuius, in confirmanda ſuper nos amicitia, & miſeri- *Sollicitiſtudij*

uoluntati Dei obſequēdi, maiorem ab eodē, q̄ fidei, rationē haberi.

cordia ſua, & cumulandis beneficijs, ac benedictionibus,
q̃ fidei, maiorem reſpectum haberi a deo, etiam in illo ipſo
patre noſtrum omnium credētium, Abraam, diuinus ſpi-
ritus per Moiſen clariſſime nobis ſignificauit. Nam cum
illum tētaret deus in filio ſuo unigenito, atq; eundem præ-
ciperet, immolari in loco quem illi demonſtrauerat, nihil
cunctatus, aut deliberans, ſed mandato domini, quamuis
repugnante natura, fideliter obediens, eadem nocte, eodē
perrexit cum filio: & quo eſſet tentatio grauior, & difficili-
or, tridui itinere tandem peruenit, cum ſuo illo chariſſimo
pignore: ad quem immolandum, uincente in ſe dei illo fi-
liali timore paternum affectū, cum fideliter accingeretur,
ab eodem, demiſſa cœlitus uoce audiuit, Nunc cognoui,
quod timeas dominum, & non peperciſti unigenito filio
tuo ꝓpter me, Et rurſus, Per memetipſum iuraui dicit do-
minus, quia feciſti hāc rem, & non peperciſti filio tuo uni-
genito, benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum, ſicut
ſtellas cœli, & uelut arenam, quæ eſt in littore maris, Poſ-
ſidebit ſemen tuum portas inimicorum ſuorum, & bene-
dicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ, quia obediſti
uoci meæ. Audis hic benedictionem promiſſam Abrææ,
benedictionem inq̃ ſalutis, & hæreditatis æternæ: audis et
in ſemine eius, eandem benedictionem promiſſam omnibꝰ
gentibus, Quare, aut cuius reſpectū: fidei ne, aut quia ſim-
pliciter credidit deo: Non hoc dicit ſcriptura, Sed quia fe-
ciſti, inquit, hanc rem: quia obediſti uoci meæ. Vides ut
ad fidele obedientiæ ſtudium (ſine quo nulla fides Deo
nos coniungit, & gratos facit) magis q̃ ad fidē ipſam, unde
idem illud ſtudium proceſſit, in benedictionis iſtius dela-
tione maiorem deus reſpectum habuerit, Et quiſquam au-
det dicere, nec amoris, nec timoris diuini, nec ſolliciti ſtu-
dij obſequendi mandatis eius, breuiter, nullorum operum
noſtrorum

noſtrorũ,in ſalutis, & iuſtificationis noſtræ negotio, a deo reſpectum ullum haberi?

Iam & hoc euidenter falſum eſt, quod ubiq; uelut per ſe notum, & certiſſimi principij loco aſſumunt, Per promiſſionem gratuitam nos iuſtificari, aut nobis dari iuſtificationis,& ſalutis gratiam,Cum ea, ad noſtri iuſtificationem, nullius omnino generis cauſarum omnium rationẽ habeat, Sed ſi efficientem eius cauſam requiras, ea Deus eſt: Si mouentem,atq; impulſiuam,eius bonitas,& miſericordia, Si finalem,noſtra ſalus,& fœlicitas: quæ tamen ad eius bonitatem, ut ad finem ultimum recurrit, Si cauſam mediatricem, ea Chriſtus eſt, Si diſponentem ſubiectum & materiam,ea in primis fides eſt,& ex fide,a uia peccatorum, ac perditionis auerſio, & ad benigniſſimum Deum conuerſio, In quibus omnibus, nullum prorſus locũ, promiſſio ſibi uendicat. Quam tamen & ipſam, ſicubi ille nobis fecit, peccatorum noſtrorum pœnitentibus, & ad ſe humiliter,& fideliter reuertentibus,hoc ipſum, ad erigendam ſpem noſtram fecit: & ne præcipitaremur in deſperationis barathrum.

Demonſtratur falſum, p promiſsionem gratuitam nos iuſtificari.

Non tamen ſanat, non ſaluat, non iuſtificat promiſſio, ſed promiſſor ipſe, pius, & miſericors dominus: non ob promiſſionem, ſed ob infinitam ſuam bonitatem, & gratiam: ex qua, etiam illa ipſa nos ad ſe reuocans proceſſit promiſſio. Quare modis omnibus falſum eſt, iuſtificationem, per promiſſionem gratuitam contingere hominibus.

Promißiõibus Deum reuocare peccatores ad ſe.

Nec ſemper in ſcripturis inuenies, ut iuſtificationem, eiuſdem præceſſerit gratuita promiſſio, Quam enim iuſtificationis promiſſionem, primis noſtris parentibus, poſtquam ſe, noſq; ſuo peccato regni illius cœleſtis hæreditate priuauerant,& in mortis damnationem proiecerant, factã

Non inueniri in ſcripturis, ut iuſtificationem ſemp præceſſerit gratui

ta eius pmiſſio.

quiſquam proferet, per quam rurſus aſſequuti ſint iuſti⸗ficationis gratiam? Prius ꝙ peccarent, ſi præuaricarentur mandatum quod acceperant, comminatam ipſis mortem legimus: at promiſſionem remiſſionis peccatorum, & gra⸗tiæ iuſtificationis ijſdem factam, nullam legimus, Nihilo⸗minus tamen certum eſt, acceptam Deo fuiſſe eorum pœ⸗nitentiam, & ab eodem conſequutos iuſtificationis grati⸗am. De Enoch ita legitur; quod ambulauerit coram Deo, hoc eſt, ſecundum uoluntatem Dei: & proinde pla⸗cuerit Deo, atq; ab eodem translatus ſit, Et Noe quoq; prædicatur fuiſſe uir iuſtus, & perfectus in generationibus ſuis, & quod ambulauerit coram Deo, hoc eſt, fecerit pla⸗cita Deo: & propterea illum conſeruarit reparationi hu⸗mani generis ab aquis diluuij. Sed in his omnibus, nul⸗lius præuiæ promiſſionis, per quam iuſtificati ſunt, facta mentio legitur, Sed nec cauſa iuſtificationis eorundem, quatenus a nobis pendet, tacetur: quinimo, clariſſime ex⸗primitur: hæc uidelicet, quia ambulauerunt coram Deo, & uelut in oculis cuncta cernentis Dei egerunt omnia, quæcumq; illi placere intellexerant.

Promiſſiones iuſtitiæ, & ſalutis, condicionales uniuerſe

Leguntur deinceps in ſcripturis, promiſſiones factæ peccatoribus, ne deſponderemus animum: non tamen abſolute & ſimpliciter, ſed peccatorum ſuorum pœniten⸗tibus: ſalutem ſuam anhelantibus: & iuſtificationes Dei exquirentibus, Si impius egerit, inquit, pœnitentiam, ab omnibus peccatis ſuis quæ operatus eſt, & cuſtodie⸗rit omnia præcepta mea, & fecerit iudicium & iuſti⸗tiam, omnium iniquitatum eius, quas operatus eſt, non recordabor, In iuſtitia ſua, quam operatus eſt, ui⸗uet: Vides quibus, & ſub qua conditione, cuius ergo, & reſpectu, iuſtificationis gratiam, & ſalutem promittat Deus.

Fallun⸗

Falluutur proinde aduerſarij etiam in hoc, & fallunt alios, quod diuinas promiſſiones, præſertim autem illam remiſſionis peccatorum, iuſtificationis, & ſalutis in Chriſto, abſolutam, non conditionalem exiſtimant: ita, ut ex parte noſtra nullo alio, quam ut fide acceptemus eandem, & firmiter illi aſſentiamur, opus ſit, quo noſtram eam faciamus, atque eius fructum, effectumque aſſequamur. Id quod etiam ex ſuperioribus, conſtat eſſe falſiſſimum, Non omnis qui credit ſe ſaluum fore propter Chriſtum, hic ſaluus erit, ſed qui facit, inquit idem ille ipſe, uoluntatē patris mei, qui in cœlis eſt, ipſe intrabit in regnum cœlorum, Ea eſt autem uoluntas patris, quæ in præceptis eius, & Chriſti doctrina expreſſa eſt, In cuius obſeruantia ut perſeueremus, à nobis exigit, Si uos, inquit, manſeritis in ſermone meo, uere diſcipuli mei eritis, Vides quæ ſit in ſalutis promiſſione ubique adiuncta conditio.

Falli proinde aduerſarios, quod promiſſionem iuſtitiæ & ſalutis in Chriſto, abſolutam intelligunt.

Et per hæc, mihi ſatis explicata uidetur, uis rationum, quas prolixis uerborū ambagibus inuoluunt omniū, Quę uniuerſe, ducuntur ex notione illa ſuę fidei, & correſpondētia ad promiſſionem qua gratis nobis offerri in Chriſto iuſtificationem, & ſalutem intelligunt.

Scripturarum locos multos inducunt, quibus conantur aſtruere, fidei acceptam referri oportere iuſtificationis gratiam. Sed fruſtra in illis congerendis inſinuunt operam. Quando uno uerbo reſponderi poteſt ad uniuerſa quæcunque poſſunt ex ſcripturis congerere, nullam omnino ſcripturam loqui de fide illa eorum ſpeciali, qualem ipſi effinxerunt: ut quæ, ſcripturis, prophetis, Chriſto, Apoſtolis, & uniuerſæ ante Lutherum eccleſiæ, plane fuit incognita: niſi demonſtrauerint contrarium, Id quod hactenus, nec tētauerunt quidem, neque unquam facient: ut de qua, quid ſit, nec illi ipſi quidem eius authores, & aſſertores, ſatis intelligūt.

Vna reſponſio ad omnes ſcripturarum locos, quos pro ſe inducunt aduerſarij.

Aduerſariorū fidem illā ſpecialem, ſcripturis incognitā.

nec interſe, immo nec ſecum conueniunt, Quemadmodũ ſupra luce clarius demonſtrauimus. Interim hæc erit una illis ad omnes inductas per illos ſcripturas reſpõſio, de una aliqua acceptionum fidei, quas ſupra ad normam & ratio- nem earundem explicauimus, eas loqui: uel de fide illa ca- tholica, quæ Dei ueritatem proprie reſpicit, atq; illi firmi- ter mente, & animo aſſentitur ac innititur: idq;, uel de ea cõ ſiderata ſolitarie, ſecundum illam ſuam rationem propriã: ut a ſpe, & charitate diſtinguitur: uel de ea, non ita nuda, ſed uiua, & charitatis flamma accenſa: uel de fiducia illa im- petrandæ Dei gratiæ & miſericordiæ, illi ſpei congnatæ, quæ primo ex fide oritur, & præcedit in nobis iuſtificatio- nis gratiam: uel de ea fiducia, quæ ex amore illo ſyncero, & familiari oritur, & longo interuallo ſequitur iuſtificationis gratiam; quæ eſt, non, aſſequẽdę ueniæ, & remiſſionis pec- catorum in Chriſto, quam ſe iamdudum aſſequutã nouit ex teſtimonio ſpiritus: ſed coronæ, & gloriæ, (uniuerſa enĩ hæc deſignari ſubinde in ſcripturis fideĩ appellatione ſupra demonſtrauimus) Secundum unam inq; acceptionem ha- rum omnium, inductas omnes ſcripturas de fide loqui re- cte dicemus: De quacumq; tamen fide loquantur, de fide illa ipſorum ſpeciali non loqui: ut quæ eſt ſcripturis incog- nita: & proinde nihil ad ipſos pertinere poſſe quicquid de- mum ex ſcripturis induxerint. Quæ una reſponſio, os clau- det aduerſarijs, quouſq; notionem ſuę illius fidei in ſcriptu- ris demonſtrauerint. Quod ad Calendas grecas erit.

Quid intelli- gat Apoſtolus ſæpe affirmãs Ex fide ĩ Chri ſto, atq; eius ſanguine, non

Tamen, pro intellectu nonnullorum locorum, qui ſub- inde recurrunt in Apoſtolo, maxime autem in eius epiſto- lis ad Romanos, & Galathas, quibus iuſtificari nos fide in Chriſto, atq; eius ſanguine affirmat, non uero ex noſtris operibus, breuiter dicimus, Hoc præcipue in illis epiſtolis agere Apoſtolũ, ut Iudæis, impiam illam propriæ iuſtitię

opinionem

opinionem detraheret, & perſuaderet ſectari illam, quæ ex uno deo eſt, iuſtitiã: cui ſubiecti non ſunt, nec eã aſſequuntur, qui propriam ſtatuunt, & ſuis eam operibus ſibi arrogant, nec credunt nos gratis donari eadem in Chriſto. In quo uno, Deus, hoc ipſum credentibus, fidei ipſius, & ſpei charitatiſq; noſtra opera, gratis ad iuſtitiã imputat: ut quæ, ex ſe, digna non ſunt, ut ad iuſtitiam nobis imputari debeant: ſed in Chriſto, ut ſupra demonſtrauimus, atq; eius ſanguine, hæc in nos diuina ſe effundit benignitas, & liberalitas. Hoc eſt ergo q̃d ille ĩtelligit, quoties prędicat nos iuſtificari, non ex noſtris operibus, ſed gratis, ex fide in Chriſto & eius ſanguine gratis inq; quod ad nos ſpectat: Quo, noſtræ iuſtitiæ, meritorum atq; operum noſtrorum, quod ad hanc rem pertinet, fiduciam excludens, ipſum nobis propitiatorem proponit, & noſtræ redemptionis precium: in quo uno, hac in re, collocata eſſe debet noſtra fiducia, (quam hic per fidem intelligit) non uero in noſtris operibus.

ex operibus noſtris iuſtificari nos.

Quod tamen, hæc ipſa fides, aut fiducia, nos non iuſtificet, ſeu effectiue, ſeu formaliter, ſeu diſpoſitiue, ſeu meritorie, ſeu quocunq; demum modo quis hoc uoluerit intelligere, magis q̃ alia quæcunq; fides, qua, de re qualibet, deo credimus, eodẽ ipſo loco, euidenter demonſtratur ex Apoſtolo, Nam iuſtificati ex fide exemplum nobis Abraam proponẽs, patrem fidelium omnium, & fidem eius ipſi imputatam ad iuſtitiam demonſtrans, non de fide illa, aut fiducia iuſtificationis noſtræ in Chriſto atq; eius ſanguine, aut ipſe, aut inductus ab eo ſcripturæ locus loquitur, ut paulo ante demonſtratum eſt: ſed de ea, qua ille Deo credidit, prædicenti & promittenti ſibi iam ætatis prouectæ & eatenus ſine liberis, ſobolem, & poſteritatem innumeram: ut fieret, inquit, pater multarum gentium ſecundũ

ſecundũ quod dictum ei, ſic erit ſemen tuum ſicut ſtellę coeli &c. Ex quo etiam nobis imputari ad iuſtitiã concludit, quod credimus in Deum, quod ſuſcitauit Ieſum ex mortuis, noſtræ iuſtificationis gratia: traditum in mortem propter delicta noſtra. Intelligis proinde, ut in iuſtificationis noſtræ negotio, nihilo plus energiæ tribuat, ſidei promiſſæ iuſtificationis in Chriſto, q̃ ſidei alterius cuiuſcumq; rei, prædictæ, aut promiſſæ a Deo.

Et hactenusquidem præſens controuerſia ſatis mihi explicata uidetur: ut nõ ſolum ęqui uniuſcuiuſlibet iudicis, ſed etiam aduerſariorũ ipſorum, pene audeat ſub ire iudicium.

DE ECCLESIA
CONTROVERSIA TERTIA.

DE Eccleſia, nõ eſt leuis, nec parui momẽti aduerſariorum a nobis diſſenſio: ut de qua una, ſi recte cõueniremus, facile tolleretur, quicquid eſt reliquum inter nos diſſenſionis, & controuerſiæ. Intelligeremus enim, ad cuius, id ipſum, neceſſario referri oporteret authoritatem, & iudicium: cuius definitione terminari, quam nobis neceſſario ſequendam non ignoraremus, etiam qualecumq; noſtrum, de eo ipſo, foret iudicium. Nunc uero, q̃ diu de ea ipſa inter nos controuertitur, tam diu, eſſe inter nos quęſtionibus, cõtrouerſijs, contentionibus, atq; irreconciliabilibus pugnis plena omnia, neceſſe eſt: proinde, & in hoc caput explicandũ, paulo diligentius nobis incumbendum eſt.

Eccleſia, una, ſancta, catholica.

Primo ex confeſſione, & ſymbolo Nicænæ fidei, inter aduerſarios et nos, uoce tenus conuenit, Quod æccleſia, ſit & una, & ſancta, & catholica, Sed in re ipſa, & ſententia, inter nos non conuenit: immo, diſcordamꝰ bis per omnia, vnitatem illi ęccleſiæ, conſiſtere docent in conſenſu de doctrina euãgelij, & adminiſtratione ſacramentorum. Sanctitatem intelligunt, qua, quodq; membrũ ęccleſiæ ſanctũ eſt, & diuini, ſanctificantiſq; ipſum ſpiritus habitaculum. Proinde, ęccleſiam proprie congregationem ſanctorum, & uere credentium definiunt, In qua definitione, cum, certum ſit de ſua illos fide illa ſpeciali diuinarũ promiſſionum loqui, non catholica, ſtatim conuincitur, & ęccleſia ipſorũ eſſe ſpecialis, & non catholica: immo, cum Luthero nata: ante quem, fidem illam ipſorum ſpecialẽ, ignotam et inau-

In quo aduerſarij conſiſtere doceant.

Eccleſiæ, et unitatẽ, & ſanctitatem.

Aduerſarijs, q̃d ſit eccleſia.

Definitionis confutatio.

ditam fuiſſe æccleſiæ, pręcedenti controuerſia euidentiſſimum fecimus.

Eccleſiã, omnibus facile notam, & cõſpicuam.

Deinde, ęccleſiam illam ſuã nobis inuiſibilem faciunt, quam neſciamus, quę ſit, & ubi debeamus requirere: nempe, cœtum, congregationemq́ ſanctorum, & qui aguntur Dei ipſos ſanctificante ſpiritu, Cum re uera occulta nõ ſit, aut abdita, quæ inueniri facile, & adiri non poſſit: cum ad eam quotidie nobis recurſus habendus ſit: immo, cum omnibus, qui ab aquis myſtici illius diluuij ſaluari cupiant, intra eius ſepta, & familię unitatem ſe contineant neceſſe eſt: proinde nec in angulis, aut penetralibus domorum, nec in deſerto monſtrantibus Chriſtum, credere, idẽ ipſe nos docuit: qui æccleſiam ſuam inſigni alicui ciuitati ſupra montẽ poſitæ, omnibus facile conſpicuæ, & quæ abſcondi nulli poſſit comparauit, Nec ſanctorum tantum eſſe ſocietatem.

Eccleſiam, nõ eſſe tantum ſocietatem ſanctorum.

Chriſti hic in terris adhuc militantem ęccleſiam, ſed malos una, & bonos intra ſe complecti, tam indubitatum, tam ex diuinarũ ſcripturarũ authoritate certũ eſt, ut mirũ ſit, eſſe, qui hoc in queſtionem reuocẽt. Cum idẽ ipſe eius author, nunc in ſagenæ miſſæ in mare, & ex omni genere piſcium, bonos, & malos cõgregantis, quorum diſcretionẽ affirmat fore in iudicio: nunc in nuptiarum parabola, in quam boni & mali congregati ſint: nunc in decem uirginibus, quarum quinq́ erant fatuę, eandem nobis expreſſerit, Nec minus illud ipſum demonſtrauit, cum peccantem in nos fratrem, iuſſit denuntiari ęccleſiæ, Cui ſi inobediens, ac contumax foret, tum demum, ęccleſiæ iudicio, extra ęccleſiã fieri: ut locos plurimos ex Apoſtolicis epiſtolis omittamus, quibus idem euidenter comprobatur.

Ignotas etiam aduerſarijs eſſe notas, quas

Et quanq́ ſuæ illius ęccleſiæ, quib' agnoſci poſſit, has uelut notas externas deſcribant, purã doctrinã euangelij, & adminiſtrationem ſacramentorũ, conſentaneam Chriſti

euange-

euangelio, Hoc certum eſt, has notas, ſuam illam æccleſiã, nihilo nobis certiorem reddere. Non dubitamus nos, apud nos, puram eſſe doctrinam euangelij, ꝙ tumuis alioqui uita noſtra impura ſit, & adminiſtrationem ſacramentorum conſentaneam Chriſti euangelio: eam nempe, & eiuſmodi, qualem ante annos mille, immo ab initio, apud patres noſtros orthodoxos fuiſſe inuenimus: nec ullũ in eis iotha additum, detractum, aut mutatũ inuenimus. Illis contra uidetur: apud ſe ueram eſſe doctrinam euangelij. & ſecundum eam, adminiſtrationem ſacramentorum ſibi perſuadent: errare autem omnes, qui ab ipſis diſſident, Et cũ inter ſe non conſentiant: ſed aliter, pleraꝗ Martinus, aliter Philippus, aliter Butzerus, aliter Oecolampadius, aliter Zvuinglius, aliter Pomeranus, aliter Pellicanus, cæteriꝗ definiant, cuiꝗ tamen eorum, ſuum pulchrum uidetur, Quiſꝗ ſibi perſuadet, apud ſe eſſe uerã doctrinã euangelij.

deſcribũt, ſuæ æccleſiæ.

Iam nec in eo conſentimus cum aduerſarijs, in quo cõſiſtat unitas æccleſiæ: quã illi, in uno conſenſu de doctrina euangelij, & adminiſtratione ſacramentorum, dicunt conſiſtere, Nam cum tam ſit neceſſaria æccleſiæ unitas, ut ab ea diuidi, extra eã eſſe, certo damnari ſit: niſi nota, conſpicuaꝗ omnibus ſint, & æccleſia, & id in quo conſiſtat eius unitas, notũ eſt, in quibus omnes uerſemur damnationis periculis: ne forte extra æccleſiam re uera exiſtentes, intra eandem eſſe, & conſiſtere nos arbitremur: aut ab eius unitate re uera diuiſi, eandẽ tamẽ tenere nobis perſuadeamus.

Vnitatem æccleſiæ, in quo conſiſtere doceant aduerſarij

Non eſſe notas eas ſufficientes, quas ipſi explicarunt, ueræ, & catholicæ æccleſiæ, puram uidelicet doctrinã euãgelij, & adminiſtrationem ſacramentorum, illi conſonã iã demonſtrauimus. Quod ſi ignota adhuc nobis manet æccleſia, nõ poteſt eſſe notũ, in quo conſiſtat eius unitas, Cũ ea, propriã cuiuſꝗ formã conſequaẽ, & ab eadẽ depẽdeat.

Niſi re nota, noſci nõ poſſe in quo conſiſtat eius unitas.

Cōfutatio ſententiæ aduerſariorū, de unitate Eccleſiæ.

Quod autem dicunt unitatē ęccleſiæ, in uno conſenſu de doctrina euangelij, & adminiſtratione ſacramentorum conſiſtere, plane nugatorium eſt.

Nam ſi de qualicumq; conſenſu hoc intelligant, cōſtituunt ueram ęccleſiam, etiam apud hæreticos, & ſciſmaticos: modo inter ſe, q̄uis erronee, cōſentiant, Si uero ſolum de conſenſu ueræ doctrinæ euangelicæ loquantur, & adminiſtrationis ſacramentorum illi conſentaneæ, iam opus erit iudice aliquo, diſcernente, ac definiente, apud quos ſit uera doctrina Euangelij. Cum etiam hæreticorum ſingulæ ſectæ, ac familiæ, apud ſe ſolas, eſſe ueram doctrinam Euangelij contendant: aberrare uero omnes alios.

Argumentis autem aduerſariorum, quibus prædictā ſuam de ęccleſia ſentētiam aſtruunt, mox reſpondebimus, poſtq; explicauerimus, quam nos intelligamus ęccleſiam, Id quod iam nunc exequendum eſt.

Quæ, qualiſq; ſit catholicis, æccleſia catholica.

In primis intelligimus eccleſiam, cœtum Chriſti fidelium: non quidem ſanctorum tantum congregationem in ſpiritu occultam, quam neſciamus quæ ſit, aut ubi debeamus requirere: ſed Chriſti fideliū omniū: boni illi ſint, aut mali, qui Chriſto nomen dederunt, atq; militiæ eius ſacramento initiati ſunt. Non tamen informem, confuſaneam, aut babylonicam: ſed tali ſpecie, ac forma, qualem a ſuo authore, congruentem ſuo fini, ſortita eſt.

Eccleſiæ Author.

Authorē ęccleſiæ habemus, omnipotentem, & ſapiētiſſimū: deū uidelicet: finis eccleſiæ, noſtrū omniū ſalus eſt; quæ, ut nulli extra ęccleſiā cōtingit, ita in eadem, unitate, ac ſynceritate uiuæ fidei, & mandatis dei obſequendi fideli ſtudio, eandem aſſequimur: quemadmodum ſuperiori cōtrouerſia explicatum eſt. Porrọ, multitudinis, nec eſt imaginari formam ullam, qua in unitatē aliquā unius corporis redigatur, prẹter ordinē: quo uno, & cōciliatᷣ, & cōtinetᷣ

Finis.

Forma, Ordo.

inter

inter multos, unitas, pax, & concordia. Quo confuſo, nihil manet uſq; conſonum; ſed confuſa omnia, nec quiſq; præſtat quod eſt ſui offitij.

Solo ordine cõciliari contineriq; inter multos, unitatem, & concordiã.

Quare ſiue authorem æſtimemus eccleſiæ, omnipotentem, nempe Dei ſapientiam: ſiue ſtudium eiuſdem erga eccleſiam, quæ illi fuit cauſa operum ſuorum omniũ: ſiue finẽ illum ſupernaturalem, ultimum, atq; omnium præſtantiſſimum: nihil dubitandũ cuiq; merito uidebitur, quin perfecto aliquo, abſoluto, conſummatoq; ordine, a ſuo illo architecto, ſub unius alicuius paſtoris, rectoriſq; authoritate, & imperio, cura, & regimine, uarijs offitiorum gradibus, magiſtratibusq; cõſtituta ordinataq; fuerit: etiamſi uerbũ nullũ de hoc inueniretur in Euãgelicis apoſtoliciſq; literis.

Etiã ſine ſcripturis cuiq; euidenter poſſe cognoſci, quo ordine à ſuo authore conſtituta ſit eccleſia.

Præſertim cum ubiq; eandem, uel ſub regni, uel ſub nobiliſſimæ cuiuſdam, ac diligenter conſtitutæ ciuitatis, aut etiã ſub domus ſpetie, idẽ ille eius architectus nobis producat, commendet, atq; ingerat, Et Paulus, uelut animantis immenſi corpus aliquod, ex multis membris in ſolidam aliquam unitatem compoſitam: quorum ad inuicem ſit cõſpiratio, & in communem totius corporis, & mutuam utilitatem, ac ſalutem mutua communicatio, in hijs quæ ad fidẽ, religionemq; Chriſti, & finem ſalutis æternæ, & cœleſtis patriæ aſſequendæ pertinent: quo uniuerſa Chriſtiani hominis opera pertinent.

Qua ſpetie in ſcripturis ubiq; nobis producatur eccleſia.

Velut animantis immẽſi corpus aliquod.

In quibus mẽbra eccleſiaſtici corporis neceſſario communicent.

Qualis unitas proſus eſſe non poſſet, niſi omnia moderarentur, unius uelut capitis habenis, & imperio: quod, ſingula membra, in hac uelut communione continere, ſingulis ſua offitia præſcribere, eorundẽ ab eisdem rationẽ exigere, exceſſus corrigere, turbas ſedare, exortas in eccleſiaſtica domo quæſtiones, & controuerſias ſua definitione componere, & pacem tranquillitatemq; in eadem ſeruare, ſua illa authoritate efficaciter poſſit. Vt non ſit, inquit ille, ſciſma in

Eccleſiæ unitatem requirere ut præſit unius authoritas.

corpore,ſed ante omnia,conſenſus religionis,& fidei.

A ſimili, cui eccleſiã Apoſtolus aptiſſime comparat.

Quemadmodum enim, in uno animantis corpore,niſi unum eſſet motiuum principium membrorum omnium,nunquam in unum,aut in totius utilitatem conſpirarent omnia,immo,uno hac,altero mouente in contrarium, foret ſciſma in corpore,& membra ſeſe impedirẽt mutuo, nec ullum,aſſequeretur,quod uellet,proprium. Ita in omni ſocietatis humanæ genere,niſi ea,ordine certo, ad ſuum finẽ proprium commodo,in unum contineatur,& ſit,qui præſit,cuius dicto audeant cęteri,uel ad modicum durare non poteſt unitas, & concordia:atque eo minus,quo multitudo numeroſior eſt. Quo enim eſt corpus uaſtius,& membrorum quæ colligari deſyderant, multitudo immenſior, eo efficatiori,fortiorique uinculo,quo contineatur in unum,indiget.

Ab ipſa īſe rei euidentia.

Itaque cum ipſa rei euidẽtia loquatur,& nos doceat,multo impoſſibilius eſſe,in tam immenſa, atque adeo infinita,in uniuerſum orbem diffuſa multitudine fidelium, quæ nullo alioqui ciuili uinculo continetur in unum,uel ad momẽtum conſeruari potuiſſe,aut poſſe,ſolidam illam unitatem unius corporis, & ſingulorum membrorum ſympathiam conſpirationemque in mutuam,& totius,utilitatem,conſenſumque religionis,et fidei,niſi diligentiſſime conſtituto ordine:in quo uehementer uigeat exors quædam,atque efficaciſſima unius præſidis authoritas: quam pacem,& concordiã, & mutua neceſſariaque offitia in una qualibet ſocietate, qualibet domo,aut familia,niſi ſit,penes quem ſit præcipua authoritas, Quis dubitaret, etiamſi aliud nullum eius rei argumentum haberet,ita inſtitutum a Chriſto?

Ex eo quod certũ eſt Chriſtũ nõ defuiſſe

Nunquid credet quiſque, ſuæ illum defuiſſe ęccleſiæ, ut illi non prouiderit, de omnibus ipſi neceſſarijs? & præſertim de uno hoc, ſine quo uel ad momentum non poſſet ſubſiſtere,

ſubſiſtere, quam tam precioſam & charã habuit, ut propter eam e ſinu patris deſcendens, & ſemetipſum exinaniniens, ſuo eam ſibi dedicaret ſanguine? *Ecclesiæ ſuæ in neceſſarijs.*

An uero de neceſſitate iſtius ordinis in æcclesia, reducti ad unitatem rectoris, & præſidis, quiſquam dubitare poterit? Nunquid obſcurum eſt, in tam ampla domo catholicæ Chriſti ecclesiæ, ut homines omnes ſumus, non ſæpe incidere, quæ paſtoris prouidentiam, atque eius uirgam correctionemque deſyderent? Quam ſi inefficacem feceris, quid aliud, quam ex ecclesia Babylonem quandam conſtruis? Nunquid etiam, non ſæpe incidere inter paſtores æcclesiarum, aut inter membra cœtera, quæſtiones, & controuerſias, quæ ad fidem, religionemque pertinent? Nam incidiſſe, & plurimas, & grauiſſimas, ipſa rei euidentia teſtis eſt. In quibus componendis definiendiſque, niſi ualeat præſidis authoritas, quid unquam inter nos erit conſonum? An non quiſque, uelut in diſſono aliquo choro, ſuam cantionem cãtabit? Quo enim, in hijs dubitantes pugnanteſque, niſi ad præſidis remittes authoritatem, & iudicium? *Demonſtratur neceßitas ordinis reducti ad unitatem præſidis in catholica æcclesia.*

Si ad ſcripturarum hæc referri oportere dixeris iudiciũ, communis te ſenſus ignarum comprobas. Sunt enim ſcripturæ, muti iudices. Quare æque foret neceſſarium pro ſarciẽda inter pugnantes concordia, ut aliquis, ex ſcripturis, eiuſmodi proferret iudicium, etiam quicquid cuique uideretur de illo iudicio, ſi modo, ullus inter nos finis, aut modus eſſe debeat quæſtionum, & controuerſiarum eiuſmodi: præſertim quando pars utraque, pro ſua, quam aſtruit, ſententia, apparentia ſcripturarum affert teſtimonia: & partis alterius ſcripturas, apparenti aliqua expoſitione ſibi accommodat. Quis enim hos, in ſuo ſenſu utrinque pertinaces, ſibi conciliaret inuicem, niſi in hijs, preſidis ſubijcerentur authoritati, & iudicio? *Queſtiones de religione et fide, nõ ad ſcripturarũ, ſed ad præſidis neceſſario referri oportere iudicium.*

Si ad

Si ad ſcripturas hæc remittitur concertatio, & pars quęq; dicit a ſe recte, a diuerſa uero parte perperam ſcripturas intelligi, quæ utrinq; (ut fit) apparentes adducuntur, quid hic nobis ſequendum erit? Si quod probabilius uidebitur dixeris, cui nam probabilius? Nam contendentium cuiq; ſuum probabilius uidebitur.

Ad hæc. Si hanc inter nos introduxerimus libertatem & licentiam, ut in hijs quę ſunt religionis, & fidei, obortiſq; circa eandem quæſtionibus & controuerſijs, ſcripturarum tantum ſubijciamur authoritati, & iuditio, cum illæ uarie intelligantur, pro cuiuſq; captu & ingenio, nec ſit cuiuſuis, nec facile, ueram earundem intelligentiam aſſequi, (ex quibus, dum quiſq; ſuo magis quam ęccleſiæ ſenſu eas intelligere conati ſunt, tot peſtilentiſſimas hæreſes ortum traxiſſe uidemus) an non tot inter nos introducemus, tamq; pugnantes de fide, religioneq; opiniones ac ſententias, quot ſunt, & quam diuerſa hominum capita? Sunt enim ſcripturæ, uelut cęreus quidam naſus: qui ſicut horſum illorſumq; facile ſe trahi permittit, & quo traxeris, haud inuitus ſequitur, ita & illæ, ſe flecti, duci, atq; etiā in diuerſam ſententiā trahi, accommodariq; ad quiduis patiuntur, niſi quis ueram illam, inflexibilemq; earundem amuſſim, nempe ęccleſiaſticæ traditionis authoritatem, cõmunemq; ſententiam, ijſdem adhibeat. Aduerſus quam, ad ſcripturas prouocationem, nequaq; concedēdam hereticis, etiam ſanctis illis patribus noſtræ religionis anteſignanis, ac ducibus, ſapientiſſime uiſum eſt. Quandoquidem, niſi illam receperint, nec ſcripturas ad eoſdem pertinere, etiam ſine ſcripturis, facile demonſtrari poterit. Quas proferentes ſi quis interroget, Qui ſcitis uiri boni, hæc quæ citatis, eſſe Pauli? illa Petri? Mathei, Lucæ, & aliorum? nunquid uidiſtis autographa, iſtorum ſcripta manu, & cum eis contuliſtis, ut concordare ſciatis?

Scripturarum amuſsis, eccleſiaſticæ traditionis authoritas & communis intelligentia.

Scripturas pferre non poſſe, cui traditionis eccleſiaſti-

ſciatis; hos ex quibus iſta nobis profertis, codices? Et ut uidiſſetis autographa, quis tamen ſingulorum characterem proprium internoſcere uos docuit? Qui, ut familiari cũ eiſdem uiuentibus uobis conſuetudine probe eſſet cognitus, quis tamen uos certos reddidit, quod ſcribentes nuſq̃ errauerint, nuſq̃ dormitauerint, ut homines? Quod ipſi tantum ſe præbuerint organa dictantis ea ſpiritus? Quid inq̃ ad hæc reſponderet, cui ſacroſancta nõ eſt ęccleſiaſticæ traditionis, & antiquitatis authoritas? Qua ille fronte nobis ſcripturas proferet, quas, quiſquis profert, earundẽ authoritatem, ex æccleſiaſticæ traditionis authoritate nobis conſtare fateatur neceſſe eſt? Quam ſi recipimus, omnis facile, etiam ſine ſcripturis, inter nos componetur concertatio, & controuerſia, Cum de ſingulis, non fuerit admodum operoſum, inuenire, quid catholica ab initio æccleſia ſenſerit.

Origines ille, commentariorum in Matheum tomo primo, referente Euſebio Cæſarien. æccleſiaſticæ ſuæ hyſtoriæ lib. vi. (nam eorũ quos nos habemus mutilos, tomi decem priores deſyderantur) de canone noui teſtamẽti loquens, Ex traditione, inquit, didici de quatuor euangelijs, quod hæc ſola, abſq̃ ulla contradictione ſuſcipi debeant in omnibus, quę ſub cœlo ſunt, ęccleſijs dei, Ita enim tradiderunt patres noſtri. Et quod primum omnium ſit Euangelium a Matheo ſcriptum, qui aliquãdo fuerat publicanus, hębraicis literis: & traditum hijs, qui ex circumciſione crediderant, Secundum uero, ſcriptum eſſe a Marco, iuxta ea quæ ſibi tradiderat Petrus, Tertium eſſe ſecundum Lucã, quod Paulus apoſtolus collaudat, tanq̃ hijs, qui ex gentibus crediderant ſcriptum, Super omnia autem, euangeliũ eſſe Ioannis, Is uero, qui idoneus factus eſt miniſter noui teſtamenti, Paulum dico, qui repleuit euangelio omnia ab Hieruſalem in circuitu, uſq̃ ad Illiricum, non ad omnes,

Origenes unde, & quã certitudinem habuerit de ſcripturis canonicis.

quas docuerat ęcclesias ſcripſit, ſed quatuordecim ſolũ epiſtolas, & in eis plures breuiſſimas. Quis nonnulli, de ea, quæ ad He bræos ſcripta eſt, dubitauerint, pro eo, quod nõ uideatur in ea ſeruari, illa eius ſententia, quã de ſe ipſo pronunciat, dicens ſe imperitum eſſe ſermone, Sed ego, inqt, dico, ſicut mihi a maioribus traditum eſt, quia manifeſtiſſime Pauli eſt: & ſemper omnes antiqui maiores noſtri, ita eam, ut Pauli epiſtolam ſuſceperunt. Hæc ille Origenes, Quem audis, quam certitudinẽ habuerit de ſcripturis canonicis: audis, quo docẽte, ac teſtificante didicerit de quatuor euangelijs, quod ea ſola, abſq; ulla contradictione ſuſcipi debeant, in omnibus, quæ ſub cœlo ſunt, æccleſijs. Ex traditione, inquit, hoc didici, nimirũ, ęccleſiaſtica, Ita enim tradiderunt patres noſtri: audis deniq; certo affirmantem, epiſtolam ad Hebręos eſſe Pauli Apoſtoli, & ſi eius nomẽ non præferat, etſi de ea ob characteris diuerſitatẽ, a cæteris Paulinis epiſtolis, dubitarint nõ pauci. Sed qua nota, quo tam certo indicio, inter dubitãtes pleroſq;, ipſe, illã, ut dicit, manifeſtiſſime deprehendit Pauli eſſe? cuius nec præfert nomẽ, nec characterem exprimit, Sic mihi, inquit, a maioribus eſt traditũ: & ſemper omnes antiqui, maiores noſtri, ita eam, ut Pauli epiſtolam ſuſceperunt. Quæ ſi leuis tibi coniectura uideatur, & ob quam nõ debuerit ille, ita certo definire, ac ſtatuere, tu, quiſquis es, aliam, ſi potes, notam, aliud indiciũ, aliud argumẽtũ profer, quo cõpertũ habeas, quod quas ſub Pauli, Petri, aut aliorũ nomine legim9 epiſtolas, uere illorũ ſint, Quod hæc euangelia, ſint Mathæi, Marci, Lucæ, & Ioannis, Quodq; nihil in ſe falſi cõtineãt, Et cum te ſurſum, deorſumq; uerteris, aliud nihil inuenies.

Nec Euãgelio credidiſſet Augustinus, niſi Ne temere ab Auguſtino dictum exiſtimes, nec euangelio quidem ipſi ſe crediturũ, niſi æccleſiæ, ad hoc, ipſum cõpuliſſet authoritas: a qua, ut uniuerſa nobis pendet ſcripturarum

pturarũ authoritas, ita idem meritiſſimo affirmat, eſſe palã, quantum in re dubia, quæ alioqui ex ſcripturis non ſatis clare, atꝗ indubitate eluceſcit, ad fidem, & certitudinẽ ua-leat, Quæ, inquit, ab ipſis fundatiſſimis ſedibus apoſtolorum, uſꝗ in hodiernũ diem, ſuccedentibus ſibi Epiſcopis, ſecundum ſeriem continuę ſucceſſionis, & tot populorum cõſenſione firmatur. In hac ſiquidem æccleſia, factis ſignis, & miraculis. Deus olim demonſtrauit ſe loqui in Apoſtolis a Criſto miſſis, qui uiſibili ſigno acceperunt ſpiritũ dei, & ueritatis, Qui & doctrinam eorum, ſub atteſtatione ſignorum, & prodigiorum confirmauit: doctrinam, inquam, uiuam, quam acceptam unctione ſpiritus, uiuæ uocis oraculo, non ſcripto, tradiderũt ęccleſijs, Cuius, non uero, ſcribendi, mandatũ a Chriſto acceperãt, qui, ut ipſe nihil ſcripſit, ſed uiua traditiõe docuit, ita apoſtolos et diſcipulos in orbẽ mittẽs, ſalutaris ſuæ doctrinæ nũtios, Euntes, inqt, in mundũ uniuerſum, prędicate euãgeliũ oĩ creaturę, Illi aũt pfecti, prędicauerũt ubiꝗ, dño cooperãte ſequẽtibꝰ ſignis.

ob authoritatẽ æccleſiæ.

Certitudo authoritatis æccleſiaſticæ traditionis, unde pendeat.

Hac itaꝗ fide, euidenti, inquam, diuinæ ueritatis conteſtatione, ſuam ab initio fidem, ab ipſis apoſtolis accepit æccleſia: & qua fide accepit, eadem & cuſtodiuit, & tranſmiſit ad poſteros: tranſmittetꝗ ad conſumationẽ uſꝗ ſæculi. Illius ſiquidem æccleſiæ, magis tunc erat conteſtata, ac manifeſta ueracitas, ꝙ ueritas ſcripturæ ęuangelicæ. Quippe quæ cognoſcebatur ſacra, & uera, ab ea, quę tunc erat ęccleſia, Cui teſtimonium Chriſtus ipſe, & uiua uoce, & ſignorum, prodigiorumꝗ atteſtatione perhibuit.

Notior fidelibus æccleſiæ, ꝙ ſcripturæ ueracitas.

Huius, nõ ſcripturarum authoritatem, nempe, anteꝗ legerentur ab Euangeliſtis ſcripta euangelia, tam ſerio, ſub tam horribili anathematis denuntiatione, nobis commendauit Apoſtolus, cum etiam ſibi ipſi, & coapoſtolis omnibꝰ, atꝗ adeo angelis de cœlo, anathema denũtiet, ſi euãge-

Eccleſiaſticæ traditionis, nõ ſcripturarũ authoritatem, etiam ſub ana-

Anathematis denũtiatione, nobis commẽdari ab apoſtolo.

lizet, inquit, uobis, præter id quod euangelizauimus uobis: Non dicit, Si quis, pręter id quod nos, quod Mathęus, Marcus, Lucas, Ioannes, cæteriꝗ; apoſtoli ſcripſimus: ſed præter id quod accepiſtis, uiua nimirum noſtra, & apoſtolica traditione, Neq; enim eatenus quicꝗ; ſcripſiſſe Galatis inuenitur, ut niſi de uiua traditione loqui, non poſſit intelligi, Nec ſuffecerat illi, ſibi, & coapoſtolis derogaſſe fidem, & authoritatem, docẽtibus diuerſum aliquid, ab eo, quod primęua illa traditione acceperat æcleſia: quin, & angelis de cœlo anathema dicit, ſi (quod tamen fieri non poſſet) docerent contrarium, Hoc uidelicet ſignificans, ut nullius, authoritate, nec ſua quidem, nec apoſtolorũ omnium, ſed nec angelorum de cœlo, permitteremus nos abduci ab illa antiquitate traditiõis apoſtolicæ, quã uiua traditiõe acceptam ab apoſtolis, cõtinua ſucceſſionis ſerie, uelut per manus, tranſmittit ad nos.

Nulla ſcriptu rarum apparẽtia, abduci nos oportere a cõmuni ſenſu, et obſeruatione æcleſiæ.

A qua, ne ulla canonicarum ſcripturarum, quæ nobis forte uideretur, euidentia, aut apparentia nos abduci ſinamus, chriſtiane admodum, & conformiter doctrinæ, quam nũc audiſtis, apoſtolicæ, ille nos admonet Origenes: Vtꝗ; meminerimus, ea nos tentatione pulſari, quoties eæ induuntur, aduerſus communem, conſonantemꝗ; æcleſię obſeruationem, traditionem, & ſententiam, de qua nos Chriſtus pręmonitos, cautoſꝗ; fecit: nobiſꝗ; monſtrari Chriſtũ, ꝗuis contra Chriſtũ, in deſerto, aut donorũ penetralibus, qui ſe ipſo teſte, non eſt, niſi in corpore catholicæ æccleſiæ: Sed nos credere, inquit, illis non debemus: nec exire a paterna, æccleſiaſticaꝗ; traditione: neꝗ; aliter unꝗ; credere, niſi quemadmodum æccleſiæ tradiderunt nobis; hoc eſt, ſucceſſio illa æccleſiaſtica.

Eccleſiaſtica traditio.

Ipſiſſima ueritatis Chriſtia-

Hæc eſt ipſiſſima ueritatis, ac pietatis regula: quã efficatiorem ſemper, ꝗ; ſcripturas, ab ipſo æccleſiæ initio, ſan-

ctiſſimi

ctiſſimi orthodoxiq́; patres noſtri ſemper experti ſunt. Quam Tertullianus ille, libro de hæreticorum præſcriptione, ſingulariter cōmēdans, Chriſtū, ac Deum eius authorē prędicat; docens nō eſſe permittendū hęreticis, ut aduerſus eandem, ad ſcripturas ipſis prouocare liceat: ut quæ; nullo iure pertineāt, niſi ad ęccleſiam, unde earum nobis pendet authoritas: non uero ad deſertores, atq́; impugnatores ęccleſiæ. Quam inducit hoc pacto agentem cū hijs qui ſcripturarum authoritate oppugnāt doctrinam ęccleſiæ. Qui eſtis? quando, aut unde ueniſtis? Quid agitis in meo, non mei? Quo deniq́; Martion iure ſyluam meam cædis? Qua licentia Valentine fontes meos tranſuertis? Qua poteſtate Apelles limites meos commoues? Quid hic cæteri ad uoluntatem ueſtram ſeminatis, & paſcitis? Mea eſt poſſeſſio. Olim poſſideo: Habeo origines firmas ab ipſis authoribus quorum fuit res. Ego ſum hæres apoſtolorum, ſicut cauerunt ſuo teſtamento, ſicut fidei commiſerunt, ſicut adiurauerunt, ita teneo. Vos certe exhæredarunt ſemper, & abdicauerunt ut extraneos, ut inimicos. Vnde autem extranei, & inimici Apoſtolis hæretici? niſi ex diuerſitate doctrinæ, quam unuſquiſq́;, de ſuo arbitrio, aduerſus apoſtolos, aut protulit, aut recipit. Hęc ille Tertullianus ante annos circa quater decies centenos: quibus demonſtrat, permitti non debere hæreticis prouocationem ad ſcripturas, aduerſus cōmunem doctrinam ęccleſiæ. Addens, illis merito deputari ſcripturarum adulterationem, atq́; intelligentiæ, expoſitionisq́; earundem falſitatem, apud quos inuenitur doctrinæ ſingularitas, & diuerſitas a communi, et catholica. Quibus enim, inquit, aliter docendi fuit propoſitum, iiſdem aliter inſtituendi inſtrumenta doctrinæ neceſſitas inſtitit.

...næ regula, aduerſus hæreticos ipſis ſcripturis efficatior.

Tertullianus, ca Martionem expugnat.

Non permittēdam hæreticis prouocationē ad ſcripturas, aduerſus communem doctrinam æccleſiæ.

Eadem, orthodoxæ ueritatis certiſſima, & in obliquabili regula, etiam Irenęus ille Lugdunenſis Archiepiſcopus

Ireneus aduerſus Valentini...

& glorioſus Chriſti martyr, beati Policarpi, Ioannis Euan- geliſtæ diſcipuli, auditor, ipſo quoq; Tertulliano uetuſtior, aduerſus Valētinũ cæterosq; ſui tēporis hęreticos dimicat.

Apoſtolica traditio, ut uenerit ad nos. Traditionem, inquit, Apoſtolorum, toto orbe manifeſtã, in omni ęcclesia adeſt perſpicere, omnibus qui uera audire uoluerint, eã uidelicet, quam primitiua illa æcclesia ab apoſtolis acceptã, per ſucceſſionē continuã, patrũ, & Epiſcoporum, transmiſit ad nos. Sed quoniã per oēs æcclesias diſcurrere prolixũ fuerat, & infiniti operis, ex omnibus maximã, antiquiſſimam, atq; omnibus cognitã, Romæ a glorioſiſſ. duobus Apoſtolis Petro, & Paulo fundatã eligens,

Romanæ ecclesiæ fidē obijcit hæreticis omnibus. eius, inquit, fidē, traditionēq; quã habet, ab ipſis annunciatã, & per ſucceſſiones Epiſcoporũ ad nos peruenientē, indicantes, confundimus oēs eos, qui quoquo pacto uel per ſui placētiã, uel uanã gloriã, uel cœcitatē, & malã ſententiã, ſidē, præterq; oportet, colligũt. Cuius occaſione, continuã, in eadem Romana ęcclesia ſucceſſionē Epiſcoporũ, a beatiſſ. apoſtolis, ad Eleutheriũ, qui eidē tunc præſidebat, enumerãs. Hac inquit, ordinatiōe, & ſucceſſione, ea quæ eſt ab apoſtolis traditio in ęcclesia, & pręconizatio, peruenit uſq; ad nos: & eſt pleniſſima hæc oſtenſio, demonſtrans unam, & eandem fidem eſſe, quæ in ęcclesijs ab apoſtolis eſt tradita, & uſq; nunc conſeruata in ueritate permanet. Hæc ille Ireneus. Videtis itaq;, quo indice, etiã illo ſæculo, ſancti patres noſtri, doctrinam uere euangelicam internoſcebant, agnoſcendamq; docebant a falſa, quamuis obtecta ſub aromate eloquiorum cœleſtium. Eos, inquit ille, qui quoquo modo, uel per ſui placentiam malã, uel per uanã gloriã, uel per cœcitatem, præterq; oportet, fidem colligunt, confundimus. Sed quid obſecro proferentes? quas tam euidentes rationes, quæ tam irrefragabilia argumenta, aduerſus quæ hæreticorum impudentiæ, & peruicaciæ contradicēdi aut

calum

calumniandi locus non ſit: nunquid ſcripturas? Necꝗ enim eſt difficile illas torquere, & retorquere, & quoquo libet uertere. Quid igitur proferentes confundimus peruicaces illos hæreticos qui confundi neſciunt? Indicantes, inquit, fidem, traditionēꝗ maximæ, & antiquiſſimæ ęcclesiæ, Romæ a glorioſiſſ. duob⁹ apoſtolis Petro, & Paulo fundatæ. Quam enim illa fidem, traditionēꝗ ab apoſtolis accepit, continuo ſuccedentium ſibi Epiſcoporum ſerie, ſibi mutuo & primitiuæ illi ęcclesiæ perhibentium teſtimonium, certiſſima fide integram ſynceramꝗ tranſmiſit ad nos.

Ad eandem orthodoxæ, & catholicæ ueritatis regulam, inter uarias pugnantium, & ſcripturas diuerſimode interpretantium opiniones, & ſententias, perpetuo nobis reſpiciendū, collimandūꝗ, ut eruditiſſimus ille Origines, ubiꝗ docet & inculcat, ita eandē, in inquiſitionibus ſuis de principijs doctrinæ Chriſtianæ, primi principij loco ſtatuit, ſcribēs in hæc uerba, Sicut, inqt, multis, apud Græcos, & Barbaros pollicētibus ueritatem, desueuimus apud omnes eā quærere, qui eam falſis opinionib⁹ aſſerebant, poſtꝗ credidimus filiū Dei, eſſe Chriſtū, & ab ipſo, nobis hāc diſcēdā eſſe perſuaſimus. Ita, cum multi ſint, qui ſe putāt ſcire quæ Chriſti ſunt, & nōnulli eorū, diuerſa a prioribus ſentiāt, ſeruetur uero ęcclesiaſtica prædicatio, per ſucceſſionis ordinē ab apoſtolis tradita, & uſꝗ ad pſens in ęcclesijs permanēs, illa ſola credēda eſt ueritas, quæ in nullo ab ęcclesiaſtica traditiōe diſcordat, Hęc ille Adamātius, li. 1. de principijs, Audis itaꝗ quæ tunc fuerit ante annos mille trecētos, quadrigētos, imo ſēper ab ipſo ęcclesiæ initio, orthodoxis oibus, regula certa, ad quā examināda ſit oīs inter nos quæſtio, oīs pugnātiū opinionū cōcertatio: p quā ſolā, inueniē ueritas, Illa inqt, ſola credēda eſt ueritas, q̄ in nullo ab ęcclesiaſtica traditione diſcordat. Audis deniꝗ ut æcclesiaſtica illa traditio,

Origeni quod doctrinæ Chriſtianæ principium. Hoc ſolum eſſe uerum in doctrina Chriſtiana, quod in nullo ab æccleſiaſtica traditione diſcordat.

ditio,doctrina,prædicatio, quam ab apoſtolis accepit primitiua illa ęcclesia,per ſucceſſionis ordinem,non per ſcripturas,ad nos uſq; permaneat. Ad quam, ſi,quæ inter nos nunc controuertuntur, nobiſcum conſenſerint expendere aduerſarij,& hoc ipſum tenere,quod illi conſonat,facile & cito terminabitur uniuerſa inter nos quæſtio,& controuerſia.Nullo enim negotio,per ſingula inuenietur,& demonſtrabitur,quid ęcclesiaſtica prædicatio,& traditio,ab initio tenuerit,& teneat. Quæ dũ ad ſolas ſcripturas nunc uolũt exigi,hoc uolũt,ut cõtrouertamur perpetuo: nõ ſolũ quod ſcripturę,plurimũ frequẽter obſcuritatis habeãt,& ſe trahi accommodariq; in diuerſam ſententiam,& eludi cauta expoſitione facile permittant:etiam quantumuis clare,euidẽtesq; appareant:adeo,ut niſi aptentur ad ſuam illam inflexibilem,certamq; amuſſim,ęcclesiaſticæ inquam illam traditionis communem ſententiam,ſed ea neglecta,contempta,reiectaq;,legantur,& tractẽtur pro cuiusq; captu, & ingenio,ſiant nobis in laqueum:in captionem,& ſcandalum, atq; omnis erroris, omniumq; hæreſum ſeminarium: nec unq; inter diſceptãtes,certi aliquid,ex hijs poſſit conſtitui: vt non immerito beatiſſ. Petrum, hoc ſuos perpetuo admonuiſſe, Clemens ille glorioſus Chriſti martyr,& Pontifex,eiuſdem in apoſtolica cathedra ſucceſſor, & diſcipulus, lib. x. recognit. affirmet,Hoc quippe diligenter obſeruandum eſſe,ut lex Dei cum legitur,non ſecundum propriam ingenij cuiuſq; intelligentiam accipiatur,uel doceatur, Eſſe enim multa in ſcripturis diuinis,quæ trahi poſſint ad eũ ſenſum, quem ſibi unusquiſq; præſumit, & ideo oportere affirmat,intelligentiam ſcripturarum ab eo diſcere,qui eã, a maioribus ſecundum ueritatem ſibi traditã ſeruat. Hãc quippe unicam eſſe ueræ intelligentiæ ſcripturarum certã regulam,nempe ęcclesiaſticæ traditionis ueritatem, acceptam a maioribus.

Qui ad ſolas ſcripturas exigi uolunt quæ controuertuntur in ecclesia hoc uelle, ut controuertamur perpetuo Primũ, quod obſcuræ ſunt pleræq;, et facile accommodantur etiã falſæ ſententiæ.

Non

Non ſolum, inquam, ob hanc cauſam, aduerſarios, qui ad ſolas ſcripturas, quæ inter nos controuertantur, nũc uolunt exigi, hoc uelle diximus, ut cõtrouertamur perpetuo: ſed etiam propterea, quod non omnia, quæ ad fidẽ noſtrã, religionemq; pertinent, in ſcripturis Euangelicis, apoſtolicisq; epiſtolis clare expreſſa ſunt: ſed pars magna, ex uiua illa doctrina apoſtolica, ęccleſiaſticę ſucceſſionis fideli traditiõe ad nos peruenit, De quo nemo dubitabit, ſi nobiſcũ perpenderit, Chriſtianã doctrinã, non ſcripto, ſed partim uiuæ uocis oraculo, a Chriſto, apoſtolis, & diſcipulis eius, partim, ſpiritus ſancti unctiõe traditam, Quem, etiam uiſibili atteſtante ſigno (quo & ipſis crederetur, accepta tradẽtibus) acceperunt. A quibus, uiua quoq; traditione, & ſine ſcripto, ea ipſa, accepit illa primitiua Chriſti æccleſia: ſuorum doctrinam, miraculis, & prodigijs confirmante Deo.

Deinde, quoniam non omnia quæ ad fidẽ, religionẽq; pertinent, in ſcripturis expreſſa ſunt.

Quorum miniſterio, cum iam diffuſa eſſet in orbẽ pene uniuerſum, ſanctorum quorundam uirorũ piũ ſtudiũ, excitauit ſacer ille ſpiritus, ut pro confirmanda fide, & deuotione fidelium, literis cõmendarent, & cõmentarentur redemptionis noſtrę a Chriſto peractam in terris hyſtoriã: ab incarnatiõe, natiuitateq; eius auſpicantes, ad glorioſam uſq;, triumphalemq; eius aſcenſionem in cœlum, Quorũ non fuit hoc in ſcribendo conſilium, ut ſcripta illa ſua, pręeſſent noſtræ religioni, ac fidei, ſed ſubeſſent potius: ſicut acceſſerunt eiſdem iam propagatis in orbem, non præceſſerunt. Acceſſerunt, inquam, uelut pia quædam cõmonitoria, excitandæ recordationis, eorum, quæ iam dudũ uiua uoce ab apoſtolis acceperat æccleſia: non equidem, eorum omnium, ſed tantum dictorum, actorũq; Chriſti in terris.

Qua occaſiõe & quo reſpicientes, Euangeliſtæ ſcripſerunt ſua Euangelia.

Euãgelica ſcripta ab initio, ſubfuiſſe, non præfuiſſe, fidei æccleſiæ.

Quę Marco fuerit ſcribendi euangelij occaſio, & quomodo ſcripſerit, ex antiquitatis teſtimonio, & eorum, qui illis temporibus fuerunt proximi, Papia Hieropolite, qui

Ipſe cum apoſtolis uerſatus, eoſdem uiuos præceptores habuit, Et Clemente Alexandrino presbytero, qui apoſtolorum auditoribus, ac diſcipulis, præceptoribus uſus eſt, Cęſarieñ. Euſebius, & D. Hieronimus, nobis tradiderunt: nempe, Romæ euangelizante Petro, & ſaluiari doctrina, ac prædicatione Romanis aperiente cœleſtis regni ianuã, cum illi, capti uerbi ſalutaris dulcedine, ſolà auditione non ſatiarẽtur, Marcũ, Petri a longo tẽpore familiarẽ diſcipulũ, cõueniſſe eoſdẽ: & multis pręcibus oraſſe, ut quæ ille uerbo prædicabat, ad perpetuam eorum cõmonitionẽ habendam, ſcripturæ traderet: quo domi, foriſq; in huiuſmodi uerbi meditationibus permanerent: nec prius ab orando deſtitiſſe, quã quę orabant impetrarent. Eum itaq;, quo pio fidelium deſyderio ſatis ſatisfaceret, excepiſſe paſſim dicta magiſtri ſui, uelut fidũ aliquem notarium: eaq; re tuliſſe in codicem. Quod factum, ut Petrus cognouit, delectatum fide, & deuotione fidelium, confirmaſſe ſcripturã: et in perpetuum legendam tradidiſſe æccleſijs.

Marcus ut ſcripſerit.

Ex quibus utiq; eſt euidẽs, ea, quę uiua uoce docuerat Petrus, a ſubſequẽtibus Marci ſcriptis, nõ accepiſſe authoritatis põdus, aut ueritatis teſtimõiũ: ſed cõtra magis, hæc, ab illis. Vt quia eius ſcripta, apoſtolicæ prædicatiõi, ac doctrinæ inueniebant cõformia, Itaq; oculatus, fiduſq; eorũ omniũ teſtis, Petrus, et cuius teſtimoniũ, euidẽtibus ſignis cõprobabat diuina ueritas, ſua authoritate cõfirmauit ſcripturã, & perpetuo legendã Chriſti ęccleſiæ tradidit: tanq; uerã, canonicã, & diuinæ illi, infallibiliq; ueritati prorſus innitentẽ: nõ tanq; Chriſti, aut doctrinã, aut etiã uitæ hyſtoriã, integre & ex ordine cõplectentẽ. Siqdẽ ab eius baptiſmo primũ exorſus, nec deinceps uniuerſa dicta, actaq; ipſius execut⁹ eſt: nec deniq; eo, quo dicta, geſtaq; ſunt ordine: ſed multa præpoſtere, Queadmodũ ei⁹ euãgeliũ, cõferenti cũ tribus alijs, cõſtat ipſa luce clari⁹. Nec

Nec Lucam alio reſpexiſſe, cum Euangeliũ ſuũ ſcriberet, quàm ut haberet ante oculos ꝑpetuo, ſuus ille, cui ſcripſit, Theophilus, ueritatem, & recordationẽ eorũ uerborũ, de quibus eruditus iam fuerat, idẽ ipſe teſtis eſt: quãuis ſpiritus S. in eo ipſo, reſpexerit altius. Quin, nec ex reuelatione, nec ex uiſu, ſed ex fideli narratione, ac traditione eorum ipſorũ, qui ipſi uiderant ab initio, & miniſtri ſermonis fuerant, aſſecutum ſe affirmans omnia, pollicetur ſe eadem ſcripturũ diligenter, & ex ordine. Quod tamẽ eatenus pręſtitit, quatenus ſpiritui ſancto uiſum eſt: qui illorũ calamos pro ſuo temperauit arbitrio. Nam illũ, nec tradidiſſe omnia, nec ea ipſa, quæ tradidit, eo quo dicta, geſtaue ſunt ordine, conferenti cum ſuo, maxime Mathæi euangeliũ, euidẽs uidebit. *Vt Lucas.*

Quẽ & ipſum, non orbi, ſed Iudæis ſuis, in Iudæa, Hebraice ſcripſiſſe Chriſti Euangelium, pro perpetua cõmonitione eorum, quæ ex Apoſtolorum prędicatione, ac traditione acceperant, poſt præfatum Clementem Alexandrinum, tomo primo cõmentariorum in illud ipſum Mathæi Euangelium, affirmat Origenes, & D. Hieronymus in ſcriptorum æccleſiaſticorum catalogo. *Matheus.*

Ioannem poſt hos omnes, longiſſimo interuallo, circa Traiani tempora, ſuum ſcripſiſſe Euangelium, cum iam in uniuerſum orbẽ, lõge lateq; diffuſa, floreret doctrina Chriſti, & religio, ſcriptorum omnium cõſenſu indubitatũ eſt. *Ioannes.*

Ex quibus, ut euidenter conſtat, ab illorũ authoritate, ab initio non dependiſſe certitudinẽ noſtræ religionis, ac fidei, ſed contra magis, illorum authoritatem a certitudine fidei, religioniſq; noſtræ: quemadmodum acceſſerunt doctrinæ Chriſti, fidei, religioniſq; noſtræ iam diffuſæ in orbem, & non præceſſerunt eandem: ita nec unum aliquod eorum, nec omnia in unum, complecti uniuerſa, quæ ad Chriſtianam doctrinam, fidem, religionemq; pertinent. *Ab euangelicorum ſcriptorũ authoritate nõ dependiſſe ab initio noſtræ fidei doctrinæq; certitudinem. ſed contra.*

Necꝗ enim conati ſunt, literis commendare, quæ præcepta primitiuæ illi ęccleſiæ dederint apoſtoli, per dominũ Ieſum: quo ordine, quibus ſacramentis, & cæremonijs, authore, doctoreꝗ Chriſto, & ſpiritu ſancto, inſtituerint eandem; ſed Chriſti tantum conuerſationem in terris, dictorũ, actorumꝗ eius, ad glorioſam eiuſdem aſcenſionẽ in cœlos, utcumꝗ potuerunt, explicare hyſtoriam, Quam tamẽ, nec unus quilibet, nec omnes in unum (ſi Ioanni credimus, qui ſcripſit nouiſſimus) nobis reddiderunt integram. At, quæ ad æccleſiæ inſtitutionem, ordinem, hierarchiam, ſacramẽtaꝗ pertinent, ad illam hyſtoriam non pertinent: ſed maxima parte, poſt ſublatum ab illis dominum, unctione ſpiritus S. ea acceperunt Apoſtoli, Quod, ne quis a nobis diuinari calumnietur, idẽ Ioannes haud obſcure indicat. Ita enim ſcribit, Chriſtum, proxima iam morte ſua, dixiſſe diſcipulis. Adhuc multa habeo uobis dicere, ſed nõ poteſtis portare modo: hoc eſt, nondũ eſtis illorũ capaces. Cũ uenerit autẽ ille ſpiritus ueritatis, docebit uos oẽm ueritatẽ.

Magnam partem corũ quæ apoſtoli ſpiritu S. doctore tradiderũt æccleſijs, nõ eſſe ſcriptam in Egelijs.

Itaꝗ illa tã multa, reſeruata unctioni ſpiritus, poſt didicerant Apoſtoli, cũ eundem ſpiritum ſub uiſibili ſigno acciperent; eademꝗ tradiderunt æccleſijs, Quæ uelut per manus continue ſuccedentium Epiſcoporum, & patrum, ſibi mutuo, atꝗ illi primæuæ traditioni perhibentium teſtimonium, peruenerũt ad nos. Quæ, qui ex Euangeliſtarum ſcriptis, ſibi comprobari exigeret, æque abſurde, ac ridicule faceret, ac ſi, quando a ſe mutuo diuiſi apoſtoli orbẽ terrarum uomere euangelicæ prædicationis inter ſe partiti ſunt, quæ inter ſe conſtituerint: (conſtituiſſe enim inter ſe plurima pro æccleſiaſtica diſciplina, ordine, hierarchiaꝗ conſeruandis, indubitatũ eſt, Quando apoſtolicos canones uniuerſa ab initio agnouit Chriſti æccleſia, atꝗ ipſum adeo Nicœnum Concilium) quam item prouintiã quiſꝗ

ſortitus

ſortitus, quid in ea egerit: quo exitu glorificauerit Deum, Quid Antiochiæ aut Romæ, geſſerit Petrus: quo pacto ſub Nerone, una cum Paulo glorioſum ibidem martyriũ conſumauerit, ex eiſdem Euangeliſtarum ſcriptis ſibi demonſtrari exigeret, alioqui nihil crediturus eorum omnium.

Ita quoq;, & apoſtolicæ illę Pauli, Petri, cæterorumq; epiſtolæ, ad iam fideles ex uiua illa apoſtolica doctrina, & prædicatione ſcriptæ ſunt: & pro nata occaſione neceſſitatis unius, aut alterius ęccleſiarum particulariũ ſcriptę ſunt: ne dubites, & illas acceſſiſſe tradito iam eiſdem uiuæ uocis oraculo, non ſcripto conſignato Chriſti euangelio, traditæ doctrinæ Chriſtianæ relligionis ac fidei: aut opineris, ſi nõ una aliqua, ſaltem uniuerſis illis ſuis epiſtolis, uoluiſſe cõprehendere Paulum, & apoſtolos, uniuerſa noſtræ fidei Chriſtianæq; doctrinæ myſteria. Neq; enim communicato conſilio, & partito inter ſe labore, cuiq; ſuum, quod ſcriberet, ceſſit: ſed ut cuiq; neceſſitas unius, aut alterius ęccleſiæ ſcribendi argumentum ſuggeſſit.

Apoſtolicas epiſtolas ſcriptas iam fidelibus, pro nata occaſione & neceßitate, & non, ut illis uniuerſam religionis noſtræ doctrinam explicarent.

Nec Paulus, cuius plures leguntur epiſtole, eas ipſas, uelut continuum quoddam opus contexuit, ſed tanq; ſollicitudinem gerens omnium ęccleſiarum Chriſti, ut audiuit uſpiam aliquid exortum ſcandali, aut ſuperſeminatũ Zizaniæ aduerſus primæuam illam, uiuam, germanamq; traditionem apoſtolicam, ſtatim occurrit: fideles in fide corroborans: dubios confirmans: errantes ſeductoſq; reuocans: ſeductoribus reſiſtens: atq; unũ hoc, uniuerſis ſuis illis epiſtolis agens perpetuo, ne ab ea, quam ſemel acceperãt, apoſtolica traditione, declinarent latum digitum: ſed illi firmiter inhærerent. Quam tamen, nuſquam conatur repetere uniuerſam, aut exprimere illis ſuis epiſtolis: ſed frequenter inculcat, ut illius meminerint: ut ſecundum illam ambulẽt

quo Deo placeant. Rogamus, inquit, uos & obſecramus, ut ita ambuletis. quemadmodum accepiſtis a nobis, quomodo oporteat uos ambulare. Scitis enim quæ præcepta dederim uobis per dominum Ieſum.

Sic, & Corinthijs ſuis, repetens quod ipſis tradiderat de cæna dominica. Ego enim accepi a domino, inquit, quod & tradidi uobis. Quo replicato in ſua epiſtola, ad extirpandos ſuper introductos aduerſus traditionem illam errores contrarios, indicans nihilominus, nō uniuerſa, ſe ſcripto explicaſſe, quæ ad decentiam, modum, formamq; peragendæ eiuſmodi a nobis cænæ pertinent, ſubiungit: Cætera cum uenero, diſponam. Hinc ſatis, inquit D. Auguſt. ad Ianuarium, intelligitur. Quia multum erat, ut in epiſtola, totum illum agendi ordinem inſinuaret, quem uniuerſa per orbem ſeruat ęcleſia, ab ipſo ordinatum eſſe, quod nulla morum diuerſitate uariatur. De quo diſputare, quin ita faciendum ſit, inſolentiſſimæ inſaniæ eſt. Hactenus ille.

Epilogus prædictorum, de autoritate traditionis æccleſiaſticæ.

Ex quibus omnibus, cum euidens factum ſit, non ſolum, illam traditionem æccleſiaſticam, illum CHRISTI fidelium, etiam ſine ſcripto in quiduis ad religionem noſtram pertinens, conſenſum, qui ex primitiua æccleſia, continua ſucceſſionis ſerie, a patribus ad nos deſcendit, eſſe certiſſimam ueritatis regulam, ad quam, & ſcripturas, & omnia ex eis nata dubia, niſi errare uelimus, expendere oporteat: ſed etiam & hoc, quod non omnia, quę ad religionem noſtram pertinent, authore Chriſto, apoſtolorum miniſterio conſignata æccleſiæ, (quæ eadem illa ipſa ueritatis regula certiſſima fide ad nos perducit) in ſcripturis explicita ſint. Euidenter quoq; ex eiſdem apparet, q̃ inique, q̃ abſurde faciant aduerſarij, in quas nos tenebras conentur inuoluere, qui ſublata e medio, eadem illa regula traditionis ęccleſiaſticæ, ad ſolas, nudaſq; ſcripturas

nos

nos reuocant. Quæ, niſi adhibita ipſis ſua illa amuſſi, etiam ad quiduis demonſtrandum inefficaces inuenientur. Cum nihil pene tam ſit in ſcripturis expreſſum, quod non ingenioſi hominis expoſitionem aliquam recipiat; quã ex alio aliquo ſcripturæ loco etiam colorare poſſit, & probabilem facere. Sed ſi hoc in omni quæſtione, & ex ſcripturis concertatione pro certa ueritate teneatur, ſicut eſt, quicquid illi regulæ conſonat, & contra, pro falſitate, atq; impietate, quicquid ab eadem diſſultat, obliquat, aut diſcrepat, nihil erit difficile omni Chriſtiano, in omni ſuborta procella cõfuſionis hæreticæ, ſecurum ſe conſeruare intra arcam catholicæ æccleſiæ: hoc unum ſentiens in omnibus, ac de omnibus, quod a patribus acceptum, ac traditum, communiter teneri per æccleſiam intelligit. In quo ipſo, ſi dubietas incidat, non eſt difficile, hoc ipſum ex patrum ſcriptis certo colligi, & intelligi. Vbi enim inueniuntur congregari, & conſentire illæ aquilæ: ibi corpus eſt: ibi Chriſtus caput illius corporis: ibi ueritas.

Chrĩ æccleſiæ eſſe neceſſariã etiã uiuã quãdam authoritatem, cuius definitione terminandæ ſint coorte inter nos quæſtiones, et controuerſiæ.

Et quamuis hæc, ut diximus, regula, cuiq; ad eam diligenter reſpicienti, & orthodoxam ueritatem ſyncere inquirenti, ad inueniendam eandem fere ſufficiat, nihilominus cuiq; ex ſe euidens eſſe nõ dubitamus, catholicæ Chriſti æccleſiæ, conſeruandæ eius paci, unitati, ac ſynceritati religionis, & fidei, uiuam quandam authoritatem eſſe neceſſariam: qua, aduerſantium ſanæ fidei altercationes reprimi, atq; impia eorundem doctrina, ad propagandam alioqui impietatem efficax, et uelut cancer ſerpens, obreper ꝑ incautis ac ſimplicioribus, efficaciter quoq; compeſci, coercerìq; ualeat. Ad quam, & omnis inter nos, etiam pie concertantes, referenda ſit coorta quæſtio, & controuerſia: atq; eiuſdem definienda iudicio.

Cum

Cũ alloqui concertationes, & controuerſiæ eiuſmodi, neceſſario exirent in ſectas, & ſciſmata: ubi quiſq; ſuæ ſententiæ aſſertor permaneret; nec alterius cuiuſq;, ea in re eſſet ſubiectus iudicio.

Authoritatem eiuſmodi neceſſario dirigi debuiſſe, diuinæ aſsiſtentiæ ſingulari aliquo præuilegio.

Oportere quoq; authoritatem eiuſmodi, ad quam hæc pertineant, in ſuis iudicijs, ac definitionibus, neceſſario dirigi diuinę aſſiſtentię ſingulari aliquo pręuilegio: ſine quo, de nullius omnino hominis, ſed nec de plurimorum, quantouis numero, ſententia, indubitatæ ueritatis certitudinē habere poſſumus. Vt, de quibus omnibus ſcriptura pronũciat, quod mendaces ſint. Omnis ſiquidem homo mendax.

Authoritatem eiuſmodi eſſe debuiſſe certo notoq; omnibus loco, et ad quā ſemper facilis poſſet haberi recurſus ab omnibus.

Nec minus & hoc oportere credimus, non ſolum eiuſmodi authoritatem aliquam eſſe in catholica ęcclesia: ſed etiam eſſe, certo, atq; omnibus noto loco: eſſe quoq; paratā ſemper omnibus: & ad conſulendam, dubiorumq; reſolutionem petendam, cuiq; aditu facilem. Cum quotidie inſidat eius conſulendi neceſſitas: quotidie oriantur in ęcclesia quæſtiones, & controuerſiæ eiuſmodi. Nec aliter Chriſtus ſuæ ſufficienter prouidiſſet ęcclesiæ.

Fuiſſe eiuſmodi authoritatē cum omnibus predictis conditionibus ordinatam à deo in ſynagoga ueteri.

In ueteri illo popolo (in quo diuini ſpiritus artificio ęcclesiam noſtram mirabiliter adumbratam, & clariſſime effigiatam, expreſſamq; cernimus) authoritatē eiuſmodi diuina authoritate conſtitutam per Moyſen a Deo, conſtitutā certo atq; omnibus noto loco, paratam ſemper omnibus, et ad conſulendam, dubiorum reſolutionem petendam, cuiq; aditu facilem, etiam cum diuinæ aſſiſtentiæ ſingulari illo præuilegio in ſuis iudicijs, ac definitionibus, diuinæ ſcripturæ irrefragabili authoritate certum eſt.

Præceptum namq; a domino illis fuerat, ut ſubortam omnem grauem quæſtionem, quæ ex ambiguis, & obſcurioribus uerbis legis ortum traheret, & omne difficile, & ambi-

ambiguum iudicium, quod per ſubalternos in ſingulis ciuitatibus iudices rite componi nõ poterat, referretur ad cathedram Moſaicam: locũ nempe, quẽ inter ipſos elegerat dominus, terminandum præſidis eius, una & ſacerdotum, ſecum in eodem pro tempore uicis ſuæ miniſtrantium domino, authoritate, & iudicio. Quod idẽ ille, ut ſacroſanctũ eſſe uoluit, & ſine cõtradictione, aut diſcuſſione ſequendũ omnibus, etiam mortis pœna in cõtemptores ſacroſanctæ authoritatis propoſita, Ita, & ueritatis eiuſdem, ſidem illis fecit indubiam.

Et quoniam res in ſuo hic cardine præcipue uertitur, eidem preſſius, clariuſq; demonſtrandæ nonnihil inſiſtendum eſt, Ita præceptum legimus in Deutro. Si difficile, & ambiguum apud te iudiciũ eſſe perſpexeris, inter ſanguinem, & ſanguinem, inter cauſam, & cauſam, lepram, & lepram, & iudicum intra portas tuas uideris uerba uariare, ſurge, & aſcende ad locum, quem elegerit dominus Deus tuus: ueniesq; ad ſacerdotes Leuitici generis, & ad iudicẽ, qui fuerit in illo tempore: quæresq; ab eis: qui indicabunt tibi iudicij ueritatem: & facies, quodcumq; dixerint, qui præſunt loco, quem elegerit dominus: & docuerint te iuxta legem eius: ſequeriſq; eorum ſententiam: nec declinabis ab ea ad dextram, nec ad ſiniſtram. Qui autem ſuperbierit, nolens obedire ſacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat domino Deo tuo, ex decreto iudicis, morietur homo ille. *Ex Deutronomio.*

Hic audis in primis, in ſubortis dubijs, & controuerſijs, quæ per ſingularum ciuitatum iudices expediri non poterant, ut non ad ſcripturas, ſed ad uiuum iudicium, ſacerdotum nempe qui præerant cathedræ, ſuos illos altercantes remiſerit Moiſes, Audis præterea, q̃ preceperit diſtricte, illorum obedire iudicio, nec de eorum ſententia

inquiri amplius, ſed ſimpliciter facere quodcumq; diceret præſides cathedræ, ſequiq; eorum ſententiam, nec declinare ab eadem ad dextrã, nec ad ſiniſtram. Audis poſtremo, ut contumacia aduerſus authoritatem ſacerdotis præſidis, mortis ſupplicio neceſſario expianda fuerit.

Cauilli remotio. Et ne ex uerbis illis, quæ citata habet noſtra lectio (& docuerint te iuxta legem eius) quiſq; ſibi perſuadeat, tum demum intelligenda illa legis uerba ueritatẽ habere, quando præſides cathedræ, nos docerent iuxta legem domini, & proinde, de iudicio eorũ libere a nobis diſceptari poſſe, & licite inquiri, an ſecundum legem ſit, antecq; eidem tam diſtrictam, q̃ exigunt, obedientiam debeamus, Is ille, quiſquis ita exiſtimat, in primis ſecum cogitet, an non ridicule feciſſe uidebitur, diuinus ille per Moiſen ſpiritus, qui dubitãtes nos legis ſcripturarumq; occaſione, remittit ad ſacerdotale iudicium? Nam ſi per nos nobis cõſtabat, quid eſſet ſecundum legem, unde ergo dubium? Quæ neceſſitas ſacerdotalis iudicij? Si eorum ſentẽtia & iudicium, nobis rurſus ad noſtrũ examen, iudiciumq; reuocandum eſt, quid hoc opus erat circuitu? Quid non potius contentos nos uoluit noſtro ſtare iudicio, ſi ſacerdotale a nobis expectendum iudicium, noſtro adhuc ſubmittit iudicio?

Sed cauillum eiuſmodi magno conſenſu, & clariſſime excludunt, primum, lxx. interpretes, Deinde, ipſa hæbraica ueritas: Tertio, interpretatio Chaldaica pẽtateuci, iuxta tanslatiõem, quã Reuerẽtiſ. quondã D. Franciſcus, Cardinalis Toletanus, edendam curauit: ita ut dubitare non poſſis, dicta uerba quæ ex noſtra lectione, eiuſmodi cauilli aduerſus ſacroſanctam præſidis cathedræ authoritatem, occaſionem ſubminiſtrant, non germana eſſe: nec ueram diuinæ legis, quæ in ſe eſt clariſſima, ſententiam exprimere.

Apud

Apud lxx. citatus Deutronomij locus, in quo ſunt apud nos dicta uerba ambigua, ita pene ad uerbum latine redditur.

Et facies ſecundum uerbum, quod annunciabunt tibi, ex loco, quem elegerit dominus Deus tuus. Et cuſtodies ualde, ut facias iuxta omnia, quæcumq; ſancita fuerint, Iuxta legem quæ fuerit, & ſecundum iudicium, quod dixerint tibi facies. Non declinabis a uerbo, quod annunciauerint tibi, nec ad dextram, nec ad ſiniſtram.

Iuxta hæbraicam ueritatem, idem ille locus ita pene ad uerbum redditur. Et facies iuxta uerbum, quod annunciabunt, de loco, quem elegerit dominus. Et cuſtodies, ut facias iuxta omne, quod te docuerint. Iuxta legem, quam docuerint, & iuxta iudicium, quod dicent tibi facies. Non diſcedes a uerbo, quod annuntiauerint tibi, nec ad dextrã, nec ad ſiniſtram.

Iuxta interpretationem uero Chaldaicam, idem locus ita nobis eſt redditus. Et facies ſecundum præceptum, & uerbum, quod annuntiauerint tibi, de loco quem elegerit dominus. Et cuſtodies, ut facias iuxta omnia, quæ docuerint te, Iuxta præceptum legis, quod docuerint, & ſecundum iudicium, quod dixerint tibi facies. Non declinabis a uerbo, quod annunciauerint tibi, ad dextram, nec ad ſiniſtram.

In quib⁹ ſane omnibus, uidetis clariſſima legis uerba, conſonantem eius explicare ſententiam: quæ ſuperbis, inobedientibuſq;, nullam excuſationem, nullum ſubterfugium relinquunt. Et facies, inquit, iuxta uerbum, quod annunciabunt de loco, quem elegerit dominus. Et cuſtodies ualde, ut facias iuxta omnia, quę te docuerint. Videtis,

quantam a nobis in obedientia ſollicitudinem, & diligen-
tiam exigat, Nihil excipit, qui dicit omnia, Necq; huius re-
ſtrictiuum eſt, ſed magis explicatiuum, quod ſubiungitur.
Iuxta legem, inquit, quam docuerint, & iuxta iudicium,
quod dicent tibi, facies, Explicat, quæ nam dixerit omnia.
Quandoquidem de legis præceptis, cæremonijs, aut ali-
quo quod ad legem Dei, ſidem, religionemq; pertinet, eſt
quæſtio aut controuerſia, tunc iuxta legem, quam do-
cuerint facies: hoc eſt, quicquid legis eſſe docuerint, Cum
uero ambiguum aut difficile eſt iudicium cuiuſq; negotij
alterius, quod intra portas tuas rite expediri non potuit,
quodcumq; tunc ius, aut iudicium dixerint, aut ſancie-
rint, facies: tuo nihil in hijs omnibus reſeruans iudicio:
quod uniuerſum, tibi in hijs adimit, dicens, Non declina-
bis a uerbo quodcumq; dixerint tibi, ad dextram, nec ad
ſiniſtram. Quod ſi quis ſuperbierit, nolens obedire impe-
rio ſacerdotis præſidis, morte expiabitur ea contumacia:
quo auferatur malum de medio Iſraël. Nam in totius æc-
cleſiæ confuſionem, & pernitiem redundat, ſi contemna-
tur præſidis, aut rectoris ſacroſancta authoritas, Quæ a
quibuſcumq; geratur, nihilominus intelligimus, quæ ſit
eorum authoritas, conſeruandæ unitati totius æccleſiaſti-
ci corporis prorſus neceſſaria: & quæ nobis, & q̃ arcta
obſequendi eiſdem, impoſita ſit neceſſitas. Non de ſan-
ctis loquitur, ſed de ſacerdotibus, qui domino ſeruiunt
in loco cathedræ: atq; eius præſide, Et ſecuros nos fa-
cit, inuenturos nos apud eos, rei controuerſæ ueritatem,
Et indicabunt, inquit, tibi, iudicij ueritatem. Hæc eſt
etenim prærogatiua primæ cathedræ, non perſonali da-
ta merito, ſed utilitati, neceſſitatiq; totius æccleſiæ. Su-
per cathedram, inquit, Moyſi ſederunt ſcribæ, & Pha-
rizei: quibus tametſi eodem loco toties dicat ue, autho-
ritatem

In totius æccleſiæ confuſionẽ & pernitiẽ redundare, ſi cõtẽnatur a quoq̃ præſidis, aut rectoris ſacroſancta authoritas.

Prærogatiua primæ cathedræ, non perſonali data merito, ſed utilitati

thoritatem tamen eorum ſancroſanctam atq; inuiolabilem nobis commendãs, ita ſubiungit. Omnia ergo quęcunq; dixerint, ſeruate, & facite: ſed ſecundum opera eorũ nolite facere. Nam dicunt bene, & non faciunt bene. Præcipit, ut audis, Chriſtus, idem quod per Moyſen præceptum fuerat: ut & ſequamur, & faciamus, quicquid, ſeu deſiniendo, ſeu præcipiendo, dixerint præſides cathedræ: ut ad primũ, referatur ſequi, aut ſeruare: ad ſecundum facere. Nam præcepta facimus, deſinitiões, et iudicia ſeruamus, et ſequimur. Nec contentus ſuit hoc ipſum præcepiſſe ſimpliciter; ſed addidit geminatæ diſtributionis emphaſim. Omnia ergo quæcunq; ut omnem in nobis tergiuerſationem, detrectationem, exceptionemq; excluderet. Nec tacuit quare tam diſtrictam illis debeamus obedientiam: nempe, quia præſident cathedræ. Ergo inquit ſeruate, & facite omnia quæcunq; uobis dixerint, quia ſedent ſuper cathedram: ut intelligamus, officij quod in ęccleſia obtinent, non uitę, hanc prærogatiuam eſſe.

neceßitatiq; totius eccleſiæ.

Quod ſi Moſaicæ cathedræ hæc fuit a Deo data authoritatis prærogatiua, hoc pręuilegium, in illo ueteri populo, apoſtolicæ cathedræ in Chriſtiana æccleſia, in qua, multo maior fuit eius nęceſſitas, nulla authoritatis prærogatiua erit: nullum ſingularis diuinæ aſſiſtentiæ, in hijs unde totius ęccleſiæ ſalus pendet, præuilegium?

Dictam authoritatis prærogatiuam etiam nunc eſſe in cathedra apoſtolica.

Et quanq;, quæ ad ordinem ęccleſiæ, diſciplinam, hierarchiamq; pertinent, inter ea multa fuiſſe certum eſt, quorũ diſcipulos adhuc carnales, & carnale quoddam Chriſti regnum, ſecundum Iudaicam perſuaſionem hic ſomniantes in terris, uicina morte incapaces idem affirmauit Chriſtus, & ob id ipſum, reſeruauit unctioni ſpiritus.

A minori.

Nihil tamen egiſſe eundem diligentius omnium, ꝙ ut intelligerent, quem pro ſe, & uice ſua hinc ſublatus in cœ

lum, uellet præeſſe ſuo gregi, & familiæ, is clare intelliget, qui diligenter expenderit omnia.

Chriſtum hinc abeuntẽ ad patreme, cõſtituiſſe Petrum, paſtorem, rectoremq; ſui ouis ac familiæ.

Itaq; iam iam aſcenſurus in cœlum, in cæterorum apoſtolorum præſentia, unum Petrum conueniens, immo, & comparatione diſtinguens a cæteris, eidem, etiam tertio repetita commiſſione, ouilis ſui commiſit curam, ac regimen: & rectorem, paſtoremq; eius conſtituit.

Quod faciendo, ut etiam authoritatem ad paſcendam regendamq; familiam ſuam neceſſariam, eidem neceſſario impartitum intelligimus: ita, & omnibus quotquot in ouili Chriſti contineri ſe uolunt, & ex ipſius eſſe familia, obediendi eidem, neceſſitatem eſſe impoſitã: ſine qua, defungi ille non poſſet ſuo officio, pro conſeruanda tamen neceſſaria unitate Chriſti gregis, & familiæ, eademq; in ſuum finem dirigenda, prorſus neceſſario.

Vt antea, etiã hoc ipſum ſe facturum promiſerat. Vniuerſamq; authoritatem neceſſariã, præſidi hierarchiæ æccleſiaſticæ, iamdudum expreſſerat, & conſtituerat.

Ne tamen id ipſum, tunc eſſet inſolens, & nouum apoſtolis cæteris, iam dudum, etiam ante ſuam mortem, nunc clariſſimis hoc uerbis expreſſerat, nunc facto aliquo ſæpe inſinuauerat.

Clariſſime expreſſit, cum illum Simonem, Cepham (quo uerbo uſum Chriſtum & Ioannes teſtatur, & Euangelium Matthei hebraicæ ſcriptum, ut dudum a Munſtero, q̃uis aduerſariæ factionis, eſt æditũ) hoc eſt, etiam eodẽ ipſo, etiam Ioanne interprete, ſaxum, aut lapidem pronunciauit, ſuper quem, affirmauit ſe ędificaturum æccleſiã ſuã. hoc nempe ſignificans, tam̃ neceſſarium ęccleſiæ, quod illi mandaturus erat offitium, q̃ ſit fundamentum ædificio: & quod, quiſquis, cum illo, communionem, & unitatem non ſeruaret, non magis pertineret ad unitatem ſuæ æccleſiæ, q̃, ſi quæ ædificij, pars, a fundamento ſuo diuulſa, diuiſaq; iaceret.

Nõ pertinere ad unitatẽ æccleſiæ, qui non coheret Petro aut q eius locũ tenet in æccleſia.

Subiunxit deinde prærogatiuam, qua illam ipſam

ſuam

ſuam ecclesiam, Petro coniunctam, atq; eius authoritati ita innitentem, uelut fundamento ſuo ædificium, proſequuturus erat: nempe, quod portæ inferorum (quas infidelitatem, & errorem fidei, orthodoxi hoc loco intelligunt) aduerſus eandem præualituræ non ſint. Quam, eandẽ ob cauſam, columnam, & firmamentũ ueritatis prædicat apoſtolus. Nihilominus, illis ipſis uerbis ſuis Chriſtus innuẽs, eas ęcclesias, huius prærogatiuæ non eſſe participes, quæ illius Cęphæ, illius petræ, aut lapidis neceſſarium locum, offitium, & authoritatem, non agnoſcunt in æcclesia: ſed ab eadẽ diuiſæ ſunt. Aduerſus quas omnes, iamdudũ pręualuiſſe illas ipſas inferorũ portas, et ob hoc datas a Deo in direptionẽ, & ſeruitutẽ infidelium, ipſa rei euidentia horrẽdo nobis omnibus, ſi recte rem æſtimem⁹, exemplo, teſtis eſt. *Prærogatiua æcclesiæ, quæ illi Cephæ uelut fundamento innititur.*

Reuerſus deinde ad Cępham illum, petram, ac lapidem, etiam quam illi, qualemq; authoritatem daturus eſſet in ęcclesia, audientibus apoſtolis omnibus explicat.

Et tibi inquit, dabo claues regni cœlorum. Quod regnum cœlorum, hoc loco, intelligat æcclesiam ſuam, indubitatum eſt, ut quam bis decies, in Euangelio, regnum cœlorum appellat. Porro, in clauium traditione, ex more ciuili, traditur domus, caſtri, aut ciuitatis gubernãdę authoritas: & qui, uel æcclesiæ alicuius, uel dom⁹, caſtri, ciuitatis, poſſeſſione, & gubernandi eandem authoritate inueſtiuntur, ut hoc cum clauiũ traditione, acceptationeq; fiat, etiã in hodiernum diem uſus retinet. Hoc eſt ergo, quod illis uerbis Chriſtus, ſub omnium apoſtolorum pręſentia, ſignificauit, uni Petro ſe traditurum authoritatem gubernandi ſuum regnum, aut æcclesiam: quam ubiq; regnum dicens, etiam hoc innuit, uarijs officiorum, magiſtratuumq; ordinibus, ad unum rectorem, neceſſario ordinatam eandem eſſe oportere. Quod perficiendum ſuis *Quid Chriſtus intellexerit in clauibus regni cœlorũ, quas promiſit, deditq; uni ſingulariter Petro, ut æcclesiæ rectori, & paſtori.*

apoſtolis.

apoſtolis reliquit. Has claues, hāc authoritatem, quam hic promiſit, gubernandi regnum ſuum, & æccleſiam, poſt reſurrectionem ſuam, iam iam aſcenſurus ad patrem, tunc dedit Petro, cum eidem terna, ut diximus, commiſſione, eiuſdem curam mandauit, & regimen. Quæ autem huius ipſius authoritatis eſſet energia, & efficacia, conſequenter explicare pergens. Quodcumq;, inquit, in hoc regno meo ſuper terram, ligaueris præceptionum tuarum uinculis, hoc ipſum ita alligatum habebitur a Deo & in cœlis: & quodcumq; ſolueris, ſolutum. Nihil diſtinguit, nihil excipit omnium, ſed quodcumq; illud, fuerit, quod Petro, aut qui eius inter nos gerit officium, & locū tenet, uidebitur ligare, aut conſtituere, ad hoc ipſum obligatos nos ille affirmat coram Deo, de quo, cuiuſmodi ſit, ne in contemptum ſacroſanctæ authoritatis nos habeamus diſcutere, ipſi curæ erit nē malum ſit, aut inutile, cui ſingulari curæ eſt ſua eccleſia: qui ſimplicem in hijs omnibus a nobis obedientiam exigit, Quiſquis ergo regni Chriſti uult eſſe cōciuis & particeps, quisquis demum ille fuerit, intelligit quid ſit ſui officij.

Vt Chriſtus ipſe clauiū illarum energiā expreſſerit.

Hanc eſſe per ſe claram, & non contortam uerborum Chriſti, germanamq; intelligentiā, ut ipſa per ſe uerba plane loquuntur, & explicant, ita omnium orthodoxorū patrum, tam Græcorum, quam Latinorum, omnibus ab initio ſeculis, ex omnibus orbis terræ cardinibus ſcribentium, conſenſu, eam ipſam comprobari, lib. iij. hierarchiæ noſtræ æccleſiaſticæ, luculenter demonſtratum eſt: ad quem remittimus aduerſarios. Vbi, et ſuis aduerſus iſta cauillis omnibus, copioſe ſatisfactum inuenient.

Ad hæc, diuinæ aſſiſtentiæ ſingularem prærogatiuā, & indeflectibilis fidei præuilegium, regni Chriſti, aut æccleſiæ paſtori prorſus neceſſarium, (ut ad quem, una cum ſacerdotali concilio ſecum ſeruientiū domino, in loco quē inter

Vt fulciri oportuit authoritatē Petri in æccleſia ſingu

inter nos elegit dominus, ſecundum illam formam deli-niatam, & expreſſam in umbra illa, & figura noſtræ æccle-ſiæ, ſynagoga ueteri, neceſſario referri debuit omnis inter nos etiam de fide, & religione exorta quæſtio, & contro-uerſia) idem ille nobis commendauit, & de eadem ſecuros reddidit, cum de prælatura contendentibus apoſtolis, poſt plæraque multa, quibus carnalem adhuc ambitionem eorũ benigne repreſſit, uni Simoni, cõmune fratrum, & totius æccleſię periculum, ut eius paſtori, & rectori, denuncians, adiungit ſe rogaſſe pro eodem, ne eius fides deficeret, ut cuius eſſet fratres confirmare in fide, Simon, inquit, ecce ſa-thanas expetiuit uos, ut cribraret ſicut triticũ, Non dicit, te, ſed uos: confratres eius, uniuerſamque æccleſiam, una ſig-nificans. Quid tum denique? Ego autem rogaui, inquit, pro te, ut non deficiat fides tua, Omnes expetitos a ſathana, uni Petro denunciauit ſingulariter: & illi, & alijs, præſenti-bus, & poſteris, ſignificans, omnium curam, ad ipſum præ-cipue pertinere, Proinde, & pro uno ipſo, uelut omnium paſtore, ſingulariter rogauit: ne eius fides deficeret, Et ex-auditus pro ſua reuerentia, uni æccleſiaſticæ hierarchiæ præſidi, ad formam, & modum, quem etiam in ueteri ſy-nagoga expreſſerat, impetrauit indeflectibilis fidei præui-legiũ, Subiungẽs proinde, cuius eſſet in ſubortis eiuſmodi hæretici turbinis fluctibus, ac agitationibus, confirmare fluctuantes fratres in fide. Et tu, inquit, aliquando conuer-ſus, confirma fratres tuos. Omnia hæc, in illud tempus re-tulit, cum poſt domini ſui (quam hic adhuc futuram ſubin-nuebat) abnegationem, poſt conuerſionem rurſus ad eun-dem, ab eodem iam iam aſcenſuro ad cœlum, commiſſionẽ accepit, paſcendi, regendique gregis ſui: ut in eadẽ, & inclu-ſa, & data intelligantur uniuerſa, quamuis ante explicita, quæcumque ad hoc ipſum erant neceſſaria.

lari aſſiſtentiæ diuinæ, & ir-defectibilis fi-dei præuilegio ipſe Chriſtus clariſſime ex-plicarit.

Cõcluſio de catholica æccleſia. Hæc eſt, hæc ab initio fuit, hæc ſemper erit, noſtra, & orthodoxa fides, de catholica Chriſti ęccleſia, Quæ Petrũ, & ſucceſſores eius, ſuos paſtores, rectoreſq;, cum prædicta authoritatis prærogatiua, & ſingulari illo, quod aſtruximus præuilegio, ſemper recognouit, In qua, idem Petrus, & ſucceſſores eius Romani Pontifices, approbantibus orthodoxis omnibus, eandem principalem authoritatem confidentiſſime exercuerunt. Quemadmodum libro iiij. noſtro de hierarchia æccleſiaſtica, clariſſime demonſtratum inueniet, quiſquis hac ipſa de re, certiora exegerit teſtimonia, Ad quos, neceſſariæ breuitati (qua capita tantum quædam argumentorum quorundam hic perſtrinximus) conſulentes, eum ipſum remittimus.

Argumẽta aduerſariorum, pro ſua æccleſia. Reſtat igitur, ut argumentis aduerſariorum reſpondeamus, quibus ſuam illam æccleſiam aſtruunt: Quæ præcipue ducuntur ex uerbis Apoſtoli, qui æccleſiam corpus Chriſti ubiq; facit: cuius ille caput, & nos membra ſimus, de carne eius, & de oſſibus eius. Et ad Epheſios, Veritatem facientes, creſcamus in illo per omnia, qui eſt caput Chriſtus, ex quo totum corpus compactum, & connexũ, per omnem iuncturam ſubminiſtrationis, ſecundum operationem in menſuram uniuſcuiuſq; membri, augmentum corporis facit, in ædificationem ſui in charitate. Ex quo conſtat, ut a capite illius myſtici corporis, per membra eius uniuerſa, uitalis quidã ſpiritus diſcurrat: per quẽ, arcano quodam inſtinctu, ſympathiam, conſpirationemq; inter ſe habeant: per quem & operentur, quodq; quod eſt ſui officij. Sed peccato, pręſertim mortali, obnoxij, uitę illius ſpiritualis expertes ſunt: nullum proinde influxum recipiunt a capite, aut membris cæteris: nec ullam cum eiſdem conſpirationem, ullum conſenſum habere poſſunt, Quare

non

non uidentur pertinere ad illud myſticum Chriſti corpus, hoc eſt, ęccleſiam: nec eius ullo pacto membra eſſe, niſi plane mortua, ac putrida, quæ re uera membra dici non poſſunt corporis.

Præterea, dicit idem apoſtolus, Chriſtum ſe tradidiſſe pro æccleſia, ut illam ſanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in uerbo uitæ, ut exhiberet ſibi glorioſam æccleſiam, non habentem maculam, aut rugã, aut aliquid huiuſmodi: ſed ut eſſet ſancta, & immaculata, Ex quo conſequens uidetur, mortalis peccati maculam eſſe nõ poſſe in membro æccleſiæ.

Ad hæc, æccleſiam eſſe regnum Chriſti, diſtinctum a regno diaboli: quemadmodum doceri uolunt ab Apoſtolo, ad Epheſios ij. cum ait, diabolum efficacem eſſe in incredulis. Et ij. ad Timo: ij. Quod teneantur captiui a diabolo, ad ipſius uoluntatem.

Poſtremo, quod noſtra æccleſia, pleraq; afferat, quæ euertant fidem orthodoxam, & catholicam, Cuius hæc exempla ſubijciunt, Quod damnamus eorum ſententiã, de fide illa ſua ſpeciali, cui uni remiſſionem peccatorum, & iuſtificationis gratiam acceptam referant, In quo nos arguunt erroris pernitioſi, & manifeſtarij.

Item, quod doceamus, mereri homines remiſſionem peccatorum, dilectione erga Deum, etiam ante gratiam: & proinde, tollamus fundamentum Chriſtum, Item, Quod ſacramenta ex opere operato, ſine bono motu utẽtis iuſtificent.

Hijs inquam, ut reſpondeamus. Si dixerimus, inquit ille, quoniam peccatum nõ habemus, ipſi nos ſeducimus, & ueritas in nobis nõ eſt. Peccatores plæroſq;, etiam mortali peccato obnoxios, eſſe uera membra æccleſiæ, & per quæ, uis illa uiuifici ſpiritus, a capite Chriſto ad totius cor- *Reſponſio.*

poris utilitatem uere influit, etiam in membra alia, ſupra a nobis ſatis demonſtratum eſt.

Eccleſiã corpus eſſe, cuius caput Chriſtus & etiam peccatores mẽbra

Quod ergo ex apoſtolo inducitur, Eccleſiam, unum quoddam eſſe corpus, cuius caput Chriſtus, & nos membra eius, uelut de carne, & oſſibus eius, libenter amplectimur: æque & illud, ut a capite illius corporis, uitalis quidã ſpiritus influat per membra ſingula: per quem operentur, quodq; quod eſt ſui officij. Sed hijs, quod ſubſumitur, Peccatorem prorſus expertem, uitæ ſpiritualis illius miſtici corporis, & proinde nullum influxum recipere a capite, aut membris cæteris: nullam cum eiſdem conſpirationem, conſenſumq; habere, euidenter falſum coarguit peccatorum in æccleſia miniſterium. Qui, niſi eiuſmodi influxum recipiant a capite, & membris cęteris, ſecundum rationem ſui ordinis & officij, influant, inutiliter, inefficaciterq; adminiſtrarent ſacramenta in æccleſia.

Peccatorẽ nõ eſſe plane expertẽ uitæ ſpiritualis illius myſtici corporis, et influxus a capite.

Qualis intelligenda ſit uita totius corporis æccleſiæ, ut eiuſmodi.

Neq; enim intelligẽdum eſt, uniuerſum illud corpus, quatenus eiuſmodi, uiuere uita charitatis, aut gratos nos Deo facientis gratiæ, ſed alia quædam eius, ut totius, uita intelligenda eſt, quam ad ędificationem totius, influit mẽbris, caput Chriſtus, per ſpiritũ ſuum: quo facit totius connexionem, & compaginem quandam in unum fidei ſacramentum, unam Chriſti familiam, unum gregem, unum ouile, ſub paſtore uno: Et cuiq; membro propriam, conuenientemq; operationem diſtribuit: ad totius augmentum, in ædificationem cuiuſq; membri, in charitate: quæ huius compoſitionis finis eſt, Sicut inquit, Apoſtolus, in uno corpore, multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent: ita multi, unum corpus ſumus in Chriſto: ſinguli autem, alter alterius membra: habentes donationes, ſecundum rationem fidei:

ſiue

ſiue miniſterium in miniſtrando: ſiue qui docet, in doctri-
na, qui exhortatur in exhortãdo. Et rurſus, Diuiſiones gra
tiarum ſunt, idem autem ſpiritus: & diuiſiones miniſtratio
num ſunt, idem autem dominus: & diuiſiones operationũ
ſunt, idẽ aut Deus: qui operatur omnia in omnibus, Vni-
cuiq; autem datur manifeſtatio ſpiritus, ad utilitatem to-
tius corporis: alij quidem per ſpiritum, datur ſermo ſapien-
tiæ: alij autem ſermo ſcientiæ ſecundum eundem ſpiritum:
alteri fides in eodem ſpiritu: alij operatio uirtutum: alij pro
phętia: alij diſcretio ſpirituum, alij genera linguarum, alij
interprætatio ſermonum. Hæc autem omnia, operatur un⁹
atq; idem ſpiritus: diuidẽs ſingulis, prout uult, & efficiens,
ut quodq; membrum indigeat opera alterius: ne eſſet, in-
quit, ſchiſma in corpore, ſed in idipſum pro ſe inuicem ſolli-
cita eſſent membra: & compaterentur, congauderentq; in-
uicem: & quoſdam, inquit, poſuit Deus in ęcleſia, primũ
Apoſtolos: ſecundo Prophętas: tertio doctores: deinde uir
tutes, exinde gratias curationum, opitulationes, guberna-
tiones, genera linguarum, interprærationes ſermonum.

Audis itaq; corpus ęccleſiæ, & eius membra: audis eo-
rundem membrorum functiones, quas a capite in ea influit
ille Chriſti uitalis ſpiritus. Quæ tamen, non neceſſario prę-
ſupponunt, nec requirunt in illis ipſis membris, quorum
functiones ſunt, uitam charitatis & gratiæ. Poſuit, inquit,
Deus in æccleſia primum apoſtolos, Sed nũquid etiam Iu
das non erat Apoſtolus? & licet ſceleratus & auarus, in hoc
electus a domino, forte, ut iſtorum, quam præuiderat, im-
pietatem confunderet, An tu, inquit ille Bernardus, de il-
lius apoſtolatu dubitas, quem elegit dominus? Nonne ego
inquit, uos duodecim elegi, & unus ex uobis diabolus eſt?
Audis eundẽ electũ eſſe apoſtolum, & extitiſſe diabolum:
& negas qualemcumq; membrũ eſſe poſſe æccleſiæ, quod

non uiuat uita charitatis,& gratiæ? Nunquid petrus apoſtolatu excidit,poſtq̃ ſuum ter abnegauit dominum? Poſuit,inquit, Deus, primum apoſtolos,ſecundo prophetas, tertio doctores,deinde uirtutes,exinde gratias curationũ. Sed nunquid non ſunt multi dicturi in die illa. Domine, domine nonne,in nomine tuo prophetauimus,& in nomine tuo dæmonia eiecimus,& in nomine tuo multas uirtutes fecimus? Et tunc, inquit, confitebor illis, quia nunq̃ noui uos. Diſcedite a me operarij iniquitatis. Nunquid ergo adhuc dubitas, diuiſiones,ac donationes illas gratiarum,quas ad totius corporis utilitatem,æccleſiæ membris ille ſpiritus influit,etiam malæ uitæ, & operarijs iniquitatis diſtribui,& per eoſdem,ſi non in ſuam,in aliorum tamẽ utilitatem exerceri?

Itaq; Pontifices,& ſacerdotes omnes,legitima ordinatione ſedentess in cathedra apoſtolica, & ab eadem ordinationẽ habẽtes,q̃ diu ſuam ſtationem retinẽt,& in ſua quiſq; uocatione permanet membrũ æccleſiæ, nec ab eius unitate ſe ſæparat,recipiũt influxum ſancti illius ſpiritus,quo, per eorum miniſteriũ, in æccleſia remittuntur peccata: tametſi ipſi mali ſint,& iniquitatis operarij. Ad omnes enim illos pertinet, Accipite,ſpiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata remittuntur eis. Accipite, inquit, ſpiritum ſanctum,non,quo uos ſancti ſitis,ſed per quem aliorũ peccata ueſtro remittantur miniſterio. Vt doceret, non miniſtri merito,ſed per eorum miniſterium (quod idem eſt bonorum,& malorum omnium) ſpiritus s. operatione, qui & ipſe idem eſt,hæc fieri in ſalutem fidelium,& augmentũ æccleſiaſtici corporis,& in ædificationem uniuſcuiſq; mẽbri in charitate.

Falſum eſt ergo,peccatorem,etiam mortali peccato obnoxium,nõ eſſe capacem influxus illius Spiritus, qui a capite

pite illius myſtici corporis diffuſus, membris ſingulis ſuas functiones tribuit:nullum uitæ habere offitiũ:nullam conſpirationem,aut ſympathiam cum membris reliquis.

Ad id quod ſecundo loco adducitur ex apoſtolo. Confitemur, quod Chriſtus ſe ipſũ tradiderit pro æccleſia ſua, ut illam ſanctificaret,mundando eam lauacro aquæ in uerbo uitæ,& exhiberet ipſe ſibi glorioſam,non habentem maculam,necrugam: Non quidem in præſenti,q̃ diu eſt in hac militia,q̃ diu ſtat in procinctu, in acie:hac ſaucia, illic cicatricoſa, obſita ſudore & puluere,& a ſolis æſtu decolorata:q̃ diu inquam hic expurgatur ab illa peccati ſcoria,& malos una cum bonis, intra ſagenam ſuam permixtim incluſos retinet:neq; ullos perpetuo bonos,ſed uelut in lubrico decertantes, nunc cadentes, nunc reſurgentes, nunc ex genu pugnantes,Sed facta tandem ſæparatione in littore maris,angelico miniſterio, & recollectis bonis piſcibus, in uaſa,foras abiectis malis,tum demum eam accipiet uir ille ſuus Chriſtus,glorioſam,non habentem maculam,aut rugam,aut aliquid eiuſmodi, ſed ſanctam,& immaculatam.

Quomõ Chriſtus ſe tradiderit pro ſua ecceleſia,ut illam ſanctificaret.

Quod ęccleſiam dicunt regnum Chriſti,diſtinctum a regno diaboli,confitemur,& nos. Sed hoc negamus, peccatores omnes mortali peccato obnoxios,eſſe membra regni diaboli. Nam ad regnum diaboli, eos tantum pertinere dicimus,qui ſunt extra ſepta ouilis catholicæ æccleſiæ, In quos ille plenum dominium obtinet, & quos totos poſſidet. Cuiuſmodi ſunt, in primis infideles,& increduli:qui ignorant Deum. Sunt hæretici,oppugnatores ueritatis,& fidei,& doctrinæ catholicæ æccleſiæ. Sunt ſchiſmatici, qui ſe ſępararunt ab unitate regni Chriſti,et ouile eius deſerũt, nolẽtes cõmunibus nobiſcũ legib⁹ uiuere,nec ſubeſſe eius rectori,quẽ ille nobis cõſtituit. Sũt poſtremo,quos extra ęccleſiã fecit cẽſurę ęccleſiaſticę ſeueritas,et tradidit ſathanę.

Eccleſia Chriſti regnum,in quo etiam hic partem peccatores obtinẽt.

Non oẽs peccatores pertinere ad regnũ diaboli.

Et qui?

Intra

Intra ſepta ouilis Chriſti manentibus, quibuis peccatoribus, mali tamen ſui ſenſus ademptus non eſt, ſed intus accuſat, torquet, reuocat miſera conſcientia, ſubleuantur adhuc ſympathia ſanorum membrorum eiuſdem corporis: ijſdem ad correctionem adhuc ualet, & uiget æccleſiaſticæ diſciplinæ ſæueritas: parata ſunt inſuper, oblataq; peccatorum remedia efficacia. At quos extra arcam illam myſticã, uel offendit, uel quoquo colore, quaqua perſuaſione ad ſe illexit ſerpens ille callidus, præcipitatos in perditionis barathrum, hos totos ſecurosq; poſſidet. Nam, cum extra ęccleſiam nulla ſit peccatorum remiſſio, ſed deſperatio, non uidentur tamen ſibi deſeruiſſe, immo tum primum inueniſſe æccleſiam, cum deſeruerunt ęccleſiam: inueniſſe Chriſtum in deſerto, in angulis, & penetralibus, in quæ ſeducti ſunt. Proinde nullo ſui mali ſenſu tanguntur: & eo iam ſunt loco, ut non ſolum nullum ipſis remedium peccatorum pateat, ſed etiam, ut illa ipſa remedia, intus manentibus ſalutaria, eiſdem ſint toxica, & lethalia. Adeo, ut mortem pro cõfeſſione Chriſti nominis patienter, libenterq; perpeſſam ab hæretico, aut ſchiſmatico, glorioſus ille martyr, & doctiſſimus Epiſcopus Cyprianus, audacter pronunciet eidem eſſe, non confeſſionis coronam, ſed pœnam perfidiæ. Recte ergo hos regno deputamus diaboli.

Confirmatio noſtræ ſententiæ ex uerbis Apoſtoli quæ aduerſus nos inducunt aduerſarij.

Nihil hijs contradicit, ſed potius conſentit Apoſtolus. Nam ad Epheſios ij (quo loco citatur) dicit incredulos, & filios diffidentiæ, qui in Deo ſpem nullam collocant, pertinere ad regnum diaboli: & in ipſis, uelut in membris ſuis, illum libere operari. Quod ipſum, etiam nos dicimus. At ij. ad Timo. ij. dicit reſiſtentes ueritati orthodoxæ, & catholicæ fidei, nempe hęreticos, captiuos detineri a diabolo. Quod & nos quoq; confitemur, Sed nuſq; hoc dicit in uniuerſum de peccatoribus omnibus, etiã peccato mortali obnoxij

noxijs, quę diu intra ouilis Chriſti ſepta, ſub paſtoris, & rectoris eius cura, & regimine ſe continent.

Poſtremò, in quibus nos, noſtramque æccleſiam falſæ fidei arguunt aduerſarij, ſunt eiuſmodi, ut nos ipſorum pudeat: Et miramur, quod ipſos ſui non pudeat, Cur damnemus eorum de fide, remiſſione peccatorum, & iuſtificatione hominis ſententiam, iam illis rationem reddidimus: quā niſi coarguerint, non querātur inique ſe damnari a nobis: nec dicant errorem manifeſtarium, & pernitioſum, noſtrā ea in re ſententiam.

In quibus æccleſiam noſtrā falſæ fidei coarguāt aduerſarij.

Quod nobis affingunt a nobis doceri, mereri homines remiſſionem peccatorum, per actum dilectionis Dei ante gratiam, & proinde Chriſtum proſcribi a nobis in iuſtificationis negotio, eſt impudens mendacium, & quod, euidenter coarguit noſtra de iuſtificatione hominis, quam ſupra explicauimus, confeſſio. Nec ſatis mirari poſſumus, qd illis in mentem uenerit, hac in re, in aſſertione ſuæ fidei, coram imperatore, & imperij Principibus, immo, corā uniuerſo orbe terrarum, cui magno ſtudio ſua hæc ingeſſerūt, tam euidentibus, atque impudentibus mendacijs agere, Ad quam monetam, etiam illud pertinet, quod dicunt doceri a nobis. Sacramēta ex opere operato, ſine bono motu utētis iuſtificare hominem, ſi de adultis intelligant. Nam paruulos nondum alicuius boni motus capaces, baptiſmi ſacramento iuſtificari, & ipſi nobiſcum confitentur.

Impudentia, quę nobis affingūt mendacia.

Et hactenus de catholica Chriſti ęccleſia, & noſtra orthodoxa ac catholica, & aduerſariorum ſententia contraria, quamuis breuiter, ita tamen explicata eſt, ut nihil reformidet æque iudicis iudicium: immo, ut pene audeat, aduerſariorum appellare ſententiam.

Peroratio.

De humanis traditionibus, quæ in Apologia hic dicunt falſa, & impia, ut pene nuſquam apud ipſos non recur-

runt, ita proprio loco ſemel excutienda ſunt, in quem, & hæc, & uniuerſa, quæ interim occurrent huius loci, (ne more ipſorum idem repetamus bis decies) reſeruanda ſunt.

DE EVCHARI- STIAE SACRAMENTO, AN IN EA MA- neant panis, uiniq; ſubſtantiæ.

Controuerſia Quarta.

Proponuntur capita controuerſiarum omniũ, quæ circa Euchariſtiam ſunt inter aduerſarios, & catholicos.

TAmetſi nullum Chriſtianę religionis ac doctrinæ dogmatum omnium, abſit longius a captu humanæ rationis colligatæ ſenſibus, uno eo, quod eſt de ſacramento Euchariſtię: nullum, plura ſecum trahat, & includat ſtupenda, & miracula: nullũ, quod tantum negocij in ſui ſide rationi exhibeat: Aeque tamen nullum omnium minus patuit hæreticorum uexationibus, blaſphemijs, & iniurijs: hoc ita ordinante diuina erga nos miſericordia, Quę in uno hoc, maxime omnium, & ſingulariter, ſuam erga nos charitatem commendauit: ſuę in nos gratię dona copioſiſſime effudit: in uno, ſingulari quodam modo operatur in nobis, uis illa oblatę pro nobis in ara crucis, ſalutaris illius hoſtiæ, & effuſi præcioſiſſimi ſanguinis: quo, in eo, non ſolum utcumq; aſpergimur, immo, toti tingimur, & immergimur: immo paſcimur, & reficimur, atq; illi noſtro capiti, mirabili quodam, ſtupendoq; modo, etiã ſubſtantialiter unimur: ut non immerito, inter omnia, quæ ſalutis aſſequendæ media, diuina nobis miſericordia inſtituit, unũ omnium, Euchariſtiæ, hoc eſt, bonæ gratię, ſibi nomen uendicauerit.

Vt de uno omnium Euchariſtiæ ſacramento minus controuerſiæ fuerit in æccleſia.

Itaq; ad Berengarium uſq;, quendam Andegauenſis æccleſiæ archidiaconum, (cuius impietas, ſub Leone eius nominis nono, anno quinquageſimo primo, ſupra milleſimum, Vercellen, atq; etiam Tironen. concilijs damnata eſt) nulla omnino de ea hęreſis legitur, Sed omnium; tam orthodoxorum, ꝙ hæreticorum, eo uſq; una hæc ſemper

Vt primus Berengarius, de Euchariſtia impie ſenſerit.

Catholica ſententia de Euchariſtia.

fides extitit, nempe, conſecratis in menſa dominica per ſacerdotum miniſterium, pane & uino, diuina uirtute uerti eorum ſubſtantias in Chriſti corpus, & ſanguinē. Opinor, propter tā clara Chriſti uerba, quę deſcribuntur ab Euangeliſtis, & Apoſtolo, Quippe, quem nouiſſima cœna, accepto, & benedicto pane, diſtribuiſſe diſcipulis ſacramētū ſub hac aſſeruatione & conteſtatione, conſonanter, & cōſtanter affirmant, Accipite, & manducate: hoc eſt enim corpus meū, quod pro uobis tradetur, Similiter de calice, Bibite ex hoc omnes: hic eſt ſanguis meus noui teſtamēti, qui uobis effundetur in remiſſionem peccatorum, Accepit panem, & uini calicem, At poſt benedictiōem, hoc ipſum quod porrexit diſcipulis, affirmauit eſſe ſuum corpus, & ſanguinem: nec affirmationi ueritas defuit, Vnde euidenter conſequens eſt, Illud ipſum, non fuiſſe ſimul panem, & uinum, Cum euidentem contradictionem implicet, eſſe aliqua eſſentialiter, & ſubſtantialiter diuerſa: atq; eadem, ſimul eſſe eſſentialiter, & ſubſtantialiter eadem; ut quod bos, & aſinus, utrumq; manens quod erat, unum nihilominus ſit alterum. Ex quo axiomate, per ſe euidenti, & mentibus omnium, quibus mentis aliquid ſupereſt, naturaliter inſcripto, Chriſti uerbis ante omnia firmiſſime credentes, eatenus orthodoxi omnes intellexerant, conſecratione perfecta ſacerdotali miniſterio, diuina uirtute tranſſumi, & uerti propoſitas illic panis uiniq; ſubſtantias, in corpus Chriſti, & ſanguinem. Quam, unam eatenus omnium ſententiam; primus ille, homo (quod ſcripta eius palam loquuntur) temerarius, & arrogans, nulla ſcripturarum doctrina ſolida inſtructus, ſed garrulitate, & loquacitate quadam dialectica, aut ſophiſtica uerius, tumens, ac ſibi placens, nominis & gloriæ cupidus, impugnare, & apud ſuos docere cœpit, poſt conſecrationem

Cur crediderint ſemp omnes, trāſſumi, aut tranſſubſtantiari panis & uini ſubſtātias.

panis

panis & uini in altari, æquę ut prius, remanere eorundem ſubſtantias, Chriſti uero carnem, & ſanguinem propterea uocari, quod in memoriam crucifixæ carnis eius, & de latere effuſi ſanguinis, in æccleſia celebrentur. Sed nimis impudens nouitas, aduerſus tam conſonam toto orbe, tot ſœculorum conſenſione firmatam catholicæ æccleſiæ ſententiã, ſectatores non inuenit: adeo, ut etiam idem ille Berengarius, in publico concilio, ſuam ipſe impietatem illam recantare, & anathematizare coactus fuerit.

Berengarij palinodia.

At aliquot poſt ſœculis Anglus quidam, Ioannes Vuiclefus, & alter eiuſdem nominis Huſſita, illius diſcipulus, nouitatum captatores, inter alia q; plurima impia, & hæretica dogmata ſua, quæ, merito damnata in Conſtantienſi concilio, in æccleſiam introducere conati ſunt, etiam hoc aſſeruerunt, in Euchariſtia permanere panis, & uini ſubſtantias: & nihilominus in eadem, eſſe ueritatem corporis Chriſti & ſanguinis. Quorum ſententia, etiam Luthero placuit. Cui quidem contra apertiſſima, & clariſſima Chriſti uerba, negare in ea uerum Chriſti corpus & ſanguinẽ, uiſum non eſt: at contempto illo, quod ſupra diximus, euidenti, & per ſe noto axiomate, panem manentem quod prius fuit, fieri, & eſſe uerũ Chriſti corpus, & uinum ſanguinem affirmat: tam ſane probabiliter, ac ſi hominem, lapidẽ, aut lignũ diceret: utriq; uere cõſiſtẽte ſibi ratiõe ſua ꝓpria.

Vuiclefi & Hußi ſententia, permanere in Euchariſtia panis, & uini ſubſtantias, cũ ueritate Chriſti corporis, et ſanguinis.

Lutherus illorũ diſcipulus.

Ex cuius ſchola, ut quæ libertatem proponit & docet omnibus, ſentiendi de dogmatibus doctrinæ Chriſtianę quod cuiq; ex ſcripturis uiſum fuerit, quas quiſq; ſuo ingenio intelligit, etiam Oecolampadij, Zuuinglij, ſacramẽtarij, atq; eiuſmodi peſtes, hac in re illo peſtilentiores prodiere. Neq; enim omnes in una Lutheri ſententia acquieſcere dignũ ducunt, aut ſuſtinent: nec quieſcere poteſt impietas, nec eodem loco ſubſiſtere. Quemadmodum adhuc ſingulis dies

Ex Lutheri ſchola quæ peſtes prodiere.

bus prodeunt, qui in dicta Lutheri opinione, uelut certatim comminiſcuntur, quiſq; præ alio abſurdius aliquid, ut quibus, eo uſq; in Euchariſtia maneat corporis Chriſti, & ſanguinis ueritas, quo ad ipſis uidetur: tam certo, his de rebus, ex ſuo capite ſtatuere, ac deſinire audentes, ac ſi ex ipſorum præſcripto, & ſententia, uniuerſa ageret Chriſtus, & diuinus ille ſpiritus.

Vt omne nobis ſacrificium auferunt.

Sed nec Lutherus, in dicta Vuiclefi et Huſſitę, impia acquieuit ſententia, quinimo, nouæ, quod illis adderet, impietatis plurimum inuenit, ut una hac re ingenioſus eſt, Siquidem, non uult Euchariſtiam habere poſſe rationem ſacrificij, ut quæ ad hoc inſtituta nõ ſit, ut ipſam offeramus deo, nec quicquam ualere poſſit, uelut ex opere operato, ulli pro quo offertur, ſed tantum ijs qui ipſam participant ex fide: per quam aſſequantur, ſumentibus promiſſam in eadẽ, remiſſionis peccatorum & iuſtificationis gratiam. Qua in re ſatis concordes diſcipulos ſuos, noſtros aduerſarios habet. Qui uelut coniuncta manu, horrendis blaſphemijs miſſas noſtras proſcindunt, ac lacerant, quod in eis Euchariſtiam ſacrificium faciamus: quod eam offeramus pro ſalute æccleſiæ: pro uiuis, & mortuis. Qua præcipuæ de cauſa, etiam utrumq; canonem, ex miſſa expunxerunt. Miſſas proinde priuatas, in quibus ſolus ſacerdos offerat, & communicet, execrantur, uelut factas contra inſtititutionem Chriſti: ut quas ille, cõmunionis tantum populi cauſa celebrari inſtituerit: ſolas relinquentes publicas, ad unã communionem populi, ſine qua, miſſam celebrari nefas uolunt.

Vt miſſas noſtras proſcindant ac lacerent.

Vt priuatas execrentur.

Vt populi cõmunionem ſub utraq; ſpecie neceſſariã doceant.

Sed & in ipſa communione populi, locum impijs ſuis adinuentionibus, ac nouitatibus inuenerunt: ut quam docent ex Chriſti mandato, atq; inſtitutione, neceſſario ſub utraq; ſpetie fieri oportere. Et damnant Romanam æccleſiam,

ſiam,& nos illi conſentientes ,tanq̃ pugnantes cum Chriſto, qui ſub panis tantum ſpetie communicamus populum.

Quin & hoc,ad Dei irriſionem pertinere cõtẽdũt,quod Chriſtum adoramus, atq; illi ſupplicamus in Euchariſtia, & cum omni honoris,& reuerentiæ ſignificatione,atq; exhibitione eandẽ ingeramus populo. In qua,etſi uere,& realiter illũ præſentẽ nõ negant,non tamen ad hoc inſtitutam uolunt,ut in ea adoretur,aut ipſi ſuplicetur, ſed ut in ea ſumatur,& manducetur Chriſtus. De quo, tametſi in confeſſione ſua nihil dixerint, hic tamen præterire uiſum non eſt. Quod et cõmunis ſit illorum omniũ,& plena blaſphemiæ,& maximi ſcandali diſſenſioniſq; a nobis,iſta ſententia.

Vt Dei irriſioni deputẽt qđ Chriſtum adoremus in Euchariſtia.

Hæc ſunt præcipua capita controuerſiarum inter aduerſarios,& nos,ſacramentum Euchariſtiæ concernentiũ.

Quæ tametſi in confeſſione ſua a ſe longe diſiunxerint, uiſum tamen eſt,breuitatis & claritatis gratia eaſdem excutere hoc ordine,a prima facientes initium.

NOn remanere in Euchariſtia,panis uiniq; ſubſtantias,ex Chriſti uerbis clariſſime conſtare,ſi illis adiungas axioma illud per ſe euidens, & mentibus omnium naturaliter inſcriptum, quibus tamen mentis aliquid ſupereſt, Fieri non poſſe, ut ſint aliqua eſſentialiter, & ſubſtantialiter diuerſa: atq; eadem ſimul, eſſentialiter, & ſubſtantialiter eadem, paulo ante euidens fecimus. Nã quãdo ex Chriſti uerbis conſtet, hoc q̃d diſtribuit diſcipulis, fuiſſe uerum Chriſti corpus,& ſanguinẽ, ex dicto axiomate, conſtat,idem ſimul non fuiſſe panem, & uinum. Cui ſententiæ,ſi demonſtrauerimus ſubſcribere fidẽ catholicę ab initio per orbẽ ęccleſiæ,nec nuper excogitatã,

Non remanere in Euchariſtia panis uiniq; ſubſtantias.

& intro

& introductam a ſcholaſticis, ut ille ſibi falſiſſimo perſuadet, non puto dubitaturum quemquam, qui modo mentis & rationis compos eſt, hanc ne, an potius illius, ipſi rationis euidentiæ, atq; adeo primo principio aduerſantem ſententiam, qua affirmat panem remanentem quod fuit, eſſe nihilominus uere Chriſti corpus: & uinum ſanguinem.

Quam fidem catholicæ æccleſiæ Lanfrãcus protulerit aduerſus Berengarium.

Inprimis, quod ante annos quingentos (quo tempore primus ille Berengarius impietatis ſuæ uæneno catholicam æccleſiæ fidem de Euchariſtia inficere conatus eſt) ea fuerit toto orbe una, & conſentiens fides, & ſententia, euidenter conuincitur ex Lanfranci, Cantuarieñ. Archiepiſcopi, uiri non minus pietate, q̃ eruditione ſingulari, qualẽ ea ferebant ſœcula, inſignis, ad eundem Berengarium epiſtola: Siquidem doctinæ nouitate etiam perlata in Angliam, non potuit orthodoxus, & catholicus Epiſcopus ſuo deeſſe officio, ſed illam ſcripto (cum terrarum, mariumq; immenſis diuiſi ſpacijs non poſſet coram) reuocare conatus eſt ad mentem ſanam, & fidem catholicam. Eandem illi ante omnia proponens, & ad memoriam reuocans, & quæ tunc erat, & eatenus ab initio fuerat, catholicæ toto orbe ęccleſiæ. Quę, inquit, credit terrenas illas ſubſtantias, quæ in menſa dominica per ſacerdotale miniſterium diuinitus ſanctificantur, ineffabiliter, incompræhenſibiliter, & mirabiliter operante ſuperna potentia, conuerti in eſſentiã dominici corporis, & ſanguinis, reſeruatis ipſarum rerum ſpeciebus, & qualitatibus. Ne uidelicet, in proprio illo ſuo modo, ac genere ea percipiẽtes Chriſti fideles, cruda & cruenta horreſcerent: ut & credentes, fidei præmia ampliora perciperent: ipſo nihilominus dominico corpore, permanẽte in cœleſtibus ad dextram patris, inuiolato, integro, incõtaminato, illæſo: nempe, impaſſibili, & imortali. Vt uere utrũq; dici poſſit, et ipſum corpus quod de uirgine ſumptũ eſt: atq;

eſt: atq; ipſum ſanguinem, qui in ara crucis pro nobis effuſus eſt, ſub ſpeciebus panis, & uini nos ſumere: et quodammodo, non ipſum: Ipſum quidem, quantum ad ueræ, utriusq; naturæ eſſentiã, proprietatem, & uirtutem: nõ ipſum autem, ſi modum illum ineffabilem ſpectes, quo ſub alienis ſpeciebus mirabiliter, & incomprehenſibiliter latitat. Hæc, inquit, fides eſt, quam tenuit a priſcis temporibus, & nunc tenet æccleſia, quæ per totum orbem diffuſa, catholica nominatur, Hanc Latinos, hanc Græcos, hanc Armenos magno conſenſu ſequi affirmat. Et quod uerißime hęc affirmet, certius intelliges, ſi ex præcedentibus ipſum, & ex alijs orbis terræ regionibus, & cardinibus, orthodoxorum patrum, ea ipſa de re, ſcruteris teſtimonia.

Quæ docuerit Theophilactus.

Theophylactus ille, Bulgarorum Epiſcopus, aliquot ſæculis ante dictos Lanfrancum, & Berengarium, exponens illud Ioañis. Panis quem ego dabo, caro mea eſt, quã ego dabo pro mũdi uita, Attende, inquit, quod panis, qui a nobis in myſterijs manducatur, non eſt tantum figuratio quædam carnis domini: ſed ipſa caro domini, Non enim dixit. Panis, quem ego dabo, figura eſt carnis, Transformatur enim arcanis uerbis, panis ille, per myſticam benedictionem, & acceßionem ſpiritus ſancti, in carnem domini, Et ne quem conturbet, quod credendus ſit panis, caro, hoc eſt, factus caro, Etiam in carne ambulante domino, & ex pane alimoniam admittente, panis ille, qui manducabatur, in corpus eius mutabatur, & ſimilis fiebat ſanctæ eius carni, & in augmentum, & ſuſtentationem conferebat, iuxta humanum morem, Itaq;, & nunc panis in carnem domini mutatur. Et quomodo, inquit, non apparet nobis caro, ſed panis? Vt non abhorreamus ab eius eſu. Nam ſiquidem caro apparuiſſet, inſuauiter affecti eſſemus erga communionem. Nunc autẽ condeſcendente do

mino noſtræ infirmitati, talis apparet nobis myſticus cibus, qualibus alioqui aſſueti ſumus, Hæc ille Bulgarorum Epiſcopus, non Romanus, aut Latinus, ſed græcus, trecentis circiter annis ante Berengarium & Vercelleñ Concilium. Floruit enim ſub Nicolao primo Romano Pontifice, tempore octaui Concilij uniuerſalis, Quo referente, intelligis eo ſæculo, hoc eſt, ante annos circiter octingentos, de ſacramento Euchariſtiæ idem crediſſe Græciam, Thraciam, Bulgariam, quod Lanfrancus ex Anglia, aduerſus Berengarium affirmauit, & ſuo illo ſæculo creditum fuiſſe a catholica toto orbe æccleſia, Latinis, Græcis, Armenis, omnibus denicꝫ: & quod, etiam ante ſua ſæcula, a priſcis temporibus: nempe, diuina uirtute mutari, transformaricꝫ panem in corpus CHRISTI, & uinum in ſanguinem.

Quã, Ioannes ille Damaſcenus.

Cuius, & alium teſtem audi, ex alio orbis terræ cardine, & alio ſæculo, æque tamen Græcum, Ioannem illum Damaſcenum, uita, eruditionecꝫ admirabilem, & inſignem Theologum, Qui ſuo illo tempore, in medio Oriente habitans, uniuerſa pene Chriſtianæ religionis dogmata & ſententias, libris quatuor, quos inſcripſit de ſide orthodoxa, doctiſſime explicans, libro quarto, eius cap. xiiij. etiam de Euchariſtiæ ſacramento orthodoxam catholicæ æccleſiæ fidem pie admodum, & luculentiſſime enarrauit. De eo uero, quod nunc controuertitur inter nos & aduerſarios, ita habet, poſt explicatam ſacræ cœnæ hyſtoriam,

Si igitur uerbum, inquit, Dei, eſt uiuum & efficax, & omnia quæcumcꝫ uoluit Deus fecit: ſi dixit, fiat lux, & facta eſt lux: fiat firmamentum, & factum eſt: ſi uerbo Dei ſirmati ſunt cæli, & ſpiritu oris eius, omnis uirtus eorum: ſi

cœlum

cœlum, terra, aqua ignis, & aer, & omnis ornatus eorum, uerbo Dei perfecta ſunt, & homo ipſe: ſi uolens ipſe Deus uerbum, factus eſt homo, & ex ſanctæ uirginis puriſſimis & illibatiſſimis ſanguinibus, in ſeipſo, ſine ſemine, carnem ſuſtentauit, non poteſt panem, ſuum ipſius corpus facere, & uinum, atque aquam, ſanguinem? Et poſt aliqua, Nam quemadmodum omnia, quæ fecit Deus, ſpiritu ſancto cooperante fecit, ſic & nunc, ſpiritus ſancti operatione hæc ſupra naturam operatur: quæ non poteſt cognoſcere, niſi ſola fides. Quomodo ſiet mihi iſtud, dicit ſancta uirgo, quoniam uirum non cognoſco? Reſpondit Gabriel Archangelus, Spiritus S. ſuperueniet te, & uirtus altiſſimi obumbrabit tibi, Itaque ſi & nunc interrogas. Quomodo panis fit corpus Chriſti, & uinum & aqua ſanguis Chriſti? Reſpondeo & ego tibi, Spiritus S. obumbrat, & hæc ſupra ſermonem & intelligentiam operatur. Panis autem, & uinum tranſſumuntur. Hactenus Damaſcenus ille, qui uixit ſub Leone primo, Imperatore Conſtantinopolitano, a quo primo bellum illatum eſt diuorum imaginibus, & orthodoxis mota, eam ob rem grauiſſima perſequutio, cuius idem iſte Damaſcenus expers non extitit, Quo teſte, ex medio oriente audis, quæ & eo ſæculo fides fuerit catholicę æccleſiæ: eandem nempe audis, quam aduerſum Berengarium exponente Lanfranco, audiſti. Non ſolum, uerum in ea corpus, & ſanguinem domini nos ſumere: ſed etiam tranſſumi panem & uinum, & tranſmutari in corpus eius, & ſanguinem: atque adeo panem fieri Chriſti corpus, & uinum ſanguinem, nec remanere id quod prius fuerunt, tametſi remaneant ſpecies.

Eiuſdem fidei catholicæ, & alter teſtis accedat, omni exceptione maior, etiam ex alio, priorique adhuc ſæculo, & ex Italia, ubi tunc, abſque ulla dubitatione uiguiſſe ſyncerã *Quam D. Ambroſius.*

ueritatem religionis,& fidei,nec aduerſarij quidem negare audebunt, Ille inquam ſacer Ambroſius,Quem audi quã ipſe fidem didicerat in catholica æccleſia, & quam doceat initiandos, & nouitios in fide.

Hic in ſermone de myſterijs fidei ad Neophitos, facta huius ſacramenti collatione ad ſuam figuram in illa æccleſia ueteri, ad manna nempe,potiorem lucem,quàm umbram, ueritatem,quàm figuram, corpus authoris, quàm manna de cœlo demonſtrãs,& deinde ſibi ipſi, uelut ex perſona Neophytorum, humanæ apparentiæ, & incredulitatis in contrarium argumenta obijciens,forte,inquit,dicas,aliud uideo. Quomodo tu aſſeris mihi,quòd corpus Chriſti accipiam? Hijs argumentis, non eſſe ibi hoc illud corpus, quod formauit natura, ſed quod conſecrauit benedictio, quodque ea ipſa,etiam mutari poſſit natura, demonſtrare conatur, Virgam,inquit, tenebat Moiſes,proiecit eam, & facta eſt ſerpens:rurſus prendit cauſam ſerpentis:& in uirgæ naturam reuertitur. Vides igitur prophętica gratia, bis mutatem eſſe naturam, & ſerpentis, & uirgæ: Currebant Aegypti flumina,puro aquarum meatu,& ſubito de fontium uenis,ſanguis cæpit erumpere: Non erat potus in fluuijs, rurſus ad prophetæ uocem ceſſauit cruor fluminum: & aquarum natura remeauit, Ex quibus, atque alijs eiuſmodi miraculis, quę ineffabili diuinitatis operatione facta ſunt, enarratis, concludens maioris uirtutis eſſe gratiam, quàm naturam, ſi ea tam mirabilia operata eſt,ad humanæ uoluntatis arbitrium,uult utique neminem dubitare debere,de diuinæ conſecrationis ui & efficacia,ubi uerba ipſius domini ſaluatoris operantur. Nam ſacramentum,inquit,illud, quod accipis, Chriſti ſermone conficitur, Quod ſi ualuit, tantum ſermo Elię,ut ignem cœlo deuocaret, non ualebit Chriſti ſermo, ut ſpecies mutet elementorum? De totius mundi

mundi operibus legiſti, quia ipſe dixit, & facta ſunt, ipſe mandauit & creata ſunt. Sermo ergo Chriſti, qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non poteſt ea quæ ſunt, in id mutare quod non erāt? Non enim minus eſt, nouas rebus dare, q̃ mutare naturas, Subiungens non eſſe hic reſpiciendum ad naturæ ordinem, quando hoc corpus quod conſecrando conficimus, præter ordinem naturæ ſit natum ex uirgine. Audis, quam & hic fidem catholicam doceat imitandos in fide: non equidem tropis, aut circumlocutionibus, ſed planiſſimo, quantum fieri potuit, apertiſſimoq; ſermone. Audis in hoc ſacramento, non ſolum corpus Chriſti & ſanguinem: ſed etiam ineffabili Dei potentia, mutari naturas panis & uini, in id quod non erant, hoc eſt, in corpus Chriſti & ſanguinem, Quod poſteriores haud inſignificāter tranſubſtantiari dixerunt, nouo quidem uocabulo, ſed antiqua catholicæ fidei ſententia. Eandē ſententiam etiā libro iiij. de ſacramētis clariſſimis uerbis explicat, ubicq; uerbi diuini ad conuertendas naturas, panis in corpus, uini in ſanguinem Chriſti, potentiam atq; efficaciam aſſerens.

Tranſubſtantiationis nouū uocabulū, ſed antiquam catholicæ æccleſiæ ſentētiam explicans.

Intelligis proinde, nihil mentitum illum Lanfrancum, cum diceret aduerſus Berengarium, fidem catholicę in uniuerſum orbem diffuſæ æccleſiæ, non ſolum ſuo illo ſœculo, ſed etiam a priſcis temporibus, hoc tenuiſſe, & tenere, terrenas illas ſubſtantias, quæ in menſa dominica per ſacerdotale miniſterium, diuinitus ſanctificantur, ineffabiliter, incomprehenſibiliter, & mirabiliter operante ſuperna potentia, conuerti in eſſentiam dominici corporis, & ſanguinis: reſeruatis ipſarum rerum ſpeciebus, & qualitatibus. Quæ eadem fides, etiam poſt illum Berengarium permanſit ad noſtra uſq; tempora. Quam etiam Lateranē. concilij generalis, quod anno. M. CC. XV. ſub Innocentio iij. celebratum eſt, aduerſus hæreticorum profanas, impiaſq;

Definitio Lateranen. concilij de præſenti cōtrouerſia, ſub Innocentio iij.

nouationes,definitio aſſeruit,& ſui uelut chirographi teſti monio conſignauit,in hæc uerba.

Vna eſt fidelium uniuerſalis æccleſia,extra quam, nullus ſaluatur omnino. In qua,idem ipſe ſacerdos eſt,& ſacrificium,Chriſtus Iheſus,cuius corpus, & ſanguis in ſacramẽto, altaris ſub ſpeciebus panis & uini, ueraciter continẽtur: transſubſtantiatis pane in corpus,& uino in ſanguinẽ, poteſtate diuina. In tam clara luce fidei,catholicę per orbẽ æccleſię,quam unam,certam atq; infallibilem orthodoxæ ueritatis regulam,unam,ueræ ſcripturarum intelligentiæ, amuſſim,demonſtrauimus controuerſia proxima,ſtupendum ſane,& miſerandum eſt,ita cœcutire aduerſarios, ut malint uni Luthero,etiam contra euidentem rationis lucẽ, & plane impoſſibilia,& pugnantia,ex ſuo cerebro ſtatuenti credere, affirmantiq; in ſacramento Euchariſtiæ nõ ſolũ re uera eſſe & permanere,panis uiniq; ſubſtantias,immo, eſſe has,uerum Chriſti corpus & ſanguinem,q̃ cũ catholica Chriſti æccleſia,abſq; ulla abſurditate & pugnantia,mutari,uerti,tranſſubſtantiariq; eaſdem in corpus Chriſti, & ſanguinem.

Sed cupimus,ut diligenter ſecum perpendant,quem, ante annos mille trecentos,doctiſſimus ille Origenes,nobis definierit hæreticum,cui in regno Dei pars eſſe non poſſit. Ita enim in epiſtolam ad Titum,tractans illud Apoſtoli, Hæreticum hominem poſt unam,& alteram correptionem dæuita,ſciens,quoniam peruerſus eſt,qui eſt eiuſmodi,& proprio iudicio condemnatus, eundem nobis deſcribit (ut eſt legere in Apologia B. Pamphyli martyris:deſyderantur enim dicti eius a nobis commentarij) Hæreticus, inquit,nobis habendus eſt,omnis ille,qui Chriſto ſe credere profitetur, & aliud de ueritate Chriſtianæ fidei credit, q̃ habeat definitio traditionis eccleſiaſticæ. Quod ſi hic eſt

Hæreticus q̃s, definiente Origene.

hæreticus

hæreticus, qui Chriſti nomen profeſſus aliud credit de ueritate Chriſtianæ fidei, quàm habeat definitio traditionis æccleſiaſticæ, & iamdudum euidentem illis definitionem æccleſiaſticæ traditionis fecimus, de ſubſtantijs panis, & uini poſt conſecrationem in Euchariſtia. Ipſimet ex præmiſſis concluſionem faciant, & ſuum errorem humiliter agnoſcentes, reuertantur ad unitatem catholicę Chriſti æccleſiæ, extra quam nulli ſalus eſt. Concluſio.

DE MISSAE SACRIFICIO ATQVAE EIVS VALORE.

CONTROVERSIA QVINTA.

NVnc alterum caput controuerſiarũ, quæ hac de re inter nos ſunt & aduerſarios, per tractandum eſt. An Euchariſtia uerã ſacrificij rationem habeat: & ad hoc ſit inſtituta a Chriſto, ut aut debeat aut poſſit offerri Deo: deq; eius fructu, & utilitate, an cuiq; ualere poſſit, ex re ipſa in ſe, quod opus operatum appellant, aut alteri ualere, q̃ illi qui eandem participat, ſeu uiuo ſeu mortuo.

Demonſtratur apud nos eſſe ſacrificium quoddam euãgelicum, quod ſucceßit in locum illorũ ueterum omniũ.

Hoc in primis certum eſt ex Apoſtolo. Veterem illam ante Chriſtum æccleſiam, cum uniuerſa ſua lege, ſacerdotio, ſacrificijs, cæteriſq; inſtitutis ac ritibus, umbras quaſdã fuiſſe. & uelut picturas, quibus deliniauit Deus ea, quæ re ipſa ſunt exhibita in noſtra, & Chriſtiana eccleſia.

Deinde & hoc certum eſt ex eodem apoſtolo, legem diuinam, & ſacerdotium, correſpondenter ſe habere: ut ſi trãsferatur unum, neceſſe ſit transferri & aliud. Et quia tranſferendi ueteris ſacerdotij Aaronitici in nouum aliud, ſecũdum formam atq; ordinem Melchiſedech in Chriſto, idẽ apoſtolus certum ex ſcriptura teſtimonium habebat, ex eo, apud ſuos Hebræos concludit. & comprobat, etiam legis illius ueteris in eodem Chriſto tranſlationem, ſieri oportuiſſe.

Ex tranſlato ſacerdotio ueteri in nouum perfectius.

Hoc ergo ante omnia inter nos certum ſit, ut tranſlatã illam legem ueterem, in nouam, perfectioremq; aliam, ita quoq; & illum a Deo conſtitutum ordinem ſacrum in rei diuinæ miniſtris, leuitarum, ſacerdotij, & omnibus præeminen

minentis pontificis, translatum fuiſſe in perfectiorem aliū, in noſtra æcclesia: eodem quidem authore, qui & æccleſiæ noſtræ author eſt, & illum ipſum ordinem, uelut in pictura quadam, expreſſerat in illa ueteri æccleſia: quem, inter nos, ab ipſis Apoſtolis, conſtitiſſe ab initio, ipſa rei euidentia comprobat.

Sunt ergo, (quod rei euidentia atteſtatur) & fuerunt ab initio, etiam inter nos, Leuitæ, aut Diaconi: hoc eſt, rei diuiuæ miniſtrantes in æccleſia, ſub ſacerdotibus: Eſt, fuitq́, & ſacerdotium: Eſt quoq́, & fuit Pontificalis ille ſacer ordo, ſuperintendens ſacerdotio: in unitatem reductus, ad unum (quod res ipſa demonſtrat) hierarcham æccleſiæ.

Porro eodem atteſtante Apoſtolo. Omnis, ut pontifex, ita & ſacerdos, ab hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur, in hijs, quæ ſunt ad Deum, ut offerat dona, & ſacrificia pro peccatis. Vnde neceſſe eſt, & hunc habere aliquid quod offerat. Hęc enim ſeſe mutuo conſequūtur, ſacerdotium, inquam, & ſacrificium.

Quare, ut ſacerdotium uetus, translatum eſt in nouū, euangelicum, auguſtius, & perfectius, Ita neceſſe eſt, et ueteres illas hoſtias, illa munera, illa ſacrificia, quæ illius ſacerdotij erant, eſſe translata in perfectionem aliquam hoſtiam: perfectius ſacrificiū, quod noſtro ſacerdotio reſpondeat, Quod longe anteq́ fieret, ita fore, per Malachiā prædixit diuinus ſpiritus, hijs uerbis compellans ſacerdotes illos ueteres.

Cōfirmatio ex Malachia propheta.

Non eſt, inquit, mihi uoluntas in uobis, dicit dominus exercituum, et munus non ſuſcipiam de manu ueſtra. Ab ortu enim ſolis, uſq́ ad occaſum, magnum eſt nomen meum in gentibus: & in omni loco, ſacrificatur, & offertur nomini meo, oblatio munda: quia magnum eſt nomen

meum in gentibus, dicit dominus exercituum.

Non eſt mihi uoluntas in uobis Aaroniticis ſacerdotibus, dicit dominus exercituum, nec munus ſucipiam de manu ueſtra. Quid eſt hoc? Nunquid idem ipſe non inſtituit uetus illud ſacerdotium? nunquid ijſdem non praecepit, offerre oblationes, hoſtias, & ſacrificia? nunquid non promiſit ea ſe ſuſcepturum de manibus eorum, & ad ſacrificantis ſacerdotis orationem ſe propitium fore populo, & dimiſſurũ peccatũ eius? Si, inquit, peccauerit omnis turba filiorum Iſrael, oblata pro peccato eius conſtituta hoſtia, rogantecq; pro eis ſacerdote, propitius erit eis dominus, Similiter, Si unus quilibet e populo, ſeu princeps, ſeu alius peccauerit, oblata pro peccatis eius hoſtia conſtituta, rogabit, inquit, pro ea ſacerdos, & pro peccato eius, & dimittetur ei.

Hæc Dei ipſius uerba ſunt, qui æque non poteſt falli, ac fallere. Ita quocq; ſuam benedictionem ad ſacerdotalem benedictionem, certo ſubſequuturam promiſit, dicens ad Moiſen, Loquere Aaron, & filijs eius. Sic benedicetis filijs Iſrael &c. Inuocabuntcq; nomen domini, ſuper filios Iſrael, & ego benedicam eis. Quid eſt ergo, quod per Malachiã hic dicit dominus exercituũ? Non eſt mihi uoluntas in uobis. Hoc eſt, quod dicit: fore, ut aboleatur uetus illud ſacerdotium, quod ſecundum ordinem Aaron erat, ſuccedente illo nouo, & æterno ſacerdotio, de quo Apoſtolus, ſecundum ordinem Melchiſedech, quod cœpit in Chriſto, De quo ſpiritus S. prædixit per os Dauid. Iurauit dominus, & non pœnitebit eum, Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech. Proinde, non eſt mihi, inquit, uoluntas in uobis perpetua: non acquieſco in uobis, ueſtroue ſacerdotio: nec ultra ſuſcipiam munus, aut ſacrificia de manibus ueſtris, Quid ita? Quoniam

niam non tantum in uno hoc populo Iſrael, cui ſeruiebat ſacerdotium illud uetus, ſed in omnibus gentibus, ab ortu ſolis, uſque ad occaſum, magnum erit nomen meum, Neque ex una hac ſamilia Aaron, ſed ex omnibus gentibus, nouos mihi ſacerdotes deligam, nouo ordine, abrogato ueteri: nec uetera illa uobis conſtituta, & in uno loco offerenda ſacrificia, ſuſcipiam amplius de manu ueſtra, ſed in omni orbis loco ſacrificabitur, & offeretur nomini meo oblatio munda. Propheta enim, de futuro, ob certitudinem (ut fere ſolent) in præſenti loquitur: & ſacrificiorum hic, oblationumque multitudinem abrogandam pronunciat: & in eorũ omnium locum, unicam ſucceſſuram oblationem & hoſtiam, ſed mundam, & quæ omni orbis loco ſacrificabitur, & offerretur nomini domini.

Quæ illa oblatio mũda, quæ in omni orbis loco ſacrificatur Deo, euacuans uetera illa ſacrificia omnia.

Sed quæ tandem eſt hæc oblatio munda, ſuccedens in locum omnium illarum ueterum, quam inter gentes, in omni orbis loco, ſacrificandam & offerendam, per prophetam prædicit dominus? Si, qua Chriſtus ſemetipſum ſemel in cruce obtulit, unaque conſumauit in æternum ſanctificatos eam dixeris, non inter gentes, nec in omni orbis loco, ſed in una Iudæa, unico loco orbis, fuiſſe oblatam illam certum eſt. At ea, de qua per prophetam, ſacrificatur in omni orbis loco, & offertur nomini domini. Si ad cordis contriti, humiliati, & ſanctificati ſacrificium confugiant (quemadmodum, hic in Apologia ſua faciunt, aduerſarij) quod ipſum, nunc in omni orbis loco offeratur Deo, nihil ſane faciunt. Eſt quidem, & illud, ſacrificium acceptum Deo, quod miſericors dominus non deſpiciet: ſed non eſt hoc, illa munda & perfecta oblatio, de qua prophæta, ſuccedens in locum ueterum ſacrificiorum omnium. Quæ uniuerſa, ad agnum hunc uere imma-

culatũm reſpiciebant, quem Ioannes, poſt digito indicaue rat, Quæ ſola ueritas, ſuam figuram (in locum eius ſucce dens) euacuat. Ad hæc noſtri cordis ſacrificium, ieiunia, orationes, eleemoſinæ, & quicquid ex nobis Deo offerre poſſumus, indignum plane eſt, quod ita ſimpliciter, munda dicatur oblatio, præſertim aduerſarijs. Quando omnes iuſtitiæ noſtræ, ſunt uelut pannus ſordidatus mulieris immundæ, quæ menſtruum fluxum patitur: immo, uniuerſa opera noſtra illis peccata ſunt, & plane damnabilia, ſi diſtricto iudicio exigerentur, ad diuinæ iuſtititiæ regulam.

Præterea, hoc ſacrificium cordis contriti, non eſt proprie huius ſtatus, aut euangelicæ legis, Chriſtianæq; æccleſiæ, Sed commune id ipſum habemus cum æccleſia ueteri, In qua fideles, etiam illo ipſo ſacrificio ſtudebant recõciliari, & placere Deo. Neq; ſacerdotum eſt proprium: ſed commune fidelium omnium. At propheta, de propria aliqua Chriſtianæ æcceſię in uniuerſum orbem diffuſæ oblatione loquitur.

Vbi ſibi nõ cõſtẽt aduerſarij

Poſtremo uidẽtur hac ipſa in re, ſui ipſorum obliti aduerſarij: qui in explicanda ſua fide, & doctrina, de iuſtificatione, quæ per unam fidem eſt, duplicem Dei cultum, aut latreiam diſtinguunt: quarum altera, a nobis uelit coli Deus, auerſetur uero alteram: Illam, eſſe fidem, quæ accipiat a Deo, promiſſa, oblataque beneficia: Hanc, eſſe, noſtra opera, quæcumq; demum ea ſunt: ieiunia, orationes, eleemoſynas, uitæ auſteritatem, cordis contritionem, Dei amorem, & quicquid deniq; noſtri eſt operis: quæ, ſibi a nobis offerri Deus nolit: immo, hoc facientes, uelut Pharizæos, & ſuæ gloriæ derogantes execretur, Quod ſi eſt, quod nobis cordis contriti, humiliati, ſan

ctificatiq;

ctificatiq; Deo placens ſacrificium, proferent? Quandoquidem ſacrificium, aut oblatio, eſt res quæ offertur Deo, eius aut demerendi, aut gratias agendi, aut honoris deferendi gratia. Quod ſi execretur illum cultum quo illi offerimus aliquid, & tantũ uelit, accipiendo ſolum a ſe oblata nobis, coli a nobis, ſequitur, quod execretur omne noſtrum ſacrificium, de cuius ratione, eſt, ut offeratur Deo. Quæ eſt ergo illa oblatio munda, ſuccedens in locum omnium oblationum & ſacrificiorum ueterum, quæ in omni orbis loco ſacrificatur & offertur Deo?

Certe nec fingi poteſt alia, q̃ ea quæ a ſacerdotibus noſtris, in altari offertur ſecundum ordinem Melchiſedec, cuius in pane et uino erat oblatio: nempe, ſub ſpeciebus panis & uini, corporis Chriſti, & ſanguinis. Quid enim (ut B. Auguſtini uerbis dicam) tam mundum pro mandandis uitijs mortalium, q̃ ſine ulla contagione carnalis concupiſcentiæ, caro nata in utero, & ex utero uirginali. Et quid tã grate offerri a nobis, & ab illo ſuſcipi poſſet, q̃ caro ſacrificij noſtri, corpus effectum ſacerdotis noſtri? Nullam imaginari eſt oblationem mundam aliam, quæ per æccleſiam, offeratur in omni orbis loco, q̃ in Euchariſtiæ ſacramento, agni immaculati Iheſu Chriſti, carnem & ſanguinem. *Aliam nullam fingi poſſe eã oblationẽ mũdam, q̃ corpus Chriſti & ſanguinem in Euchatiſtia. Auguſt.*

Quem, cum Deus pater iuraſſet fore ſacerdotem ſecundum ordinem Melchiſedec, cuius in pane, & uino oblationem fuiſſe ſcriptura teſtis eſt: hoc ipſum ſacrificij genus obtulit & inſtituit, quando in nouiſſima cœna, ſub panis & uini ſpeciebus, ſuum corpus, & ſanguinem, cum gratiarũ actione Deo patri offerens, etiam diſcipulis ſumenda diſtribuit. Atq; ita, iam uere, nouum illud ſacerdotium ſecundũ ordinem Melchiſedec exercens, & ad eundem ritum, nouos ſuos ſacerdotes inſtituens, atq; eiſdem mandans, ut ad ſuum quoq; exemplum, ſuo tempore ſimiliter facerent, no- *Confirmatio eiuſdẽ, ex ſuâ figura in lege ueteri. Chriſtũ ut ſacerdotij, ita et ſacrificij Melchiſedec ueritatẽ exercuiſſe obtuliſſe, et iſtituiſſe in cœna nouiſſima.*

Vt nouo illo inſtituto adimpleuerit figuram phaze ueterem.

uō inſtituto impleuit figuram phaſæ illius ueteris, de quo ille catholicæ Chriſti æccleſiæ Pontifex ſanctiſſimus Leo, ita non minus eleganter quam uere, ſermone quodam paſchali loquitur. Vt umbræ, inquit, cederent corpori, & ceſſarēt imagines ſub præſentia ueritatis, antiqua obſeruantia, nouo ſacramento tollitur: hoſtia in hoſtiam tranſit: ſanguis, ſanguinē excludit: et legalis fœſtiuitas dū mutatꝛ, impletur.

Vetus paſcha figura nouæ cœnæ dominicæ.

Certe uet⁹ illud paſcha, fuiſſe figurā nouæ huius cœnę dominicę, & agni illius immaculati, ut eſt in ſacramēto euchariſtiæ, præter hoc quod eorum ad ſe collatione id euidēter intelligitur: præter, quod omnium ab initio orthodoxorum conſenſu comprobatur, ipſe Chriſtus aperte indicat, eam ipſam, paſcha appellans. Ita enim cum Apoſtolis ſuis recumbens loquitur, Deſyderio deſyderaui hoc paſcha mā ducare uobiſcum, anteq̄ patiar. Hoc paſcha, inquit, non illud uetus, typicum, & ueruecinum, In quo, ut nihil dignū erat tanto Chriſti deſyderio, (quemadmodum aduerſus Marcionem Tertullianus ille hoc ipſum diligenter annotauit) ita tot ante annis toties idipſum manducauerat, etiā cum iiſdem diſcipulis non ſemel, ſed iterum atq; iterum manducauerat, ut de eo minime loquutum ipſum plane indubitatum ſit. Sed hoc paſcha, nouum hoc inquam, & uerum, in quo, ut in ueritate, terminate ſunt umbre, & figure illius ueteris,

Vt paſcha uetus & hoſtiæ ſimul & cibi rationem habuerit.

Correſpondētia ueritatis ad figuram.

Porro uetus hoc paſcha, hoc eſt, typicus ille agnus, & hoſtiæ, & cibi, rationem habebat. Immolabatur ante ab uniuerſa multitudine filiorū Iſrael, deinde edebatur. Ita enim in exodo ſcriptum de eo legitur. Immolabitq; eum uniuerſa multitudo filiorum Iſrael ad ueſperam &c. Et edent carnes nocte illa aſſas igni. Ita quoq;, & a noſtris ſacerdotibus uerus ille agnus, immolari, ſacrificari, offerriq; ante debet, & deinde commedi.

Quo

Quo ſane pacto, hoc ipſum, intelligit catholica Chriſti æccleſia, quæ toto orbe terrarum, poſt prolata myſtica illa conſecrationis uerba (Hoc eſt corpus meum, hic eſt calix ſanguinis mei. Hæc quotienscumq; facietis, in mei memoriam facietis) ita ſubiungit. Vnde, & memores domine nos ſerui tui; ſed & plebs tua ſancta, eiuſdem Chriſti filij tui, tam beatæ paſſionis &c. offerimus præclaræ maieſtati tuæ, de tuis donis, & datis, hoſtiam puram, hoſtiam ſanctam, & immaculatam. Hoc nempe eſt, quod ſibi præceptum intelligit ęccleſia a Chriſto, in nouiſſima illa cœna dicente. Hoc facite in mei commemorationem, cuius ſe memorem eſſe teſtatur: uidelicet, ut diuinæ maieſtati, offerat hoſtiam illam ſanctam, & immaculatam, quemadmodum & Chriſtum ſuo præmonſtraſſe atq; inſtituiſſe exemplo intelligit.

Eiuſdem cōfirmatio ex catholicæ ab initio æccleſiæ et orthodoxorũ omnium cōmuni fide ac ſententia.

Hoc pacto, & apoſtolos, & orthodoxos, ab illis uſq; ad nos patres omnes, maximo conſenſu, & intellexiſſe, & feciſſe, & docuiſſe, eorundem monumenta comprobant. Sic beatiſſ. Andream, Egeæ proconſuli, dijs ſacrificare ipſum inuitanti reſpondiſſe, ex literis ſacerdotum Achaiæ (qui glorioſi martirij eius ſpectatores ac teſtes fuere) Philatetus author eſt. Ego, inquit, omnipotenti Deo, qui unus, & uerus eſt, omni die ſacrifico, non thuris fumum, nec hircorum, aut taurorum ſanguinem, ſed immaculatum agnum, quotidie in altari ſacrifico. Cuis carnes, poſtq; omnis populus credentium manducauerit, & eius ſanguinem biberit, agnus qui ſacrificatus eſt, nihilominus integer perſeuerat, & uiuus.

Verba B. Andreæ, ex literis ſacerdotũ Achaiæ, referente Philateto.

Cathalogus ſãctorum patrũ ex quorum cōcordi teſtimonio conſtet, de certa & conſona hac de re fide catholicæ ab initio æccleſiæ.

Eidem catholicæ fidei, & B. ignatium, Ioannis Euangeliſtæ diſcipulum, & B. Clemētem beatiſſ. Petri, hunc, in apoſtolica cathedra, illũ, i Antiochena ęccleſia ſucceſſores,

& glo-

Ignatius. *Clemens.* *Ireneus.* *Alexander. I.* *Cyprianus.* *Gregorius Naziazen.* *Hilarius.* *Ambroſius.* *Hieronymus.* *Auguſtinus.* *Cyrillus.* *Leo. I.* *Ioannes Damaſcenus.* *Gregorius Romanus.* *Vniuerſale cõcilium Ephesinum.*

Vbi horum omnium explicata teſtimonia lector inueniet.

& glorioſos martyres. Sanctum quoq; Irenæum beatiſſ. Policarpi Ioannis Euangeliſtæ diſcipuli auditorem, Alexandrum item primum, glorioſum martyrẽ & Pontificẽ, Cyprianum, eiſdem notis inſignem, Gregorium illum Nazianzenum, Hilarium, Ambroſium, Hieronymum, Auguſtinum, Chriſoſtomum, Cyrillum, Leonem, Damaſcenum, Gregorium Romanum. Ad hæc, ſanctos patres omnes qui conuenerunt in Epheſinam primam uniuerſalem ſynodum, atq; adeo uniuerſalem in illis congregatã æccleſiam, omnes, maximo conſenſu certiſſimum perhibere teſtimonium, & clariſſime affirmare, corpus & ſanguinẽ Chriſti in Euchariſtia, ueri ſacrificij noſtri euangelici rationem habere, cap. v. lib. ij. hierarchiæ noſtræ copioſius demonſtrauimus, quo lectorem remittimus, qui de hijs plura uidere uoluerit.

Vnum tamen hic ſubijciemus, quod illic, neſcio quo pacto properantes præteriuimus, B. Irenei ſingulare quoddã teſtimonium, ut ex quo uno, euidenter conſtat, eo ſœculo, omnium omnino dogmatũ noſtræ religionis & fidei, nullum, hoc uno, certius, & maiori conſenſu celebratum fuiſſe in æccleſia.

Diligenter expende hoc b. Irenei teſtimonium.

Is itaq; Valentinianos, atq; illius ſœculi hæreticorum portenta, negantium Chriſtum creatoris mundi filium, ad hæc carnis reſurrectionem ex mortuis, ut quam ex principio malo eſſe uolebant, audi obſecro ut aggrediatur, atq; etiam conficiat, ex fide catholicæ æccleſiæ de Euchariſtia. Quomodo autem, inquit, conſtabit eis, eum panem in quo gratiæ actæ ſunt, corpus eſſe domini ſui, & calicem ſanguinis eius, ſi non ipſum fabricatoris mundi filium dicant, & uerbum eius? &c. Et quomodo rurſus dicunt carnẽ in corruptionem deuenire, & non percipere uitam, quæ a corpore domini, & ſanguine alitur? Ergo aut ſententiam mutẽt, aut ab-

abſtineant,ab offerendo quę prędicta ſunt. Noſtra autem conſonans eſt ſententia Euchariſtiæ, & Euchariſtia confirmat noſtram ſententiam. Offerimus enim ei, quæ ſunt eius,congruenter communicationem,& unitatem prædicantes carnis & ſpiritus. Quemadmodum enim, qui ex terra eſt panis, percipiens inuocationem Dei, iam non eſt cõmunis panis,ſed Euchariſtia,ex duabus rebus conſtans, terrena, & cœleſti: ſic & corpora noſtra percipientia Euchariſtiam, iam non ſunt corruptibilia, ſed ſpem reſurrectionis habentia. Offerimus autem ei, non quaſi indigẽti, ſed gratias agentes donationi eius, ſanctificantis creaturã, Quemadmodum enim non indiget Deus, eorum, quæ a nobis ſunt, ſic nos indigemus offerre aliquid deo, ſicut Salomon ait, Qui miſeretur pauperis,fœneratur Deo, Quoniam enim nullius eſt indigens Deus in ſe, aſſumit bonas operationes noſtras,ad hoc, ut præſtet nobis retributionẽ bonorum ſuorum.

Hæc ille Ireneus, ante annos paulo minus mille quadringẽtos,Lugduneñ Archiepiſcopus, & glorioſus Chriſti martyr. Ex cuius unius uerbis, luce clarius intelligitur, eo ſæculo, & in illa primitiua æccleſia, adeo indubitatam, confeſſamq; omnibus Chriſti fidem profeſſis, ſeu orthodoxis,ſeu hæreticis,non ſolum, ueritatem corporis & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia,ſed etiam,ut eadem, ęuangelici ſacrificij rationem habeat,ut ex ea,prodigioſam,ac plane palpabilem Valentini et ſuorum impietatem, uelut ſibi non conſtantem,redarguat. Quæ,ut diximus,ex hoc pendebat principio, Quod carnem,ex genere malorũ eſſe cenſebant,creatam a malo principio,cui,et mundi creationem tribuebant, Vnde & in Chriſto negabãt ueritatem carnis, aut naturæ corporeæ, nec credebant uere mortuum: nec uere reſurrexiſſe a mortuis: nec carnem noſtram reſurre-

cturam ad immortalitatem. Hos conuincit ex conſona fi-de catholicæ ęccleſiæ, de ueritate corporis, & ſanguinis domini in Euchariſtia: quæ etiam infantiũ linguis toto orbe confeſſa, & decantata fuerat: itẽ et ex eo, quod eadem, offerimus Deo, tanq̃ ſibi gratiſſimum, & placens ſacrificiũ: inde, non eſſe malam carnis naturam confectum uolens. Quomodo, inquit, conſtabit eis, panem in quo gratię actę ſunt, corpus eſſe domini ſui, & calicem ſanguinis eius, ſi nõ ipſum fabricatoris mundi filium dicant? ut quem ſolum, faciunt authorem naturæ corporeæ, Quomodo præterea negant carnis reſurrectionem ad uitam immortalem, quæ corpore domini, & ſanguine paſcitur? Aut ergo mutent ſententiam, aut abſtineant ab offerenda Euchariſtia, ſi caro, & ſanguis ex genere malorum ſunt, qualia Deo bono non poſſunt eſſe gratum ſacrificium.

Quin & hoc diligẽter ppẽde, quod ſequit, Noſtra autẽ ſentẽtia eſt cõſonans Euchariſtię, et Euchariſtia confirmat noſtram ſententiam. Probantur, ut ſcis, controuerſa ac dubia, ex conſonantia eorundem cum certis, confeſſis, ac indubijs: & neceſſe eſt, certius, ac notius cõcluſiõe, eſſe ipſum demonſtrationis principium: atq; id per quod confirmatur aliquid, eo ipſo, ad quod aſtruẽdum adducitur, Dicit aũt illam ſuam, quam aduerſus hęreticos aſtruit ſententiã, conſonare Euchariſtiæ, & Euchariſtiam, eiuſdem ueritatẽ confirmare, Certior ergo fuerit, oportet, & ęccleſiæ notior, illa de ueritate ſacrificij Euchariſtiæ, & in eadem, corporis, & ſanguinis Chriſti, fides, & ſententia, q̃ ea, quam per eãdem confirmat, & aſtruit: hoc eſt, quod Chriſtus ſit creatoris cœli, & terrę filius, quodq; in ueritate naturę aſſumptæ, & carnis noſtræ, poſt expleta redemptionis noſtræ ſalutiſq; myſteria, uere reſurrexerit a mortuis. Et aduerſarios noſtros non pudebit, tam odioſe inſultaſſe miſſæ ſacrificio

crificio? & ipſum dixiſſe ſummam impietatem, & idolatriam?

Sed ipſos, etiam hic, ad regulam illam, quam ſupra aſtruximus, orthodoxæ fidei, & hæretici definitionem, quã protulimus ex Origene, quo ad eaſdem ſe, ſuamq; doctrinam expendant, reuocabimus, ut de ſe ipſis iudicium proferant.

Sed ſcriptum eſt, inquiunt, ab Apoſtolo, ut Chriſtus perfectorum bonorum Pontifex, per proprium ſanguinẽ ſemel introiuerit in ſancta, ęterna redemptione inuenta: ut deinceps appareat uultui Dei pro nobis: neq; ut ſæpe offerat ſe ipſum, qui ſemel oblatus eſt, ad multorũ exhauriẽda peccata, & quo nos ſanctificaret per oblationem corporis ſui ſemel: una enim oblatione conſumaſſe in æternum ſanctificatos. Si autem unica ſemel oblata hoſtia conſumauit ipſe in æternũ ſanctificatos, ſi negat Apoſtolus ſæpius offerri Chriſtum, quis igitur, inquiũt, tam multis miſſis, tã multis ſacrificijs, tam multis eiuſdẽ ſemel ſufficiẽter, oblatę, atq; immolatę hoſtiæ repetitis oblationibus locus eſt? Quaſi, contra claram doctrinam Apoſtoli, non ſufficeret ſemel oblatam eſſe in cruce, niſi inſtar illarum hoſtiarũ ueterum, repeteretur, ac offeretur, non ſolum per annos ſingulos, ſed etiam infinitis pene locis per dies ſingulos?

Argumenta aduerſariorũ, contra ueritatẽ ſacrificij Euchariſtiæ. Ex Apoſtolo ad Hæb.

Ad hæc, tanq; impiam, pharizaicam, atq; adeo ethnicam, damnãt noſtram de Euchariſtia ſententiã, qui ipſam valere aliquid affirmamus ex opere operato: & ad remiſſionem peccatorum, iuſtificationiſq; gratiam aſſequendã, auertendam diuinam a nobis uindictam, impetrandumq; nobis & alijs, quæ cupimus. Eam enim opinionem & ſententiam, neceſſario illos habere de Euchariſtia, qui ipſam, ueri ſacrificij rationem habere, & eandem, uelut ſacrificiũ aliquod ualere hijs, pro quibus offertur, exiſtimant.

Ex ualore Euchariſtiæ, In quo totius cauſæ ſtatum uolũt conſiſtere.

In quo uno, in apologia ſua principaliter uerti uolunt ſtatum ipſius controuerſiæ. Se quidem in confeſſione ſua ſatis oſtendiſſe, quod ſentiant cœnā domini ex opere operato nulli conferre gratiam: nec applicatam alteri, ſeu uiuis, ſeu mortuis, mereri eiſdem ex opere operato remiſſionē peccatorū, culpæ, aut pœnæ. Huius ſtatus, hanc eſſe probationem claram & firmam: quia impoſſibile ſit conſequi remiſſionem peccatorum, propter opus noſtrum, ex opere operato: ſed fide oportere uinci terrores peccati, & mortis, cum erigimus corda cognitione Chriſti, & credimus nobis ignoſci propter Chriſtum, ac donari merita, & iuſtitiā Chriſti. Hoc ipſum ad Romanos confirmante Apoſtolo, Iuſtificati, inquit, ex fide pacem habemus. Hæc, inquiunt, tam certa, tam firma ſunt, ut aduerſus omnes portas inferorum queant conſiſtere. Proinde, Si quantum opus eſt, dicendum fuit, iam, inquiūt, cauſa dicta eſt, Nemo enim ſanus, illam Pharizaicam, & ethnicam perſuaſionem de opere operato, probare poteſt, Hactenus illi in apologia triumphant.

Reſponſio. Ad ſecundum in quo ſtatus ſuæ cauſæ eſt.

Quibus ut reſpondeamus, nouiſſimum hoc, ut in quo totius controuerſiæ ſtatum uerti affirmant, prius excutiēdum eſt: deinde reſpondendum ad ea, quæ ex epiſtola ad Hæbreos inducunt contra nos.

Euchariſtiam, duplicē rationem habere, et cibi, & ſacrificij, Et utroq; modo ualere ex opere operato.

Euchariſtiam, duplicem ratiōem habere, cum ſanctis, orthodoxiſq; patribus noſtris intelligimus: nempe, & cibi ſpiritualis, panis uiui ac uiuificantis nos, et uelut medicamenti cuiuſdam immortalitatis, ad ſanandas infirmitates noſtras: inſuper, & rationem holocauſti, ac ſacrificij placētis Deo, quod ſit ad purgandas iniquitates noſtras efficax. Et utroq; hoc modo, etiam ipſam ualere ex opere operato, cum eiſdem, conformiter ad diuinas ſcripturas, confitemur.

Quia

Quia tamen noua,& uetuſtis patribus,& diuinis ſcripturis inſolens,hæc uox eſt (opus operatum) & in ſcholis nata,diſtinctionis cuiuſdam neceſſariæ ſignificantius exprimendæ gratia,eadem ante explicanda eſt.

Quid ſit ualere aliquid ex opere operato.

Opus operatum,intelligunt ipſum opus, aut rē ipſam in ſe. Et ualere aliquid ex opere operato,cuius ex re ipſa, ex ipſo opere,eſt aliqua utilitas:et non ſolum,ex operante,aut propter ſanctitatem,deuotionem,fidem,eius qui ipſum facit,aut qui eo utitur:quod opus operantis appellant, cui e regione,opus operatum,contra diſtinguitur. *Opus operātis* Quemadmodum panis ex ſe,& in ſe habet nutriendi corporis efficaciam:reubarbarum,& ſcammonea,uim detrahendi coleram ex ipſo (ut ſic dicam)opere operato:& non tantum ex imaginatione,affectu,& fiducia,eadem ſumentium. *Simile.* Quamuis & illa,uel adiuuet,uel impediat,ipſius rei in ſe energiam,et operandi efficaciam. Ita ſane,ſacramenta inſtituta a Deo, ut eſſent alicuius diuinæ in nobis gratiæ ſigna efficacia,dicunt nobis ualere ad aſſequendum id ipſum, ad quod efficaciter ſignificandum,a Deo inſtituta ſunt, non ponentibus effectui eorundem obicem, ex opere ipſo operato: & nō tantum ob efficaciam,quam ab operante conſequūtur: hoc eſt,ob deuotionem,& bonum motum uoluntatis, eadem aut conferentium,aut ſuſcipientium. *Aptatio.* Vt eſt euidens, baptiſmum ad remiſſionem originalis delicti, iuſtificationis gratiam,& ſalutem,ualere paruulis: nō ob ullum opus bonum paruulorum,quo hoc mereantur,quod nullum habent:nec propter bonum motum uoluntatis baptiſma cōferentium,qui frequenter mali ſunt:ſed propter efficaciam ſacramenti regeneratiōis in ſe,quam ex diuina inſtitutione ſortitum eſt:ex Chriſti,quo per ipſum aſpergimur, ſanguine:& cuius uirtus ac meritum, per illud ipſum applicatur & communicatur ipſum ſuſcipientibus. Sed de hoc,rurſus

neceſſarius ſermo incidet, ubi de uſu ſacramentorum in uniuerſum, aduerſariorum excutietur ſententia. Hic tantũ explicandi gratia, quid intelligamus, ualere aliquid ex opere operato, obiter introductum ſit. Vtroq; igitur modo, & ſecundum utranq; ſui rationem, hoc eſt, & in ratione cibi, medicamentiq; ſpiritualis, & in ratione ſacrificij, Euchariſtiam, diuinæ ſcripturæ conformiter, cum ſanctis orthodoxisq; patribus noſtris, ualere ex opere operato nihil dubitamus.

Cyprianus ille glorioſus Chriſti martyr, & Pontifex in ſermone quodam de cœna domini, ita docuit fidelẽ populum.

A Cypriano uelut catholicam fidem doceri prædictã ſententiam.

Cœna itaq; diſpoſita, inter ſacramentales, inquit, epulas, obuiauerunt ſibi inſtituta antiqua, & noua, & conſumpto agno quem antiqua traditio proponebat, inconſumptibilem cibum magiſter apponit diſcipulis. Nec iam ad elaborata impenſis, & arte conuiuia inuitantur populi, ſed immortalitatis alimonia datur: a communibus cibis differens: corporalis ſubſtantiæ retinens ſpeciem, ſed uirtutis diuinæ, inuiſibili efficientia, probans adeſſe præſentiam. Significata olim a tempore Melchiſedec prodeunt ſacramenta: & filijs Abraæ, facientibus opera eius, ſummus ſacerdos panem profert, & uinum. Hoc eſt, inquit, corpus meum. Manducauerant & biberunt de eiſdem pane & uino ſecundum formam uiſibilem, ſed ante uerba illa, cibus ille communis, tantummodo nutriendo corpori commodus erat: & uitæ corporalis ſubſidium miniſtrabat. Sed poſtq; a domino dictum eſt, hoc facite in meam commemorationem hæc eſt caro mea, & hic eſt ſanguis meus, quotienscumq; hijs uerbis, & hac fide actum eſt, panis iſte ſuperſubſtantialis, & calix iſte, benedictione ſolenni conſecratus, ad totius hominis uitam ſalutemq; proficit: medicamẽ-

camentum, & holocauſtum, ad ſanandas infirmitates, & purgandas iniquitates exiſtens. Hactenus ille. In quibus uerbis, quorſum hic citantur, hoc præcipue notabis, tanquam catholicam fidem doceri ab illo fidelem populum, Panē hūc ſupſuberſtantialem, & cibi, & medicamēti, inſuper & holocauſti rationem habere. Ad hęc, illum ipſum (quod eſt opus operatum) ualere ad totius hominis uitam, uelut cibum aliquem: & medicamenti inſtar, ad ſanandas infirmitates noſtras proficere: & tanquam ſacrificium, ad purgandas iniquitates efficaciam habere. Vniuerſam hanc energiam, ipſi rei, ipſi Euchariſtiæ, & non bono motui eandē ſumentium tribuit.

Et quid Chriſtus? Amen amen dico uobis. Non Moyſes dedit uobis panem de cœlo, ſed pater meus dat uobis panē de cœlo uerum. Panis enim uerus eſt, qui de cœlo deſcendit, & dat uitam mūdo. Quid hic audis? An non panem de cœlo uerum? Si panis, ergo nutrit, robur addit, & uitam conſeruat. Immo, dat uitam, inquit, mundo. Et tu negas, panem hunc quicquam nobis ualere ex ſe? negas uiuificare nos? ullam ipſum ex ſe utilitatem afferre, ſed tantum fidem eundem participantium? Immo non eſt fides quæ uiuificat, ſed hic panis uiuificat, ſi Chriſto credimus quanquam is fidem prærequirat in eo quem uiuificaturus ſit. Subdit proinde. Ego ſum panis uitæ, hoc eſt, uiuificans. Non uiuificat fides, ſed hic uiuus panis. Ego ſum, inquit, uiuus panis qui de cœlo deſcendi. Si quis manducauerit ex hoc pane, uiuet in æternum, & panis quem ego dabo, caro mea eſt, quam dabo pro mundi uita. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet uitam æternam. Caro mea uere eſt cibus, & ſanguis meus uere eſt potus. Qui manducat meam carnem & bibit meum ſanguinem,

Clariſsime doceri eandem à Chriſto de ualore Euchariſtiæ ex opere operato ſententiam.

Non fidē, ſed panem illū uiuificum uiuificare nos.

ſanguinem,in me manet, & ego in illo. Sicut miſit me uiuens pater,& ego uiuo propter patrem,ita & qui manducat me,ipſe uiuet propter me,Quid uobis uidetur? Nulla ne eſt huius uiui & uiuificantis panis ad nos uiuificandos efficacia? nihil ex ſe præſtat aut confert ſumenti,ſed tantũ ualet(ut hij loquuntur)ex ipſo opere operantis? tantum ualet ſumentis ipſum fides ac fiducia: nihil uero ipſum quod ſumitur? Debet quidem adeſſe fides,ut ſumatur digne: ſed non eſt fidei,immo,huius uiui & uiuifici panis, ea energia uitæ,& efficacia.

A Damaſceno quoq; doceri idem ut certum dogma orthodoxæ fidei.

Fit,inquit ille Damaſcenus,ijs qui fide,digne,ipſum aſſumunt,in remiſſionem peccatorum,& uitam æternam, & cuſtodiam animæ,& corporis: ijs autẽ qui in infidelitate indigne participant,in punitionẽ,& ſupplicium. Quẽadmodum,& Chriſti mors,credentibus facta eſt uita,& incorruptibilitas: in fruitionem beatitudinis ſempiternæ: infidelibus autem,& domini interfectoribus,in ſupplicium, & pœnam ſempiternam. Quid hic dicturi ſunt? An etiam nec mortem Chriſti quicq; ualere nobis ex ſe,aut ex opere operato,quia non ualet niſi credentibus? poſtq; tamen eo uſq; uenerunt,ut poſſint credere; proinde,non ipſam eſſe, cuius uirtute iuſtificamur: ſed tantum,fidem,eandem credentium? Quin et idem ille Damaſcenus,Euchariſtiam,diuinum carbonem appellat: qui in primis,comburat,aut cõſumat peccata ipſum digne ſumentium: deinde, illuminet corda eorundem, & participatione diuini ignis accendat, & quodammodo deificet, Eam eſſe puram illam hoſtiam, & incruentam,quam ab ortu ſolis uſq; ad occaſum ſibi offerri per prophetam dominus loquitur: in ſtabilimentum animæ noſtræ,& corporis: in ſuſtentationem, & conſeruationem noſtram: in omnis ſordis expurgationẽ: omnis nocumẽti auerſionem. Per ipſam,purgatos nos,uniri Chriſti corpo-

Euchariſtia, carbo diuinus.

Hoſtia pura et incruenta.

corpori: & unum cum eo corpus, eiuſdem quoq; ſpiritus participes fieri. Hæc, illius uiui panis, nō uero noſtræ fidei, uis eſt: tametſi & ea, uelut diſpoſitio quædam materiæ, & ſubiecti, ſine qua non, requiratur in nobis, quo uirtutis illius efficiamur participes.

Eius, non fidei uis illa operās in nobis, q̄uis fidem requirat

Hanc prædicat ille ter ſanctus Leo, adeo conſonā eſſe fidem catholicæ Chriſti æccleſiæ, ut nec ab infantium linguis taceatur. Hoc nempe nobis impartiri, in illa myſtica diſtributione ſpiritalis alimoniæ, ut accipientes uirtutem cœleſtis cibi, in carnem ipſius, qui caro noſtra factus eſt, tranſeamus, Non noſtræ deuotiōis & fidei, aut ullius operis noſtri, uelut ab operantibus nobis dependentis, ſed cœleſtis cibi eam uirtutem prædicat.

Idē a B. Leōe.

Ita quoq; beatus ille, & doctiſs. Cyrillus Alexādrinus Epiſcopus, in Euangelium ſecundum Ioannem, tractans illa uerba Chriſti, Ego ſum panis uitæ, & quæ ſequuntur, hanc nos benedictionem cōmunicatione corporis & ſanguinis Chriſti aſſequi affirmat, ut ad incorruptionē integre reducamur. Viuificat enim, inquit, corpus Chriſti: & ad incorruptionem, ſua participatione reducit, Non enim alterius cuiuſdam, ſed ipſius uitæ corpus eſt: uirtutē incarnati uerbi retinens, & plenū poteſtate illius, quo uniuerſa, & uiuunt, & ſunt, &c. Et propterea participantes uiuificat iſta caro. Eijcit enim ab ijs mortem, & interitum penitus expellit, &c. Vita enim ſecundum naturam ille eſt, qui ex uiuo patre eſt genitus, Sed non minus caro eius uiuificat, tanq; coniuncta uerbo dei, a quo cuncta uiuificantur, Quam cum cōmedimus, tunc uitam habemus in nobis, illi coniuncti, quæ uiuifica effecta eſt, Quam ob cauſam, in exuſcitandis mortuis, non ſolū uerbo & imperio, ut Deū, uſum Chriſtum, uerum, etiam carnem ſuam, ut cooperatricem, nōnunq; adhibuiſſe: ut re ipſa comprobaret, carnē

Idē clariſſime, & copioſiſſime a b. Cyrillo

Viuifica uis illius panis in nobis.

quóq; ſuam, quoniam ſibi coniuncta eſt, uiuiſicam eſſe. Ita principis ſynagogæ filiolam, apprehenſa manu erigendo, & uerbo, & uiuiſicæ carnis ſuæ tactu excitaſſe, Ita & ciuitatem Naim ingrediens, adoleſcentis, qui mortuus efferebatur, corpus tangendo, illum ipſum reſuſcitaſſe ex mortuis. Non ergo ſolo uerbo, ūerū etiam tactu excitauit mortuos: ut oſtenderet, corpus quoq; ſuum uiuiſicare poſſe. Quod ſi ſolo tactu ſuo corrupta redintegrãtur, quomodo, inquit, non uiuemus, qui carnem illam, & guſtamus, & manducamus? Reformabit certe ad immortalitatem participes ſui. Rurſus, Sicut enim, inquit, ſi quis liquefactæ ceræ, aliam ceram ſuperſuderit, alteram cum altera per totum commiſceat oportet, Ita ſi quis carnem, & ſanguinem domini recipit, cū ipſo ita coniungatur neceſſe eſt, ut Chriſtus in ipſo, & ipſe in Chriſto inueniatur, Et ſicut parum, ut ait Paulus, fermenti, totam maſſam fermentat, ſic paruula benedictio (Euchariſtiam intelligit) totum hominem in ſe ipſum attrahit: et ſua gratia replet: & hoc modo in nobis manet Chriſtus, & nos in Chriſto: ūere enim totū fermentum in totam maſſam pertranſit.

Simile.

Simile aliud.

Vt ad frequētem cõmunionem exhortetur fideles oēs

Tandem ad frequentem communiõem, omnibus excuſationibus excluſis, Chriſti fideles excitans, Quare, inquit, pias quæſo cogitationes ſuſcipiant: ſtudioſe, ſanctéq; uiuant: & benedictiõe, ſeu Euchariſtia participent: Quæ, mihi crede, non mortem ſolum, uerum etiam morbos omnes depellit, Sedat enim, cū in nobis maneat Chriſtus, ſæuientem membrorum noſtrorum legem: pietatem corroborat: perturbationes animi extinguit: nec in quibus peccatis ſumus conſiderat, ſed ęgrotos curat: colliſos redintegrat: Et ſicut paſtor bonus, qui pro nobis animam ſuam poſuit, ab omni nos caſu erigit.

Nota, quæ in nobis operetur Euchariſtia.

Hæc eſt, & Cyrilli illius, & orthodoxorum patrum omnium

omniū, ut aliquando finiam, atq; adeo catholicæ Chriſti æccleſiæ fides, & doctrina, de uirtute, & efficacia Euchariſtiæ, conformis Chriſti euangelio, Ad quam, ſuam nunc doctrinam, & ſtatum ſuæ, quæ hac de re inter ipſos & nos eſt, controuerſiæ, diligenter expendant & conferant: qui in eo uertitur, quod impiam, Pharizaicam, atq; adeo ethnicam dicūt noſtram de Euchariſtia ſententiā, qua, ipſam, ex ſe, & in ſe, (quod opus operatum dicunt) ualere aliquid affirmamus, ad aſſequendam remiſſionem peccatorum, iuſtificationiſq; gratiam, & uitam immortalem, & multa alia. In quo, ſi obtinent, neceſſe eſt, ut & Chriſtum, & orthodoxos, quos ſequimur, patres omnes, atq; adeo, uniuerſam catholicam Chriſti æccleſiam, eadem impietatis nota inuoluant.

Sed hæc eſt, inquiunt, ſtatus huius, tam certa, tā firma probatio, ut aduerſus omnes portas inferorum queat ſubſiſtere, Quæ nam? Quia impoſſibile eſt, conſequi remiſſionem peccatorum, propter opus noſtrum, ex opere operato: ſed fide oportere uinci terrores peccati, & mortis: cum erigimus corda cognitione Chriſti, & credimus nobis ignoſci propter Chriſtum, & donari merita, & iuſtitiam Chriſti: dicente Apoſtolo, Iuſtificati ex fide, pacem habemus. *Perpēde qualis ſit ſtatus cauſæ aduerſariorū probatio*

Hactenus ſtatus probationem audis, Quæ ſi tam certa, & firma ſit, q; illi iactant, ego plane me cœcū confiteor: qui, in hijs uerbis, nullam argumentationis formam, nullā cohęrentiam, nihil non euidenter falſum, nihil, etiamſi daretur, ſententiæ noſtrę aduerſarium, poſſum perſpicere: & fortaſſis efficiam, ut idem tibi uidebitur quiſquis hæc noſtra lecturus es.

Impoſſibile eſt, inquiunt, conſequi remiſſionem peccatorum propter opus noſtrum ex opere operato. *Euidentis falſitatis coargui*

tur aſſumptũ, ab aduerſarijs ad probationẽ ſui ſtatus principium.

Hic mihi reſpondeant, An paruulos baptizatos, propter baptiſmum fateantur peccatorum remiſſionem conſequi. Et ut pro illis reſpondeam, fatentur ſane, & nobiſcũ damnãt Anabaptiſtas, docentes contrarium. Quod enim propter baptiſmum aſſequantur illam gratiã, nullo cauillo eludi poteſt. Nam baptizati, aſſequuntur: non baptizati, eadem carent. Propter baptiſmũ ergo illi aſſequuntur hãc gratiam, qua carent iſti.

Iterum reſpondeant. An baptiſmus ualeat ad iuſtificationis gratiam, ex opere operantis, an ex opere operato? Opus operãtis hac in re, uel baptizantis, uel baptiſma ſuſcipientis, neceſſario intelligendum eſt, Baptizantis, aut boni motus uoluntatis eius, hac in re, nullum a Deo reſpectum haberi, ut qui frequenter malus eſt, & indignus, propter quem deus alteri peccata remittat & det iuſtificationis gratiam, plane indubitatum eſt: Et clariſſima habet catholicæ æccleſiæ confeſſio, dignitatem, aut indignitatem miniſtrorum, non uariare ſacramenti efficaciam, Quod & ipſum, nobiſcum confitẽtur aduerſarij, Opus baptiſmum ſuſcipientis paruuli, nullum eſt, Nec fingi ergo poteſt, ut ex opere operantis, baptiſmus, illi in remiſſionem & iuſtificationis gratiam ualeat. Reſtat ergo, ut eidem ex opere operato ualeat: Falſum eſt ergo, quod in hac probatiõe ſui ſtatus aſſumunt, principium, Cui, quod adiungunt, uelut probationis cauſa, fide oportere uinci terrores peccati, & mortis: cum erigimus corda cognitione Chriſti, & credimus nobis ignoſci propter Chriſtum, mihi uidentur ueteris ægroti inſomnia.

Vt ꝓbent aſſumptũ illud a ſe principium.

In primis, quo ſibi conſtent, de fide illa ſua ſpeciali, promiſſæ nobis iuſtificationis, & ſalutis in Chriſto, illos loqui certum eſt: quam nihil eſſe, quam merum figmentum, & ſomniũ, de quo, nec illi ipſi ſatis intelligunt, quid

quid intelligant, controuerſia ſecunda luculentiſſime de-
mouſtrauimus.

Deinde. Quid eſt hoc: uinci terorres peccati & mortis? Terror, eſt, timorem incutientis actio. Terror ergo peccati & mortis, eſt, quo peccatum & mors territant, & ſui timorem quendam incutiunt. Poteſt autem & iuſtus timere peccatum, & mortē, atq; timet frequēter: ubi graui aliqua tentatione conſtringitur.

Quod addunt: Cum erigimus corda cognitione Chriſti, & credimus nobis ignoſci propter Chriſtum, & donari merita & iuſtitiam Chriſti: ad explicandum characterem, ſuæ illius fidei pertinent, quam ſupra excuſſimus.

Ad quam nihil pertinet illud quod ſubiungunt ex apoſtolo. Iuſtificati ex fide pacem habemus: ut cui, ſpecialis illa fides aduerſariorum, plane fuit incognita, ſed loquitur ille, de fide catholica, tamen uiua illa, quæ per dilectionem operatur: ob quam, uelut ob diſpoſitionem quandam in nobis prærequiſitam et præuiam, iuſtificamur a Deo: nō ab ipſa fide, nec fidei eius merito, ſi meritum condigni intelligas, ſed gratis ac liberaliter: ob unam Dei bonitatem, & miſericordiam. Qui ut Abraæ, gratioſe imputauit fidem eius ad iuſtitiam, q̄uis ex ſe non iuſtificaret, nec iuſtificationem mereretur, ſecundum illam legem operū: ita & nobis imputat.

Et hactenus, ut aſſumpta omnia, in illa probatione ſtatus ſui, plane falſa ſint, nec quicq; eorum probatum ab aduerſarijs. ſatis demonſtratum eſt.

Nunc, ut nulla argumentationis lege cohæreant, nec quicq; noſtræ aduerſarentur ſententiæ, etiam ut darentur omnia, explicandum eſt. *Vt nulla argumentationis lege coherent, quæ aſſumuntur ab aduerſarijs.*

Sit, ut uolunt, impoſſibile, quenquam remiſſionem peccatorum conſequi, propter opus noſtrū ex opere operato.

Nec ex illis etiam datis ſequeretur, quã moliuntur cõcluſio.

Sint quæ adiungunt omnia. Sed quid hæc ad Euchariſtiam: hoc eſt, ad corpus & ſanguinem Chriſti, ſub ſpeciebus panis, & uini in ſacramento: ad illum cœleſtem, uiuum, & uiuificum panem, eius uim, energiã, & efficaciam, de qua una hic agitur, pertinent: Nunquid corpus & ſanguis domini in Euchariſtia, ille uiuens & uiuificus panis, qui dat uitam ipſum digne ſuſcipientibus, cuius ſalutarẽ uim prædicamus, noſtrum opus eſt: Et hæc eſt ſtatus ueſtri tam firma ac certa probatio, ut aduerſus omnes portas inferorum queat ſubſiſtere:

Ex hoc uno, opinor, intelligis lector, quantum pepercimus ac condonauimus aduerſarijs: qui non ſingula eorum dicta, collectionesq; excuſſimus, ſed ſummam tantum controuerſiarum complexi ſumus, noſtram ſimpliciter aſſerentes, illorum uero confutantes ſententiam: diſſimulantes interim ad uerba rationesq; quibus eandem aſtruunt: ad tautologias: ad inconcinnam, immo nullam eorundem cohærentiam: ut una hac plane in re, eius authores, ſuæ dialecticæ prorſus obliti uideantur. Quod perpetuo quidem conſtitueramus facere, ſed hæc tam firma ac certa ſui ſtatus, quam iactant, probatio, ut aduerſus omnes portas inferorum præualeat, nos coëgit, præter inſtitutum, hic cum eis agere. Quod etiam eo conſilio a nobis factum intelligãt, ut admoneantur, ſuæ ſententiæ non tam certo fidere: Se homines eſſe, & facile errare poſſe: præſertim ubicumq; a recepta a patribus, communiq; æccleſiæ ſententia diſſentiunt.

Quæ nobis palam affingant, a noſtra ſentẽtia alieniſſima

Qui & hoc admonendi ſunt, non ſe candide egiſſe, aut agere, qui in ſua confeſſione, opinionem nobis affingunt, quæ priuatas miſſas in infinitum auxerit. Quod uidelicet, Chriſtus, ſua paſſione ſatisfecerit tantum pro peccato originis, & inſtituerit miſſam, in qua fieret oblatio, pro quoti-

dianis

dianis delictis mortalibus,& uenialibus. Ego ſane,qui etiã in ſcholis plæriſq; ãnis uerſatus ſum,ubi magna eſt de quouis diſputandi,quiduis,diſputationis gratia & ueritatis certius excutiendę aſſerendi licentia,nunq̃ tamen audiui,nũquam legi,a quopiam proferri opinionem eiuſmodi, priuſq̃ eorum confeſſionem legerem. Nec puto ullum proferre poterunt,ſeu ſcholaſticum,ſeu alium,qui eiuſmodi opinionem aſtruat:& ſi quem inueniſſent, non candide facerent, quod unius ſtoliditatem,nobis omnibus affingerent, qui nihil tale apud noſtros,aut legimus,aut audiuimus: & eiuſmodi portentis,noſtram doctrinam conſpergant,commaculent,& traducant,apud harum rerum ignarum,& ſibi credulum populum.

Deinde & hoc admonendi ſunt. Quod prorſus inepte imaginantur de ualore alicuius,& efficacia ex opere operato,nec noſtram ſententiam intelligunt:qui perinde accipiũt,cum nos dicimus ex opere operato ualere aliquid ad remiſſionem peccatorum,iuſtificationis gratiam, aut ſalutem,ac ſi diceremus ipſum mereri de ſe, peccatorum remiſſionem,iuſtificationem & cœtera eiuſmodi. Non hoc dicimus nec intelligimus, ſed hoc intelligimus ualere ad aliquid ex opere operato, quod eo ualet & proficit, ex ipſa aut operis,aut rei in ſe uirtute & efficacia. Quam,nonnunq̃ habet, ex ſua ipſius natura, & eſſentia: nonnunq̃, ex beneplacito alicuius, a quo uelut efficax ſignum,ad hoc ipſum inſtitutũ eſt, Habẽt panis,& uinũ ex ſua eſſẽtia & natura,uim nutriẽdi corporis:medicamenta,quodq̃,efficiẽdi,quod ſui eſt operis. Sicubi more ſolẽni inſtitutus uſitatusq; mos eſt, annulo aut purpupura miſſa a principe, magiſtratu aliquo,& authoritate inaugurãdi aliquẽ, eadẽ ipſa ſymbola ad hoc miſſa aut data alicui a principe,illi ipſi magiſtra-

Quam inepte imaginẽtur de ualore alicuius ex opere operato.

Quid intelligamus ualere ad aliquid ex opere operato.

Declaratur duplex genus ualoris ex opere operato.

A ſimilibus.

magiſtratum, & authoritatem eiuſmodi conferunt: nō quidem ex aliqua ui, quæ in ipſis ſymbolis hæreat: non etiam, quod ea ipſa hoc illi mereantur ſymbola: non deniq;, quod ſuſcipientis eadem conſenſus & uoluntas id ipſum mereatur: ſed ex uoluntate principis, qui ea ad hoc inſtituit, & ſuam eiſdem uoluntatem adiungit, & declarat efficaciter, id ipſum pendet uniuerſum. Valet panis ille uiuus, & uiuificus, ex ſua ipſius natura, & eſſentia, ad uiuificandos nos non ſolum, ut cauſa eius meritoria, ſed etiam ut effectiua: ut ea in re maior intelligatur eius ad uitam animæ, q̃ panis corporalis ad uitam corporis efficacia. Sicut tamen panis, & uinum, ut uitæ conſeruandæ ualeant, & corpori nutrimentum præbeant, requirunt ſalubrem, quadam tenus, cōſtitutionē corporis, alioq nocitura q̃ profutura magis. Cū corpora immūda (ut habet ille aphoriſmus Hypocratic9) quanto plus nutrias, tanto magis lædas. Et uinum febricitanti exhibitum, ueneni inſtar ſit. Ita & panem illum cœleſtem, & ſalutis illud poculum, ſi quis ſine fide, & indigne ſumpſerit, non remiſſionem peccatorum, ſed damnationē aſſequitur, non ad uitam ſibi ſumit uitam, ſed ad interitū: non equidem ſumptorum, ſed ſua culpa ut falſum intelligant, quod criminantur de nobis, & ſuis perſuadent, fidei doctrinam nos ubiq; expungere. Quanq; illorum ſidem illam ſpecialem, ignorare nos ingenue confiteamur.

Aptatio ſimilium.

Fides, ut neceſſaria, utiliter ſumētibus Euchariſtiam.

Baptiſmus & cœtera illa ſacramenta, quæ ad ſignificādum efficaciter diuinæ in nobis operationis certum aliquē effectum, Chriſtus uelut ſymbola quædam inſtituit, ualēt ex ipſo opere operato ad aſſequendum, quibus eadem conferuntur, effectum eiuſmodi, Non quidem ex aliqua uirtute quæ in ipſis ſymbolis hæreat: non etiam, quod eum ipſum effectum, hoc eſt, uerbi gratia, remiſſionem peccatorū, & iuſtificationis gratiā, mereatur baptiſmus, aut qui baptizat

Vt ſacramenta omnia ſuſcipientibus ea effectum illū ex opere operato conferant, ad quē efficaciter

tizat

ptizat: aut qui baptiſmum ſuſcipit: ſed ex una Dei uoluntate hoc pendet uniuerſum: qui baptiſmũ ad hoc inſtituit, & ſuam illi uoluntatem in hoc adiungit, Nihilominus, in hijs qui iam uſum rationis aſſequuti ſunt, quo baptiſmus illum ſuum operetur effectum, & fidem in primis requirimus, & ex fide pœnitentiam uitæ ueteris, & nouæ ſecundum dei uoluntatem & legem peragendæ ſtudium, Quæ tamen uniuerſa, nec merentur, nec operantur remiſſionẽ peccatorum & iuſtificatiõis gratiam: ſed ob meritum paſſionis Chriſti, quod per baptiſmum, ex eiuſdem inſtitutiõe nobis communicatur, Deus gratis nobis peccata remittit, & Chriſti nos impartit iuſtitia.

Hæc doceri a nobis, ſi recte intellexiſſent aduerſarij, & fideliter docuiſſent populum, nihil opus habuiſſent, nouã illam prodigioſamq; ſuæ fidei doctrinam comminiſci: & eadem conſpurcare uniuerſa pene noſtræ ſalutis, religioniſq; ſacramenta, & myſteria: & credulo populo, quo ſibi apud illum, locum facerent, authoritatem conciliarent, eũdemq; a catholica Chriſti æccleſia & doctrina auerterent, multa de nobis perſuadere, euidentia atq; impudẽtia mẽdacia.

Euchariſtiã in miſſa, ut ſacrificium deo gratiſſimũ, eidem offerri pro uiuis, et mortuis Dẽmõſtratur cõſona fide catholicæ ab initio ad præſens uſq; per orbẽ æccleſiæ.

Quod Euchariſtiam in miſſa, uelut ſacrificium Deo gratiſſimum, eidem offeramus, non ſolum pro uiuis, ſed etiam pro mortuis, hoc ipſum, exemplo, traditione, & doctrina catholicæ æccleſiæ facimus, In qua hoc ipſum, ſancti, orthodoxiq; patres noſtri (quos ſequendo errare non poſſumus) toto orbe terrarum maximo conſenſu fecerunt ab initio.

Iſidorus, quo hoc argumento affirmet recepiſſe æccle-

Iſidorus ille, ante annos D. CCCC. æccleſiaſticorũ, quæ tunc per orbem obſeruabantur, offitiorum explicans rationẽ, tradit ex apoſtolica inſtitutiõe hoc ipſum ab initio recepiſſe æccleſiam, Cuius hoc argumentũ profert, Quo-

ſiă ex inſtitutione apoſtolica. niam, inquit, per totum orbem, ſemper, a temporibus apoſtolorum hoc cuſtoditum eſt, credimus ab ipſis apoſtolis eſſe traditum. Hoc certe illi credes, uiro tanto, quod ſuo illo ſæculo (cuius ignorantiam prætendere non potuit) ita toto hoc ipſum orbe (quemadmodum affirmat) obſeruatum fuerit, in catholica æccleſia: Et poſtq́ etiam cæterorũ de eodem, ante ipſum, patrum teſtimonia perquiſieris, intelliges, quod in nullo mentitus ſit, Nam circiter ducentis ante hunc annis, idem affirmat Auguſtinus lib. de cura agenda pro mortuis, Et lib. ix. Confeſſi. matrem ſuam, catholicam, & ſanctam mulierem, commendat, quod inſtante reſolutionis ſuæ die, non de ſepulchri honore, ſed ſolum de hoc uno eſſet ſollicita, ut frequens ipſius memoria ad altare fieret, ut in qua, ſciret diſpenſari uictimam illam ſanctam, qua deletum eſt peccati chyrographum.

D. Auguſtinus teſtis eius catholicæ fidei.

Ad hęc de hęreſibus cap. 55. Aerij cuiuſdam, ſuo ſæculo hæretici, profana dogmata enumerans, quæ confinxit contra fidem catholicam, inter cætera uel præcipuum hoc profert, q̃d docuit non oportere nos offerre oblationẽ pro mortuis, Nihil proinde dubitari poteſt, quæ eo tempore fuerit fides catholicæ æccleſiæ.

Eiuſdē Chryſoſtomus. Quam, quod ab ipſis apoſtolis, acceperit æccleſia, confirmat ille S. Chryſoſtomus homĕ. lxix. earum quas Bernhardus Brixianus latinas fecit, Non enim temere, inquit, ab apoſtolis hæc ſancita fuerunt, ut in tremendis myſterijs, defunctorum agatur commemoratio, Sciebant enim multum illis lucrum, utilitatem multam inde contingere, Cum enim totus populus conſtiterit extenſis manibus, & ſacerdotalis plenitudo, ac tremendum propinatur ſacrificium, quomodo deum pro hijs ſupplicantes non exorabimus?

Vide ut affirmet ſancitũ ab apoſtolis..

Audis quid ille ſancitum affirmet ab apoſtolis, utq́

tremendi

tremendi ſacrificij propinatio aut oblatio, cum oratione pro defunctis effuſa, eiſdem apud Deum plurimam utilitatem conferat.

Ita quoq; eiuſdem catholicæ per orbem fidei. Diuus ille Ambroſius clariſſimum teſtimonium perhibet, in cōſolatoria ad Fauſtinum, ſuper morte ſororis epiſtola. Ego, inquit, non tam deplorandam, q̃ orationibus proſequendam reor: non mœſtificandam lachrymis, ſed magis oblationibus animam eius domino commendandam.

Eiuſdem fidei teſtis D. Ambroſius.

Ante hos omnes ille Cyprian⁹ epiſ: ix. li: 1. de victore quodã ſcribens, qui cõtra decretũ epiſcoporũ, presbyterũ quendam rerum ſuarũ actorẽ teſtamẽto conſtituerat, eius ipſius decreti tenorem ſubijciens, dicit, anteceſſores ſuos epiſcopos ſalubriter ſtatuiſſe, ne qs frater, excedẽs de ſæculo, ad tutelã aut curam bonorũ ſuorum, clericum nominaret, Quia ſi quis hoc fecerit, non offeratur pro illo, nec ſacrificium pro dormitione eius celebretur, Neq; enim ad altare Dei meretur nominari in ſacerdotum prece, qui ſacerdotem ab altari uoluerit auocare. Proinde de victore ſubijciens, Et ideo, inquit, Victor, cum contra formam nuper a ſacerdotibus datam, Geminium fauſtum, presbyterum, auſus ſit actorem conſtituere, non eſt quod pro dormitione eius apud uos fiat oblatio, aut deprecatio aliqua in æccleſia eius nomine frequentetur: ut ſacerdotum decretum, religioſe & neceſſitate factum, ſeruetur a nobis: ſimul & cæteris fratribus detur exemplum, ne quis ſacerdotem Dei ad ſeculares moleſtias deuocet. Hactenus ille, Audis itaq; non ſolum Cypriani, ſed etiam anteceſſorum eius temporibus, hoc eſt, ab ipſo mox initio, morem fuiſſe in uniuerſa æccleſia, ut pro defunctis, a ſacerdotibus offerretur altaris ſacrificium.

Eiuſdẽ quoq; teſtis Cyprianus.

Nota ſtatutũ Epiſcoporum quod citatur à Cypriano.

Eiuſdem fidei, & obſeruationis ab initio etiam Tertullianus teſtis.

Quem morem, etiam longe ante hunc, Tertullianus libro de corona militis, inter illas antiquas æccleſiæ cõſuetudines numerat, quibus tribuit authoritatem apoſtolicã, tametſi ſine ſcripto nobis commendatæ ſint.

Iſtas nos aquilas, ſe congregãtes ad illud corpus cuius caput Chriſtus eſt, hos duces & anteſignanos ſequimur: immo catholicæ, per uniuerſum orbem, ab ipſis, ad preſens uſq;, apoſtolorum temporibus, fidem & communem ſententiam ſequimur: offerentes altaris ſacrificium, pro uiuis, & mortuis, & credentes pro ijſdem offerri utiliter, & efficaciter. Nam ex omnibus omnino ſæculis, ex omnibus orbis terræ cardinibus, teſtes indubitatæ fidei protulimus, ſemper ab initio ita tenuiſſe fidem catholicorum omnium. Quos, an tutius ſequi ſit, q̃ nouos hos Euangeliſtas, noui Euangelij, nouæ fidei præcones, nobis certum eſt. Ipſi uiderint, qui hos magis ſequi dignum duxerint.

Sacrificij altaris oblatio, qđ ualeat his pro quibus offertur.

Non tamen hęc, aut facientes, aut docentes, credimus, quod hęc ſacrificij pro illis oblatio, ijſdẽ mereatur ex opere operato remiſſionem peccatorum, & uitam æternam: ut ſtulte imaginantur, & mendaciter nobis affingunt aduerſarij.

Quam ridicule de hoc imaginentur, & quæ mendacia nobis aſcribãt aduerſarij.

Sed hoc dicimus, oblationem pro illis, ſacrificij, ualere ijſdem, ex uirtute, & dignitate ipſius in ſe ſacrificij acceptiſſimi Deo: & non tantum ex bono motu cordis offerrentis, atq; eius deuotione, & merito, Quantum uero, et quouſq; illis ualeat & proficiat, nobis incertum eſt: ſed in illius, cui ſacrificio ſupplicamus, eſt arbitrio, Quem tamen, ut ad uetera, q̃uis carnalia ſacrificia, ex fide ipſi oblata reſpexiſſe, & eadem offerentibus, aut pro quibus oblata fuerunt, propitiatum fuiſſe, & uel remiſiſſe peccata, uel continuiſſe iram furoris ſui, et reſtrinxiſſe plagam iam deſeuientem in populum, uniuerſa ſcriptura teſtis eſt. Ita

multo

multo magis, ſacroſancti huius omnium perfectiſſimi, effi cacisſimi, ſibiq; gratiſſimi ſacrificij reſpectu et intuitu, ipſum facere, ut dubitemus, nulla ſane cauſa mihi eſſe uidetur, nulla ratio.

Cum hactenus ſcripſiſſem, forte ſe obtulit Philippi Melanthonis libellus quidam, hijs ipſis diebus, quibus Vuormatiæ fuimus ęditus, quo aliquot ſuæ ſententiæ capita conatus eſt aliquanto diligentius aſtruere. Et inter cætera, cõtra miſſam priuatam. Aduerſus quã, hoc ſibi uelut noſtræ doctrinæ, & ſententiæ contradicens thema aſtruendum proponit. Quod miſſa, ſeu uſus ſacramenti, non ſit ſacrificium, ſeu tale opus, quod factum a ſacerdote, & applicatum pro alijs, mereatur remiſſionem peccatorum facienti, & ijs quibus applicatur uiuis & mortuis. Quę cum legerem, mihi plane perſuaſerunt, quod alioqui haud raro in mentem incidit, hos homines, nunq; didiciſſe fidem in catholica ęcclesia: ſed uelut æthnicos, ex profanis ſtudijs, prima ſuæ fidei rudimenta hauſiſſe ex Lutheri Euangelio: noſtrorum uero dogmatum prorſus rudes eſſe: ſed fingere ſibi de nobis, ſua ipſorum, quæ impugnent, ſomnia. Nihil enim de illis poſſum dicere aut ſentire modeſtius. Nam, ut ſcientes uolenteſq; nobis affingere uellent impudentia (quod tamen faciunt) & plane palpabilia mendacia, nimis foret impudens, & mente captorum hominum.

Philippum aduerſus noſtrã de miſſa priuata ſententiam, quam imperti nẽs cauſæ thema ſibi aſtruẽdũ proponat.

Itaq; ut Philippo hic uerbo reſpondeam, iubebo illum proferre, qui cum, hac in re ſibi putet eſſe negotium. Si proferre nullos poſſit, certe luſit operam, cum ſibi finxit improbandum, quod aſſertorem nullum habeat. Nos certe non habet, a quibus tamen uideri uult hoc ipſum credi, & aſſeri.

Quod miſſa, aut uſus ſacramenti, ſit ſacrificium, aut tale opus, quod factum a ſacerdote, & applicatum pro alijs me-

Quã nihil intelligãt aduer

ſarij catholicorum quam impugnant,ſentẽtiam.

reatur remiſſionem peccatorum facienti, & ijs quibus applicatur uiuis, & mortuis, a nobis non dicitur: nec quenq́ in hanc uſq; horam audiui. qui hoc diceret.

Sacrificium quid.

Sacrificium intelligunt omnes, id quod offertur deo: ſeu honoris Deo debiti deferendi cauſa; ſeu demerendæ eius gratiæ ac miſericordiæ, impetrandæ ueniæ, auertendę iræ, ultionis ac uindictæ, ſeu pro acceptis beneficijs gratiæ agendæ gratia. Nec ipſe offerendi actus, ſed id quod Deo offertur, eſt ſacrificium. Proinde, qui ſacrificium, uſum ſacramenti dicat, neminem comperi. Ipſum uero corpus Chriſti & ſanguiuem, ut ſunt in Euchariſtia, quando a ſacerdote offeruntur Deo, cum orthodoxis ab initio omnibus, ſacrificiũ affirmamus, et credimus: non uero, aliquod opus, quod a ſacerdote fit. Nec tamen credimus illud ipſum ſacrificium, ut a ſacerdote oblatum pro uiuis, & mortuis, mereri, aut offerenti, aut ijs pro quibus offertur, remiſſionem peccatorum.

Tametſi, Deus eius reſpectu, & offerenti, & alijs qui ſe eiuſmodi gratia non indignos exhibent, ſæpenumero peccata remittat: & ſuam gratiam impartiat. Quemadmodum hactenus explicauimus. Quare nihil opus eſt, ut reſpondeamus hic eius rationibus. Quod ſi faceremus, intelligeret, q́ in illis ſuæ dialecticæ parum meminerit.

Explicatio rationis eius præcipuæ, et quæ cæteras omnes uirtute includit.

Attamen quia ratio eius quinta, & ultima, quæ etiã uirtute includit priores omnes, ſimpliciter proponit, opinionem de ſacrificio altaris continere manifeſtam & multiplicem idololatriam, paucis perſtringenda eſt. Duobus autem medijs conatur id quod proponit, aſtruere.

Primum. Quoniã idololatriam eſſe dicit, inſtituere cultũ extra uerbum, & ſine uerbo Dei. Oblationem uero ſacrificij noſtri in miſſa, eſſe cultum talem qui non habet mãdatum Dei, Eſſe proinde cultum idolatricum:

Secun-

Secundum. Sacramentum extra uſum a Chriſto inſtitutum, non eſſe ſacramentum, ſed contumeliam ſacramenti. Miſſam in qua fit oblatio, non habere inſtitutionẽ Chriſti: proinde, nec eſſe ſacramentum. Horribilem ergo idololatriam in eadem committi. Abijciendum ergo canonem, quem uocamus: ut in quo apertis uerbis fit oblatio, & applicatio pro alijs, & additur idololatrica ſanctorum inuocatio.

Eiuſdem rationis excuſſio.

Hæc rationis, & argumentorum ſumma eſt, (ne uerborum portenta quibus eandem explicat, & collectionũ ineptias cogamur per ſingula excutere) quæ uniuerſa ex hiis duabus propoſitionibus pẽdet, Et, quod a Chriſto inſtitutum non ſit, ut hoſtiam illam ſacroſanctam, quæ ſeipſam ſemel in cruce obtulit, corpus inquam, & ſanguinem agni illius immaculati in Euchariſtia, offeramus ipſi Deo, pro nobis, et alijs, Et, quod idololatria ſit, quicquid ſit diuini cultus gratia, ſine expreſſo dei uerbo, quo ſic ſe coli præcepit, aut hoc ipſum fieri inſtituit.

Hanc aduerſũ ſe rationẽ ponderent aduerſarij, et cũ ſuis rationibus cõferant.

Nos paulo ante demonſtrauimus, uniuerſam, toto orbe, ab ipſis apoſtolorum temporibus, ad nos uſq; Chriſti æccleſiam, obtuliſſe ſacroſanctum illud altaris ſacrificium pro uiuis, & mortuis. Et quod ea in re, tanto conſenſu fecit, nihil dubium eſt eandem accepiſſe traditum ab apoſtolis. Proinde, nec apoſtolis quidem ipſis, ſed nec angelis de cœlo, nobis credendum eſt, ſi nunc annunciarent, & docerent aliter: ſi tamen Paulo credimus, qui hoc facientibus, etiam anathema denunciat: nec ſibi ipſi parcens, nec coapoſtolis, neq; ãgelis de cœlo. Sed licet aut nos, inquit, aut angelus de cœlo euãgelizet uobis, præterq; quod euangelizauimus uobis, anathema ſit, Sicut prædiximus, & nunc iterum dico. Si quis euangelizauerit uobis præter id quod accepiſtis, anathema ſit. Hoc accepimus nos a patribus, ac-

ceperunt illi a ſuis, accepit ab initio toto orbe æccleſia, ab ipſis nimirum apoſtolis ut ſacrificarent deo, corpus & ſanguinem Chriſti in Euchariſtia, & offerrẽt pro uiuis et mortuis. Quid igitur? An anathema non ſunt, non ſolum, qui nunc euangelizant cõtrarium, ſed etiam uniuerſam ab initio catholicam Chriſti æccleſiam horrendæ idololatriæ ream peragunt? an hijs credemus, qui nec apoſtolis in unum omnibus, nec angelis de cœlo, ſi hæc docerẽt, iubemur credere? Si ſcripturam exigis, qua tibi demonſtretur a Chriſto inſtitutum ut ſic fieret, hoc ſcio, Paulum de nulla ſcriptura loqui: ſed de doctrina, quam uiua traditione æccleſia acceperat ab apoſtolis. A quibus, quod & hoc acceperit, conformis toto orbe, quã demonſtrauimus, obſeruatio æccleſiæ, ab ipſo ſui initio, certiſſimo argumento eſt. Quę nec fingi quidem poteſt, aliam, quã apoſtolicæ traditionis cauſam habere. Apoſtolos autem tanto conſenſu nihil tradidiſſe, niſi quod authore Chriſto, unctione diuini ſpiritus acceperant, prorſus indubitatum eſt. Proinde, Si quantum opus eſt, dicendum fuit, iam cauſa dicta eſt.

Quale tamen etiam illud ſit, quod hic, uelut certiſſimi principij loco aſſumit, Eſſe idololatriam, quicquid fit diuini cultus gratia ſine expreſſo uerbo Dei, quo ſic ſe coli pręcipit, aut hoc ipſum fieri inſtituit, quia ſæpe in confeſſione aduerſariorum recurrit, quam hic præcipue excutiendam deſumpſimus, ne hic nos a propoſito longius diſtrahat, eius explicandi poſt incidet locus oportunior.

Euidenter falſum demõſtratur, quod aduerſarij uelut certiſſimi principij loco aſſumunt.

Interim tamen unum hoc uelim rogatum Philippum, qui hoc uelut irrefragabili argumẽto audet anathema Pauli cõtemnere, audet nos docere contra id quod accepimus a patribus, quod ab initio accepit & obſeruauit toto orbe Chriſti æccleſia, audet eam uniuerſam horrendæ profanationis, & idololatriæ ream peragere, hoc inquam mihi reſpondeat,

ſpondeat, quod Dei uerbum expreſſum ex ſcripturis pro-
feret, unde conſtet hoc exegiſſe deum ab Abele, ut ipſi of-
ferret de primogenitis gregis ſui, & de adipibus eorũ? Hoc
ſcio, quod nullum in ſcriptura uerbũ eſt, unde conſtet hoc
inſtituiſſe & exegiſſe deum, aut ab ipſo, aut in uniuerſum
ab humano genere, ut hoc cultu honoraretur, priuſq; ille
Deum ſic coleret: factum tamen Deo placuiſſe ſcriptura
non tacet, Poſt deſcriptã natiuitatem Cain & Abelis, fuit
autem, inquit, Abel paſtor ouium, & Cain agricola, factũ
eſt autem poſt multos dies, ut offerret Cain de fructibus
terræ munera domino, Abel quoq; obtulit de primogeni-
tis gregis ſui, & de adipibus eorum, Et reſpexit dominus
ad Abel & ad munera eius, Ad Cain autem, & ad mune-
ra eius non reſpexit: Hactenus ſcriptura: In qua nihil ui-
des præter id quod diximus: nullum certe Dei uerbum,
quo ille cultus inſtitutus fuerit: immo nihil, unde non cõ-
ſtet, ſpontanea uolũtate ſua oblationibus illis ſuis coluiſſe
Deum: Qui illi ex Abele acceptus fuerit, ex Cain non
fuerit.

Rurſus, Quod mihi Dei uerbum expreſſum profe-
ret, quo inſtitutus & præceptus ſit ille cultus quem Noe
poſt diluuium egreſſus arcam Deo exhibuit, ædificans
uidelicet illi altare, & in eo holocauſta offerens de pecori-
bus & uolucribus mundis, qui ſecum arcam exierant?
Scio inuenturum nihil: attamen cultum illum placuiſſe
Deo, & eius uelut reſpectu pepegiſſe fœdus cum humano
genere ne ultra ipſum deleret aquis diluuij, ſcriptura non
tacuit: Odoratuſq; eſt, inquit, dominus odorẽ ſuauitatis,
et ait ad eum, Nequaq; ultra maledicam terræ propter
homines &c. nec ultra percutiam omnem animam ui-
uentem, ſicut feci. De Abraam quoq; dicit ſcriptura,
Quod cum egreſſo illi ex Aran in terram Canaan uſq; ad

Sichem & cōuallem illuſtrem, apparuiſſet dominus, promittens ſe daturum illi, hoc eſt, ſemini eius, uniuerſam terram illam, ędificauerit altare domino, qui ipſi apparuerat. At nullum Dei uerbum in ſcriptura eſt, quo, hoc, ab illo exegerit, & ſic ſe coli ab illo prǽceperit. Idem, ne fruſtra ſim prolixior, in plęriſq; cultibus, quibus Iſaac, & Iacob, Deū coluerūt, factum inuenies, Quare neceſſe eſt, ut hĳ omnes, in hĳs cultib⁹, impĳ idololatrię fuerint: aut ut impium, & in Deum, & ſanctiſſimos uiros blaſphemum, ſit hoc Philippi, & aduerſariorum axioma: de quo poſt iterum locus neceſſarius incidet.

Reſponſio, ad ea q̃ cōtra ſacrificiū Eucharistiæ in miſſa, inducuntur ex Epiſ. ad Hebræos.

Reſtat itaq; paucis reſpondere ad ea, quæ aduerſum nos inducunt, ex Pauli ad Hebræos epiſtola.

Chriſtus, inquit ille, perfectorum bonorum Pontifex, per proprium ſanguinem ſemel introiuit in ſancta, ut deinceps appareat uultui Dei pro nobis, non ſæpe offerens ſemetipſum: ſed ſemel oblatus ad multorum exhauriendum peccata, ſemel nos ſanctificauit per oblationem corporis ſui: unaq; oblatione conſumauit in æternum ſanctificatos.

Vniuerſa hæc pulchre nobis conueniunt cum Apoſtolo, Et nihilominus cum ſanctis, orthodoxiſq; patribus noſtris, & catholica Chriſti æccleſia, credimus etiam nos celebrare incruentam ſacrificĳ ueritatem, & ſanctam, uiuificatricemq; nos offerre hoſtiam in æccleſia.

Sed negat, inquiunt, Apoſtolus Chriſtum ſeipſum ſępius offerre, ſed unica oblatione affirmat conſumaſſe ſanctificatos.

Et nos per omnia conſentimus Apoſtolo. Negamus & nos, Chriſtum ſe ipſum ſępius obtuliſſe: hoc enim ſemel in ara crucis fecit: ſed nos ipſum quotidie offerimus in æccleſia

cleſia, Nec hoc negat Apoſtolus Chriſtum offerri ſæpius: ſed negat, quod ſemetipſum ſæpe offerat: & deinde, unitatem apud nos ſalutaris illius hoſtiæ, ex eius perfectione aſtruit. Nam ueteres ac typicæ illæ, multæ erant: quod earum nulla perfecta eſſet ad remittenda peccata, conſumãdoſq; accedentes. At nos, inquit, ſanctificati ſumus per oblationem corporis & ſanguinis Ieſu Chriſti ſemel: qui unam pro peccatis offerens hoſtiam, in ſempiternũ ſedet ad dexteram dei, Vna enim oblatione conſumauit in æternum ſanctificatos. Nulla alia opus eſt, neq; ut iterum ſeſe offerat Chriſtus: nihilo enim plus faceret, ſi iterum deſcendens in terras ſe crucifigi rurſus permitteret: ſi iterũ ſe patri in ara crucis offerret: nihilo plus ſibi, aut nobis promereri poſſet: totũ promeruit, quicquid mereri potuit, ſemel oblata illa hoſtia: quæ totius ab initio mundi, immo, infinitorum, ſi eſſent, mundorũ peccatis omnibus ſufficit, Quid igitur? Nunquid una illa ſemel oblata hoſtia, totius mundi peccata deleta ſunt? nunquid conſummati & ſanctificati in æternum omnes? Non hoc dicit Apoſtolus: ſed una oblatione conſummaſſe, aut perfectos feciſſe dicit, omnes qui ſanctificantur, Sed non omnes ſanctificantur. Neq; enim impij, infideles, idolatræ, hæretici, ſchiſmatici, blaſphemi, ſacrilegi, & cæteri illi, de quibus Apoſtolus, quod regnum Dei non poſſidebunt: Non, quod aliquid deſit perfectioni illius hoſtiæ: quæ inexhauſtæ plenitudinis eſt, omnibus patens, omnibus ſufficiens, cuius nunq̃ exhaurietur meritum: ſed per nos ſtat, quo minus plenitudinis illius efficiamur participes. Quæ cum tantũ fluat in Chriſti myſtico corpore, in eius membra a capite, neceſſe eſt ante omnia, ut membrum ſit illius corporis, qui plenitudinis, quæ exũdat in capite, & ab eo in membra influit, particeps eſſe uoluerit.

Bifariā impediri influxum uirtutis a capite, in membrum corporis hominis aut animantis.

Deinde, ne eiuſmodi influxui ponat obſtaculū, ſuiſq; ipſum peccatis excludat. Duo quippe ſunt, quæ in humano, aut animantis corpore impediunt fluxum a capite in membrum eius aliquod, Vnum ſi diuiſa ſit eius ad caput continuitas; ſecto uidelicet neruo, per quem continuatur capiti. Alterum, ſi ea continuitate ſalua, neruus ille per quem a capite animalis facultas in membrum influit, impeditus ſit: hoc eſt, uel obſtructus, uel oppreſſus, uel influenti, quantum in ipſa eſt, parti principi aut capiti, facultatiq; tranſmiſſæ, non pateat aditus. Quod fit, ſi uel hamo, laqueoue comprehenſus aſtringatur fortiter, alioqui ſanus neruus & integer: uidebitur enim ſtatim membrum hoc, quod per eum neruum continuatur capiti, (quemadmodum in anathomicis medicorum experimentis uidere eſt) ſenſu & motu repente deſtitui. Idē accidit, ſi uiſcoſo, craſſoq; humore aliquo, neruus conſtipetur immodice: aut, ſi aliqua ſui parte, phlegmone, aut ſcirro proprio occupetur: aut uicinæ partis affectu eiuſmodi, ipſe uelut ab incumbēte ſibi onere comprimatur extrinſecus: aut, ubi luxatis, fractiſq; oſſibus, meatus per quos incedunt, arctiores reddun tur. Hijs omnibus modis, principio, exigua admodum facultatis portiūcula influentis a capite, admiſſa ad membra, propter impeditum tranſitum, eadem redduntur ſtupida: deinde, aucto illo noxio affectu, excluſo plane influxu a capite, ſenſu omnino motuq; deſtituuntur, Quod uitiū, paraliſis nominatur a medicis. Quod ſi diutius hæreat, ipſa etiam membra, excluſa diutius a commertio & influxu capitis, proprium uitium contrahūnt, tandem irremedicabile.

Nota hac in re correſpondentiam cor-

Ad eundem ſane modū accidit in corpore Chriſti myſtico. Hoc in primis per ſe notum eſt, uitalis illius influxus a capite neminem participem fieri, niſi qui eius corporis membrum

membrum eſt: & qui manens in unitate æccleſiæ, eius capiti ſuo illo modo continuatur, & coniungitur. Poteſt tamẽ, etiam ſalua illa unitate & connexione, influxum capitis excludere: ut ſi illi ponat peccati mortalis obicem. Quem niſi amoueat, & niſi feneſtram & meatum aperiat per quẽ influxus ille ad ipſum regrediatur a plenitudine capitis, nõ poteſt eius particeps fieri. Non quidem ob defectum, aut inefficatiam uirtutis quæ exundat & uiget in capite: ſed quia obſtructo meatu excludit eandem.

poris Chriſti myſtici ad animantis uerũ.

Corpori Chriſti myſtico incorporamur per baptiſmũ, ſacramentum fidei, quod prima eſt ianua aut feneſtra per quam ſalutaris illius hoſtiæ participes efficimur: per quã, plenitudo illa meriti Chriſti & gratię, ad nos influit a capite. In cuius innocentia quamdiu permanemus, ea nos iuſtificat & perfectos efficit. Quod ſi feneſtram illam obturauerimus per peccati mortalis obicẽ, neceſſe eſt, ut relictis peccatis ad ſalutaria, quæ ſuperſunt, & nobis a Chriſto ad remedium & ſalutem relicta ſunt, ſacramenta confugiamus: quibus amoliamur poſitum obicem: neceſſe eſt, ut ieiunijs, eleemoſynis, orationibus, & ſacrificio cordis contriti & humiliati, amouere ſtudeamus affectum, quem contraximus, noxium: utq; nos rurſus exhibeamus, aptos & idoneos illi influxui meriti ac plenitudinis illius ſalutaris hoſtiæ a Chriſto capite: neceſſe eſt, illum noſtra culpa a nobis auerſum, diuinæ miſericordiæ prouocatione rurſum allicere: & ad nos deriuare & conuertere ſtudeamus. Ad quod, cum multa nobis media reliquerit diuina benignitas: nullũ certe efficacius, q̃, quod eiuſdem illius hoſtiæ mundæ deo patri gratiſſimæ, illius inæſtimabilis ſacrificij (quod antea in ara crucis ille ipſe ſummus ſacerdos noſter & põtifex eidẽ obtulit) quoties placeret etiam nobis eidem offerendi poteſtatem copiamq; fecit, Quæ, plenitudinẽ ſui, ut ſemel in

cruce oblata eſt, ad nos refundit, diuinamq; ad nos benignitatem deuocat, & nos Deo, eiuſdem ſalutaris hoſtiæ glutino, ineffabili quodammodo coniungit, & ad caput noſtrum mirabilem quandam cognationem, familiaritatéq; tribuit, atq; eius influxibus q; aptiſimos paratiſſimoſq; reddit.

Videtis, ut nobis pulchre conueniat tum Apoſtolo. In quo, non noſtram, ſed apoſtoli ſententiam quærimus: Quam ueram germanamq; aſſequimur, quando in eo intelligendo reſpicimus ad communem ſententiam catholicæ per orbẽ æccleſiæ, quæ unica rectę intelligẽtię ſcripturarum certa amuſſis eſt: ad quam qui non collimant in interpretandis ſcripturis, nihil ſecum dicunt conſonum, ſed quiſq; ſuum aliquod proprium infarcit, atq; inuehit.

Peroratio. Et hactenus de Euchariſtia, an ueram ſacrificij rationẽ habeat, & ad hoc inſtituta ſit a Chriſto, ut aut debeat, aut poſſit utiliter offerri Deo, p, nobis, & alijs, uiuis et mortuis: deq; eius fructu, utilitate, & efficacia, an cuiq; ualere poſſit, ex re ipſa in ſe, quod opus operatũ appellant, aut alteri alicui ualere, q; illi qui eandem participant, ſatis mihi explicatum uidetur.

DE MISSIS PRIVATIS, CONTROVERSIA SEXTA.

Controuerſia hæc, ut in præcedẽti ſatis explicata ſit.

Controuerſia hæc, dependet ex proxima, & in ea ipſa ſufficienter explicata eſt: ita ut non reformidet ęqui iudicis iudicium: immo, ut ipſas pene conſcientias aduerſariorum appellare audeat. Qui cum propterea miſſas priuatas execrentur, quod Chriſti inſtitutioni eaſdem aduerſari exiſtimant, qui Euchariſtiã, nõ ad aliud inſtituerit, ꝗ̃ ut eadẽ cõmunicaretur populus, & cœnam illam dominicam (quod niſi multis communicantibus non ſit) nobis repræſentaret: non uero, ut offerretur pro æccleſia, & fidelibus, uiuis, & mortuis: & idolatricum cultum eſſe uolunt, omnem illum, quo Deum colimus, qui ab eodem exactus, & ad hoc inſtitutus non eſt, (Quæ uniuerſa præcedenti controuerſia luce clarius demonſtrauimus eſſe falſiſſima) nec hilũ habeant præterea, quo ſuam ſententiam comprobent, Tutius nobis uidetur, ut ſequamur quod accepimus a maioribus, & quod probat catholicæ per orbem æccleſiæ multis iam ſæculis recepta obſeruatio, & Romana tenet æccleſia, Ad quam, ob primę, & apoſtolicæ cathedrę prærogatiuam, & propter potentiorem principalitatem (ut beatiſſ. illius Irenei uerbis dicam) neceſſe eſt omnem conuenire æccleſiam: hoc eſt, eos qui ſũt ubiq; fideles: in qua, ab his qui ſunt undiq; cõſeruata eſt, ea quę ab apoſtolis traditio, In qua una, ab ipſo Petro, ad pręſentẽ uſq; Paulũ eius nominis tertiũ, haud interrupta ſerie perdurat catholicorum Epiſcoporũ ſucceſſio: per quam, etiam D. Auguſtinus retentum ſe cõfitetur

ſtetur in catholicę æccleſiæ gremio, Ad cuius ſidem & doctrinam, & ille orthodoxus doctiſſimuſq; Hieronymus, in medio oriente prope Antiochiã habitãs, in explicãdis quę tractabat fidei ſcripturãq; queſtionibus, perpetuo reſpiciebat, Eandem, etiam ultra tam uaſta terrarum mariumq; ſpatia, in dubijs conſulere non dubitabat: Hæreticum, nõ catholcum pronũciare eum, qui eius impugnaret definitionẽ & iudicium, unum illum ſuum agnoſcens, quicũq; iungeretur Petri cathedræ. Quiſquis, inquit, cathedræ Petri iungitur, meus eſt, Vitalem non noſco, Melitum reſpuo, Paulinum ignoro, ut qui ab eius ſedis communione ſe ſeparauerant, Qui ſcire ſe affirmabat, ſuper eam, uelut petram, edificatam Chriſti æccleſiam: In unius eius communione, uelut in arca Noe, ſaluari nos ab ingruente diluuio, Ex una Petri nauicula Chriſtum nobis loqui, nos docere, in una ſaluari poſſe, etiam illi ſacer Ambroſius affirmat: quã eandem, uelut orthodoxæ fidei magiſtram, & ſingulari diuinæ ordinationis diſpoſitione & aſſiſtentię prępuilegio, ad hoc nobis conſtitutam conſeruatamq; ab initio agnouiſſe orthodoxos omnes, poſterioribus tribus libris noſtris de hierarchia eccleſiaſtica luculentiſſime demonſtrauimus. Cum eius inq; cathedræ & eccleſiæ fide, doctrina & obſeruatione, quoniam concordat, quod & nos a maioribus accepimus, & adhuc toto orbe, ubicumq; uiget nomen Chriſtianum apud Indos deniq; & Armenios, obſeruari uidemus, apud quos, æque ut apud nos, miſſas priuatas celebrari certum eſt; tutius, opinor, in eo permanebimus, q̃ ut ſequamur Lutheri inſana commenta: quæ, ubiq;, ab euidẽti ueritatis luce cõuincuntur falſiſſima, & poſt illum, deſerto illo corpore ad quod congregentur illæ, quas memorauimus, aquile, in quo ſolo, Chriſtus, uita, & ſalus permanet, exeamus Chriſtum contra Chriſtum, in deſerto, in hæreti-

Toto orbe Chriſtiano in hodiernũ uſq; diem, etiam ab Indis & Armenijs, miſſas priuatas celebrari.

corum

corum cryptis, angulis & latibulis fruſtra quęrere: certam cum illis perditionem inuenturi, quicunq; demum illum cum ſuis, ſequi; illi potius, ꝙ Romanæ & catholicæ per orbem æccleſiæ credere dignum duxerint.

Et miror ſane de iſtorum hominum noua hac religione, tam exacte nos reuocante, ad unam Chriſti formam & exemplum, prçter quod, nihil a nobis uolunt fieri. Qui cũ uideant Chriſtum in ſacra illa cœna, multos habuiſſe conuiuas, omnes nempe apoſtolos, atq; eis omnibus cõmunicaſſe ſuum corpus & ſanguinem in Euchariſtia, nec a nobis miſſam celebrari uolunt, niſi multi adſint conuiue, cõmunicantes menſæ dominicæ, Quid igitur? aliorum ne tepente feruore, ſi quis eſt in charitate Dei ardentior, & uiuifici illius panis quotidianam refectionem deſyderat, etiã hic fraudari debet ſancto illo ſuo deſyderio, & cœleſtis illius panis alimonia, niſi ſociũ ſuę illius deuotionis inueniat? Chriſti exemplum, niſi plurium ſimul cõmunionem, non habet, Solus ergo, ut quis ex hoc pane edat, & bibat ex calice, contra Chriſti exemplum atq; inſtitutionem iſtis eſt. Et quid de ægrotantibus? Hos ne cõmunicant ſine menſæ & communionis ſocio? Si faciunt, ad ſua ipſorum principia parum attenti ſunt. Et quare non ſimiliter ſacerdoti, quoties libuerit, non licebit miſſam celebrare, ut ex pane illo edat, & bibat ex calice, etiam ſi nullos habuerit communionis ſocios, & participes?

Aduerſariorũ cõmenta, ꝙ nihil ſecum coherant.

Vides lector, ꝙ nihil ſecum cohereant iſtorum hominum commenta & ſomnia, Quod ſi qui abuſus in rem ſacratiſſimam & ſaluberrimam irrepſerunt, ut irrepſiſſe pleroſq; non diffitemur, ſcimus, ad quem & quos pertineat eoſdem corrigere, Et quiſq; ſuum modum agnoſcat, & officium intelligat. Et hactenus de præſenti controuerſia, ſatis mihi dictum uidetur.

f De

DE COMMVNIONE SVB VTRAQVE, AVT ALTERA ſpecie. Controuerſia Septima.

Vt introductus ſit in latinã æccleſiã uſus communicãdi laicos ſub panis tantum ſpecie.

IAmdudum, in uniuerſam Latinam æccleſiam, ritus ſub panis tantũ ſpecie Laicos cõmunicandi ſacroſanctum illud & uiuificum Chriſti corpus, receptus, fuerat: non equidem ex ulla inſtitutione, aut ſynodali, aut æccleſiaſticę hierarchię præſidis Romani pontificis, (quæ nullum huic rei inuenitur dediſſe initium) ſed ex interno quodam conſenſu Chriſti fidelium, atq; orthodoxorum præſulum: qui conſiderantes, hinc, nullam eſſe neceſſitatem, laicos cõmunicandi ſub utraq; ſpecie: nulla utilitate fraudari eoſdẽ ex ſubtracto uſu calicis, quin potius, eandẽ ipſis plenitudinẽ exhiberi ſpiritualis gratiæ ſub una panis ſpetie, ſub qua integer Chriſtus eſt, Inde uero, conſuetum eatenus ritũ communicãdi ſub utraq; ſpecie, nonnullis ſimplicioribus occaſionẽ fuiſſe infidelitatis, & petram ſcandali: ut ex quo imaginabantur, ſub ſpetie panis, ſolum corpus, uelut ex angue cadauer quoddam, et ſub ſpetie uini, ſolum ſanguinem Chriſti cõtineri: non uero ſub utraq;, Chriſtũ integrum, Qualis etiã nunc apud Boëmos pleroſq;, utriuſq; ſpeciei cõmunionẽ, uelut neceſſariam ſectantes, fertur eſſe, impia & catholicæ ab initio æccleſiæ fidei orthodoxæ contraria opinio, Quæ etiã Luthero nunc placere incepit, Quemadmodũ, contra Epiſcopum Miſneñ palam fecit. Tametſi, cum aſſertiones illas ſuas ſcriberet, hac in re orthodoxe & nobiſcũ ſentiret, Et præterea contingeret, ut Chriſti ſanguis ſub ſpetie uini, irreuerentius effunderetur in terram: nec ſeruari poſſet facile ſub ſpetie liquoris eiuſmodi, nec deferri ad communio-

nem

nem infirmorum quorumuis,quouis loco & tempore, Ad hæc,apud nationes plurimas,uini raritatem,ad cõmunionem omnium non ſufficere, communi quodam conſenſu, uelut ſuis inſpirante ſacro ſpiritu,apud omnes pene orthodoxæ æccleſiæ Epiſcopos & ſacerdotes receptum eſt, ut ſub panis tantum ſpecie Euchariſtiã exhiberent laicis.

Quod cum magno conſenſu, magna etiam laicorum oĩm pace et cõcordia obſeruatũ eſſet ſæculis aliquot,(neq; enim certũ ullũ eius obſeruationis inuenitur initiũ)& tandẽ a Ioanne quodã Huſſita,et Hieronimo Pragenſi,apud Boẽmos(q̃s plurimos pertraxerãt in cõſenſum ſui erroris & perfidię)primum reuocaretur in quæſtionem & cõtrouerſiam,deinde & damnaretur,uelut ęuangelio Chriſti,& obſeruationi primitiuæ æccleſiæ contrarium:iuxta diuinã & Chriſti ordinationem,ad apoſtolicæ cathedræ & ęccleſiaſticæ hierarchiæ præſidis,una cũ ſacerdotali ex uniuerſa Chriſti æccleſia,ſecũ, eo tempore Conſtantiæ congregato concilio,iudicium ac definitionem,relata eſt.Qui definierunt,conſuetudinem eiuſmodi,eſſe licitam,decentẽ,& rationabilem;nec immutandam, ſed diſtricte obſeruandam, quibus locis iam obtinuerat,& ſęculis aliquot eatenus obſeruata fuerat: damnantes eos,ut hæreticos, qui eiuſmodi conſuetudinẽ impugnare pergerent,& damnarent ut illicitam,& Chriſti ęuangelio contrariã: Et ſacerdotibus ſub anathemate interdixerunt,ne præter eandem iam apud ſe receptam conſuetudinem, populum ſub utraq; ſpecie cõmunicare auderent:cęteros nihilominus,apud quos ea nõ obtinuerat ſuę,cõſuetudini,aut certe libertati,ꝑmittentes.

Vt p Io. Huſs. et Hiero: Pragen. eadem cõſuetudo in cõtrouerſiam reuocata ſit.

Vt cõtrouerſia definitiõe æccleſiaſticæ hierarchiæ præſidis et uniuerſalis cõcilij Cõſtãtien, deciſa fuerit.

Quod ſi,ut eſt, a Deo præceptũ eſt, ut ſubortas inter nos quæſtiones, & controuerſias eiuſmodi graues & difficiles, in quibus,inter nos alioqui conuenire non poteſt, referamus ad pręſidẽ cathedræ,& ſacerdotale conciliũ una

Definitioni illi abſq; ulteriori queſtione obſequendũ neceſ

ſario omnibus ſecum ſeruiētium domino: ſi, ut facit, nos ſecuros reddidit, quod nobis indicabunt iudicij aut quæſitæ controuerſæq; rei ueritatem: ſi præcepit, ut agere debeamus iuxta uerbū, quod illi annunciauerint nobis de loco quem elegit dominus: immo, ut obſeruemus ſollicite ac diligenter, facere iuxta omnia quæ nos docuerint: & ſiue ex uerbis legis orta ſit illa quæſtio ambiguitas & controuerſia, ut tunc iuxta uerbum legis quā illi nos docuerint: ſiue aliunde pendeat difficultas negotij deducti in iudicium, ut etiam tunc qualecumq; illi de eodem dixerint aut protulerint iudiciū, id ipſum indiſcuſſe ſequamur, nihil amplius noſtro in eo reſeruātes iudicio: ſi iuſſit ille, ut non declinemus ab eo, quod ijdem illi aut docuerint aut dixerint, ſeu ad dexterā ſeu ad ſiniſtram: quid in re iam definita ac certa cōtrouerti adhuc opus eſt? Dixerunt illi, Huſſita, & Prageñ: pugnare eam, (quam & hij nunc damnant) conſuetudinem cum Chriſti euangelio: contra negabant alij, apud quos ea conſuetudo longo tempore inualuerat: deducta tandem eſt, quo oportuit, hęc quæſtio & controuerſia ad iudiciū pręſidis cathedræ apoſtolicæ, & ſacerdotum, non ſolum ſecum in eadem ſeruientium domino, ſed etiam omnium, qui ex uniuerſa Chriſti æcclesia euocati cū eodem conuenerant. Definierunt illi & protulerunt iudiciū: Quin hoc ſequimur? Quid iterū inquietamus orbem iā ſemel definitis quæſtionibus? Quod ſi in hunc modū faciendū eſt, redibunt Arrius, Macedonius, Neſtorius, & uniuerſa hæreticorū olim damnata colluuies reuocabitur ab inferis. Dicūt iſti, Chriſti uerbis ſententiā ſuā aſtrui: idē & illi, de ſuis impijs opiniōibus dicebāt. Nos dicimus contra, non recte ab ipſis ſcripturas intelligi, Quid igitur? Aequū ne cenſent, ut ſibi, qualibus, qualibus, certe pauciſſimis, ſi ad contra ſentientes conferātur: indigniſſimis, qui ad illos conferātur: credamus nos?

Quod

Quod ſi in domo, aut ouili catholicæ æccleſiæ neceſſaria eſt ſidei unitas, & concordia: & propterea penes paſtorem & rectorem eius, una cum delecto concilio, iſtiuſmodi ſub ortas in eadem controuerſias definiendi (quemadmodum ſupra, & alibi demonſtrauimus) eſſe debuit, & a Deo conſtituta ſit, & ab uniuerſa ab initio Chriſti æccleſia recognita, authoritas: quid iam eadem authoritate definitis nõ acquieſcimus? Quid non ſequimur? Mirum ſane quod non perpendant, aduerſus ipſos quid adiecerit dominus: quid de ipſis mandauerit hijs qui portant gladium, Si quis autem, inquit, ſuperbierit, aut contumaciter egerit, nolens obedire imperio ſacerdotis qui præeſt cathedræ, & in ea pro tempore miniſtrat domino Deo tuo, ex decreto iudicis morietur homo ille: & auferes, eliminabiſq; malum de Iſrael, aut de æccleſia, quo omnes de populo audiant, & timeant: & ne quis amplius aduerſus ſacroſanctam authoritatem, quæ conſeruandæ unitati & concordiæ in æccleſiaſtica domo prorſus eſt neceſſaria, agat ſuperbe & contumaciter. An cuiq; parum mali uidetur, ad appetitũ quorundam hominum, in hunc modum perpetuo agitari, uexari, turbariq; Chriſtianam rempublicam? nihil permanere in ſuo ordine? nihil ſtare loco ſuo? quemq; contumaciter & libere ſe efferre aduerſus poteſtatem ſublimiorem, Dei ordinatione ſibi propoſitam? quemq; ſibi uſurpare q̃d eſt alterius? breuiter, diuina humanaq; miſceri confundiq; omnia? An cui hoc malum ſpectare non uidetur ad Chriſtianæ reipublicæ, atq; adeo religionis noſtræ internitionẽ & exterminum? Quis enim huic malo modus erit, quis finis, niſi qui gladiũ portant, ſui offitij memores, hoc ipſum auferãt e medio æccleſiæ; quo præſidis, rectoris, & paſtoris eius a Chriſto nobis conſtituti, ab omnibus ſacroſancta recognoſcatur authoritas? Habent nouæ huius doctrinæ

antiſtites, aſtrictos ſententiæ ſuæ aliquot magni nominis, quibus perſuaſerunt, principes, habent ciuitates inſignes & reſpublicas, quæ iſtorum ſe crediderunt ſententiæ: & in dies gliſcit malum, & augetur numerus. Ipſi, in hijs, agunt ſuum negotium: ut quorũ pars magna, qui ſint, omnibus notum eſt: uniuerſos certe hoc ſpectare, ſe in hac rerum cõfuſione, hoc turbine, obſeruari a uiris magnis & principibus partis ſuę, atq; alicuius fieri, qui rebus pacatis eſurirent neglecti, & inglorij, facile quiuis intelligit: & propter hoc in animum induxiſſe, nulli cedere, nulli credere, nullius hac in re deferre iudicio. Quod, qualecumq;, & a quibuscumq; aduerſus illos proferetur, ſemper impugnabunt: ſemper calumniabuntur, ut iniquum, ut Chriſti Euangelio contrarium: & quod ſalua conſcientia ſequi non poterunt: ut ſemper fecerunt hactenus, utq; ſemper facturi ſunt. At contra, nobis non uidetur, ut ſequamur illos: ut deſeramus quod accepimus a maioribus: ut aliam fidẽ profiteamur. quã dudũ didicerimus in catholica æccleſia: pręſertim, quã certo uidemus toto orbe tenuiſſe orthodoxns omnes ab initio: a qua, nullis cauillis, nullis ratiunculis, nulla ſcripturarum apparentia, nullius authoritate, etiamſi omnes in unũ nunc contra ſtarent, contra docerent apoſtoli, etiamſi angeli de cœlo, nos abduci ſinemus: ſed etiam ſanguine parati ſumus eandem aſſerere. Quis in hunc modum diſſidentes nos conciliabit in unum: ſi nulla ſit, ad quam hæc deferri oportet, & cuius iudicio indiſcuſſe, & ſimpliciter obſequi, authoritas? Quis erit huius tragediæ, niſi funeſtiſſimus, calamitoſiſſimus, & toti tandem Chriſtianæ reipublicæ exitioſſimus exitus? Si authoritatem aliquam hijs in rebus ſuperiorem ſe profiteantur agnoſcere, illam proferant. Hoc tamẽ meminerint, ut paratã omnibus aliquã, aditu cõſultuq; facilem proferant. Cum iſtiuſmodi incidentiũ con-

trouerſiarũ quotidie locus incidat:& mox reſtringi eas cõ-
poniq; oporteat: cum alioqui creſcant et exeant in pernitio
ſum diſſidium. Proferant tamẽ quam uoluerint, Præſidẽ,
rectorem & paſtorem Chriſtiani ouilis (quem Chriſtus in-
ſtituit) Petrum, & qui locum eius pro tempore obtinet, re-
cuſant: ergo nominent alium. Si Imperatorem dicant: ta-
metſi ille modum ſuum non ignoret, eius tamen, euidentię
& certitudini cauſæ noſtræ confidentes, non recuſabimus
iudiciũ: modo ſyncere profiteantur, ſimpliciter & abſq; ter
giuerſatione eius ſe ſecuturos ſententiam, & iudicium. Si
concilium uniuerſale dixerint: iam dudũ in uniuerſali Cõ-
cilio Conſtantieñ. definita eſt hęc controuerſia. Quid ergo
non ſequuntur? Si dicant illud non celebratum legittime,
quia contra euangeliũ damnata eſt eorũ ſentẽtia. Hoc ipſũ
erat quod tunc cõtrouertebatur. Affirmabant, Huſſita, et
Pragenſis, aduerſari euangelio, communicare ſub altera tã-
tum ſpecie: contra dicebant cæteri: & definitum eſt ex toti-
us orbis concilio in noſtram ſententiã. Et quod obſecro cõ
ciliũ agnoſcent, ut legittime celebratum, ſi quod illorũ for
te condemnet ſententiã? Eius uelim nobis notas prius ex-
plicent: ne poſt iudicium, illud ipſum, ad ſuum iudicium re
uocent. Et in primis, apud quẽ aut quos, eius indicendi, &
loci eius, temporisq; conſtituendi, & qui, quãtoue numero
conuenire debeant, erit authoritas? Romanũ Pontificẽ nõ
agnoſcunt: ergo ſuo arbitrio alium proferant. Si Imperato
rem dixerint, Intelligunt opinor, non ex una Germania,
ſed etiam ex Italia, Gallia, Hiſpania, Anglia, Scotia, Hun-
gãria, Polonia, Dania, Suetia. Nortuuegia, breuiter ex uni
uerſa Chriſtiana æcclesia conuocari oportere ad œcumeni
cũ aut uniuerſale Cõciliũ. At cõuocãte Imperatore, ut hui
uſmodi, Galli, Hiſpani, Itali, Angli, Scoti, Hũgari, Poloni,
& cętere quas enumerauimus nationes, quæ Imperatoris
authori-

authoritatem non ſequuntur, nequaꝗ̃ conuenient. Apud quem igitur? Si ex communi conſilio & authoritate Chriſtianorum principum hoc ipſum indici uoluerint? hoc ante explicent, an omnes Principes intelligant: an aliquos tantum: & quos, aut quo numero: & nobis demonſtrent, qua authoritate apud hos, (præcipue ſi deſinitum numerum aliquem protulerint) præ alijs, eius rei ſit authoritas. Si apud oẽs: nemo nõ intelligit, nũꝗ̃ locũ fore alicui⁹ cõcilij, ad cuius indictionẽ tã multorũ requiratur cõſenſus & authoritas, qui inter ſe, in hoc, nunꝗ̃ conuenirẽt inuicẽ. Certe, ante indictionem concilij, opus foret, omnium totius Chriſtiani orbis principum concilio: in quo, ex communi authoritate & conſenſu decerneretur celebrandum, indicendumq; uniuerſale Concilium: Et quis conuocabit hoc præambulum concilium? Ad cuius uocantis authoritatẽ uocati conuenient?

Ad hęc, ante nobis explicent oportet, quibus omnibus, uellent eſſe locum ſuffragij in iſtiuſmodi concilio: & an uniuerſum hoc, penderet ex authoritate & arbitrio indicentium: ita ut ſe præteritum nemo poſſet conqueri. Quam deniq; formam, quem modum aut ordinem obſeruari uellent in celebrando eiuſmodi concilio? num Babylonicum aliquod, acephalum, ſine ordine, ſine præſide? an decenter ordinatum, in quo unius præſidis omnia moderantis, ut in legittimis concilijs ſolet, ab omnibus ſit agnita authoritas? & quam talem authoritatem proferent, cui uniuerſæ chriſtiani orbis nationes deferre teneantur, & debeant? Non exiſtimo ipſos aliud concilium agnituros pro legittimo, niſi in quo Lutherus, cũ Philippo, ſuiſq; ſtipatoribus, iudices ſedeant: pronunciaturi de Romano Pontifice, & uniuerſa, quæ eius authoritatem ſequitur, Catholica Chriſti æccleſia. Tamen qualecumq; uoluerint, niſi ante nobis

clariſſimis uerbis deſcripſerint, nullum celebrabitur concilium. aduerſus quod, poſtq̃ celebratum foret, & ſecus q̃ ipſi uellent, pronunciaſſet, non multo plura, quibus eius authoritatem, ut minus legittime celebrati, impugnarent, inuenturi ſunt, q̃ aduerſus iamdudum celebrata concilia, quibus eorundem iam olim eſt damnata ſententia.

Sed faceſſant heæ tergiuerſatiões, hæc impietatis ſubterfugia: quæ pernitioſiſſimæ diſſenſionis licentiam introducunt in æccleſiam, Agnoſcamus neceſſariam authoritatem, quam Deus in eadem inſtituit. Quæ ſemel per eãdem definita ſunt, ſequamur ſimpliciter: nec ſine ſine reuocentur in quæſtionem & controuerſiam. Si quid noui incidat, id quoq; referatur ad eius definitionem & iudicium. Cuius, ſi quis contemptor fuerit: meminerint principes, quæ ſui ſunt officij, quo auferatur malum de medio æccleſiæ, et cæteri diſcant ſacroſanctam authoritatem non cõtemnere, Ita inter nos erit pax & concordia: ita inter nos erit Chriſtus: cuius in pace locus eſt: qui et hoſtibus noſtris ſuperiores nos, & formidabiles faciet.

Iam dudum puto ſibi de nobis perſuadent aduerſarij, quod declinemus uim & efficaciam argumentorum, quæ aduerſum nos afferunt.

De q̃ ne multũ gloriari debeãt, mox intellecturi ſunt. *Ratiões aduerſariorũ pro neceſſitate communionis ſub utraq; ſpetie.*

Et quo cum iiſdem agamus compendio, omniũ ſumma, uis & efficacia ex hoc uno pendet principio, Quod Chriſtus ita inſtituerit, ita pręceperit, ut omnes & de pane illo myſtico ederent, & de calice biberent, Cuius præceptum tolli, ordinationem immutari ab hominibus, nefas ſit, Quod ſic inſtitutum, ſic præceptum a Chriſto fuerit, primum ex Matheo, deinde ex Paulo comprobant.

Apud Matheum in hæc uerba legitur, Cœnantibus autem illis, accepit Ieſus panem & benedixit ac fregit, de-

ditq́ diſcipulis ſuis & ait, Accipite & commedite, hoc eſt corpus meum, Et accipiens calicem, gratias egit, & dedit illis dicens, Bibite ex hoc omnes, hic eſt *enim* ſanguis meus, noui teſtamenti, qui pro multis effundetur, *in* remiſſionem peccatorum. Hic nos admonet, ut animaduertamus præcepiſſe dominum, ut de pane, ita & de calice, ut ex eo omnes biberent.

Paulus uero Corinthijs ſuis ita refert accepiſſe ſe a domino, atq́ ipſis etiam tradidiſſe. Quoniã dominus, inquit, noſter Ieſus Chriſtus, in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit, & dixit. Accipite & manducate, Hoc eſt corpus meum, quod pro uobis tradetur, Hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem poſtq́ cœnauit, dicens. Hic calix nouum teſtamẽtum eſt, in meo ſanguine. Hoc facite, quotieſcumq́ bibetis in meã cõmemorationem, Quibus tradi annotant ab Apoſtolo, Chriſtum, uerbis præceptiuis uſum, æque de calice, ac de pane illo myſtico.

Hijs addunt, ita adhuc uſitari apud Græcos, & olim etiam apud Latinos eundem uſum obtinuiſſe, pleriſq́ teſtimonijs confirmant.

Ioañes ille Huſſita, & Hieronimus Pragenſis, qui primi authores fuere iſtius ſententiæ, & quos, hij, duces præceptoreſq́ ſecuti ſunt, ex uerbis Chriſti apud Ioannem apparentius aduerſum nos argumentum proferunt, Niſi, inquit, manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis uitam in uobis, Si uita negatur, non bibentibus Chriſti ſanguinem, æque, ut non manducantibus eius carnem, utrumq́ neceſſitatis eſt, & cõmedere & bibere. Comeditur autem Chriſti caro, et bibitur eius ſanguis, ſub ſpetiebus panis & uini in Euchariſtia: Vtrãq́ ergo ſpetiem cõmunicare, neceſſitatis eſt. Sed hac ratione,

nos nō ꝑurgēt noſtri aduerſarij: q̄d uerba illa Chriſti apud Ioannē, non putāt pertinere ad ſacramentū Euchariſtiæ.

Nunc uideamus, hæc, in ſe, quid ueræ ſoliditatis habeant: et num quem merito uel tantillum mouere debuerint, aduerſus definitionem hierarchiæ æccleſiaſticæ præſidis, una cum ſacerdotali totius orbis concilio. Et ante omnia, rogatos uelim aduerſarios, ut nobiſcum diligenter expendant uerba Chriſti, ut ea plenius, uelut ſibi ab eodem reuelata, refert Apoſtolus.

Reſponſio.

Demōſtratur. Vt ex Chriſti inſtitutione neceſſaria nō ſit cōmūicatio laici populi ſub utraq; ſpetie.

Dominus, inquit, noſter Ieſus Chriſtus, qua nocte tradebatur, accepit panē, & gratias agens fregit, & dixit, Accipite & manducate, Hoc eſt corpus meum, quod pro uobis tradetur: hoc facite in meam cōmemorationem, Similiter & calicem, poſtq; cœnauit, dicens, Hic calix nouum teſtamētum eſt in meo ſanguine, hoc facite, quotieſcumq; bibetis, in meam cōmemorationem, Quotieſcumq; enim manducabitis panem hūc, & calicem bibetis, mortem domini annunciabitis donec ueniat.

Expenduntur uerba Chriſti, ut referūtur a Paulo de cœna dominica.

Hic nobiſcū notent uerba, & ſignent myſteria: & nullam prorſus de eorundem & Chriſti uera ſententia, dubitandi occaſionem inuenient. De pane dicit, Accipite & manducate, hoc eſt corpus meum quod pro uobis tradetur, hoc facite in meam cōmemorationē, Non dixit. Accipite & manducate hoc corpus meū, in meā cōmemorationem. Sed, hoc facite in meam cōmemorationem, Non nugabatur in re tanta æterna illa dei ſapientia, ſed quodq; ab eo hic prolatū uerbū ſuam energiam & efficaciā habebat.

Iuſſit primū ſimpliciter accipere & manducare: Iuſſit deinde, & facere, Iuſſit, inquam, accipere & manducare, (quod tunc præſentis temporis erat) panem illum uiuū, & uiuificū, conſecratū in ſuū corpus: quo, tum, illos cōmunicabat tantū. Iuſſit deinde, etiā hoc facere in ſui memoriā,

hoc ipſum uidelicet, quod eum tunc facientem uidebant: nempe, etiam conſecrare panem in ipſius corpus, & Chriſti fidelibus eundẽ accipiendũ mãducandũq; diſtribuere: quod eſt ſacerdotalis officij, & tempus futurũ reſpiciebat.

Ad ſolos ſacerdotes pertinere uerba illa Chriſti in cœna nouiſsima.

Ex quo plane eſt certum & euidens, non ad Chriſti fideles omnes, ſed ad ſacerdotes ſolos, ea Chriſti uerba ſpectare: ad quos ſolos, hoc facere, quod in cœna fecit Chriſtus, pertinere indubitatum eſt.

Hoc ipſum, etiam a Ioanne Hus aperte cõfiteri.

Quod ipſum, cum etiam Ioannes ille Huſ. primus, ut dixi, author aduerſariæ ſentẽtiæ, & in hodiernũ uſq; diẽ ei⁹ ſectatores Boëmi omnes ingenue confiteantur, nec quiſq;, modo Chriſtianus, negare poterit, fateantur quoq; neceſſe eſt, illa Chriſti uerba nihil pertinere ad Laicos: ut quos, una nobiſcum, confitẽtur, non poſſe hoc facere, quod Chriſtus ijſdem illis quibus loquebatur, in ſui commemorationem præcepit facere: hoc ipſum uidelicet, quod illic Chriſtus fecerat: nempe, conſecrare panem, in eius corpus, & fidelibus manducandum diſtribuere.

Proinde, Huſſita ille, libello quem Conſtantiæ de ſacramento Euchariſtiæ ædidit, quo ſuam de eadem explicabat fidem & ſententiam, habet in hæc uerba, Quum, inquit, dixit Ieſus in cœna. Hoc facite in meam commemoratiõem, inſinuat, quare ſacramentum inſtitutum eſt: maxime propterea, quod eſt commemoratio, Debet enim ſacerdos, hoc uenerabile ſacramentum offerre, & Laycis deuote dare, ac ſumere in commemorationem domini Ieſu Chriſti. Hactenus ille, Ex quibus eſt euidens, ut & ipſe intellexerit, proprie ſacerdotibus dictũ a Chriſto, Hoc facite in meã cõmemorationem: atq; ijſdem, hæc tria, in eis præcepta, Primum, ut hoc ſacramentum offerant: deinde, ut Laycis ipſum miniſtrent: poſtremo, ut & ipſi utantur eodem, Et hæc tantum de panis ſpetie dicta ſunt.

De ca-

De calice autem uide, ut Chriſtus non eiſdem, ſed alijs ſit uſus uerbis, plenis tamen myſterij, & fidem quam tuemur, catholicæ ea de re æcceleſiæ clariſſime explicantibus. *Perpende uerba Chriſti de calice.*

Similiter, inquit, & calicem poſtquam cœnauit dicens. Hic calix, nouum teſtamentum eſt in meo ſanguine. Hoc facite, quotieſcumque bibetis, in meam commemorationem.

Non hic præcepit eiſdem, quamuis diſcipulis, & qui ſacerdotes nobis referebant, ſimpliciter bibere, ſicut præceperat manducare de pane: ſed quotieſcumque, inquit, bibetis, hoc facite in meam commemorationem. Proinde etiã ſanctiſſ. ſacerdotes, & Epiſcopi, in mortis articulo, cum ipſi non poſſent iuxta ſuum offitium conſecrare, & offerre deo immaculatam illam hoſtiam, ſed communionem acciperẽt de manu alterius, fere non leguntur, niſi ſub panis ſpecie tãtum, accepiſſe illud uiaticum, et non bibiſſe de calice: uelut clare intelligentes, ex Chriſti præcepto, nec ipſis hoc faciendum, niſi cum ex officio ſuo hoc facerent, quod fecit Chriſtus, atque ipſis etiam faciendi poteſtatem conſtituit.

Nihil eſt in dictis Chriſti uerbis contortum, obſcurum, a ſe diſſidens, ſed ſibi, & noſtræ ſententiæ planiſſime conſonant omnia. Sacerdotalis eſſe offitij, hoc peragere, quod in ſacra illa cœna fecit Chriſtus, panem in corpus ſuum conſecrans, atque alijs diſtribuens, plane indubitatum eſt: & confeſſum etiam ab aduerſariæ ſententiæ authoribus, & ſectatoribus. Quibus autem ibi dicitur a Chriſto. Accipite & manducate, ijſdem etiam dicitur, ut & ipſi idem in eius cõmemorationem in futurum facerent. De calice autem nec hoc ipſum quidem (ſecundum ea quæ apoſtolus affirmat ſe accepiſſe a domino) præceptiue aut imperatiue dictum eſt eiſdem ut biberent, ſed quaſi relictum hoc in eorum arbitrio: niſi quando, ut dixi, ex officio conficerent, & offerrent, illam ſacroſanctam, & immaculatam hoſtiam.

Expenduntur uerba eadem Christi, ut nō nihil diuerſimode referuntur à Matheo.

Nec hijs contradicit quod Matheus affirmat, etiam porrecto calice dixiſſe dominum. Bibite ex hoc omnes. Primū Quoniam pertinuiſſe hoc ſolum ad actum illum præſentem, & calicem, quem tunc bibendum propinauit & exhibuit, poſſet haud incongruenter intelligi: non uero ad normam, præfixam celebrando deinceps & in futurum ſacroſancto illi myſterio. Quam apoſtolus, ad inſtruendos Corinthios, & uniuerſam in eis æccleſiam, ex ipſius, quod teſtatur, Chriſti reuelatione, clarius explicat. Deinde ut pertinerent etiam illa, ad normā præfixam celebrando deinceps, atq; in futurum illi myſterio, nihil ex eiſdem cōuinceretur aliud, q̃ ſacerdotibus etiam communionem calicis a Chriſto neceſſario impoſitam, quando iuxta ſuum officium, Chriſti illam cœnam nobis referunt. Cum illa Chriſti uerba, ut demonſtrauimus, neceſſario exigant, & conuincant, quod ad ſolos ſacerdotes pertineant.

Exēplū Chriſti & apoſtolorum, ſubſcribere ſententiæ de communione populi ſub panis tantum ſpetie.

Vnde ergo nobis illud Chriſti præceptum proferent, de impartiendo Laicis uſu calicis? Certe ex illis uerbis quę ex Matheo & apoſtolo referunt, ſtatui hoc non poſſe iam certiſſimum atq; euidentiſſimum fecimus.

Proinde quos locos noſtri citant, quibus oſtendant, etiam Chriſtum, ipſo die reſurrectionis ſuæ, ſub panis tantum ſpecie communicaſſe duos illos diſcipulos in Emaus, & apoſtolos, illos ſuos fideles, in illa Hieroſolymitana æccleſia, quos commendat Lucas in hoc, quod erant perſeuerantes in doctrina Apoſtolorum, communione & fractione panis, nulla facta mentione uini aut calicis, fruſtra conātur eludere per ſuam ſynecdochen. Quod ueterum cōmunis ſit ea ſententia, de ſacramēti diſtributione locos illos intelligi, cōfitētur nobiſcū aduerſarij. Quod de ſola fractione ac diſtributione panis loquantur, ipſa uerba demonſtrant. Quod intelligēdę ſinecdoches nulla ſit neceſſitas, iā demō

ſtratum

ſtratũ eſt. Cũ nullũ ſit Chriſti inſtitutũ, nullũ præceptũ, ut populo diſtribuatur utraq; ſpecies. Immo, quod ipſa Euã-gelij uerba non admittant, ſed excludant eiuſmodi ſinecdochen, quisquis ea diligenter perpenderit, clare intelliget. Refert Euangeliſta, Chriſtum ipſo reſurrectionis ſuæ die, duobus diſcipulis ſuis, Hieroſolima in Emaus caſtellum euntibus, ſe adiunxiſſe uelut itineris comitem: tentos autẽ impeditosq; oculos eorum, ne ipſum agnoſcerent, donec intrans cum eis, & una recumbens, acceptum panem ipſe benedixiſſet, atq; illis porrexiſſet, quemadmodum & in ſacra cœna feciſſe legitur. Quo accepto, uelut illius uiuifici panis uirtute, apertos oculos eorum, ut eum agnoſcerent. Ipſum uero, iam tum, ſubito diſparuiſſe ab eis. Quis ergo hic locus relictus eſt calici? Puto, non dicent ante benedictũ illum panem, diſtributum fuiſſe calicem: In accepto autem pane, & illis oculi aperti ſunt, & continuo Chriſtus diſparuit. Non eſt ergo uentum ad calicem.

Etiam hinc agnoſce uirtutẽ Euchariſtie ex opere operato.

Itaq; cum nullum ſit Chriſti inſtitutum, nullum præceptum, ob quod oporteat uſum calicis eſſe communem Laycis, Cum Chriſti & apoſtolorum in illa ſua recens nata æccleſia exemplum habeamus, de diſtributo illo pane benedicto & uiuifico ſine calice, Cum certum ſit integrum Chriſtum cum omni ſuæ gratiæ & benedictionis plenitudine, & dari & accipi in una panis ſpecie, nec quicq; plus accipi ſub utraq; q̃ ſub altera ſpecie, nec ſingi poſſit, quicq; ſpiritualis aut medicinæ, aut alimoniæ deperire fideli populo, ex ſubtracto uſu calicis. Quid hic habent aduerſarij, quo calumniari poſſint definitionem æccleſiaſticæ hierarchiæ præſidis, & uniuerſalis concilij, probantem, introductam receptamq; a multis ſœculis conſuetudinẽ, de cõmunicando populo ſub

Concluſio, cũ epilogo prædictorum.

panis

panis tantum ſpetie: eamq; aut immutari, aut impugnari uetantem? Quid? ob quod, tam pertinaciter contendant damnare, quod a totius orbis ſacerdotali concilio approbatum eſt: abrogare, quod iam olim ut licitum, decēs, ſanctū, a patribus maioribusq; noſtris, uiris grauibus, ſapientibus, religioſis, & quibus non paulo q̃ nobis, ſyncerius ac diligētius fuiſſe religionis ſtudiū & ſuæ ſalutis curam, utrorūq; fructus & opera teſtantur, receptum eſt? reuocare quod tā multis ſæculis abrogatum eſt? Quę eſt hæc noſtræ religionis indignitas & contumelia, ſi in hunc modum ad unius, aut alterius priuati, pertinacis, furioſiq; hominis appetitū, publici, ſancti, multisq; ſœculis recepti ritus refigi, reuocariq; debeant? Si quid ob neceſſariam aliquam cauſam, mutandum uideatur, ut hoc uniuerſaliter fiat, oportet: & eius authoritate fiat, cui a Chriſto totius ouilis ſui gubernandi cura, & regendi officium commiſſum eſt. Cui dictū a Chriſto, ut quodcumq; in uniuerſo ſuo regno hic ſuper terram figeret, refigeret, obligaret aut ſolueret, hoc ipſum ita fixū, refixum, obligatum, ſolutumq; coram Deo habitum iri in cœlis. Quid ergo nos partes alienas inuadimus? Si Petro, & qui eius locum in æccleſia tenent, data eſt paſcendi, regēdiq; ouilis atq; ouium Chriſti authoritas, intelligere debēt qui eius ſe ouilis uolunt eſſe participes, obediendi rectori & paſtori eiuſdem, ſibi neceſſitatem eſſe impoſitam. Aduerſus quem qui inſurgunt tam contumaciter, euidenter demonſtrant ad ouile Chriſti ſe non pertinere.

Lutherani cauilli remotio.

Nullus eſt locus aduerſus prædicta. Lutheri illi cauillo, quo in ſuis aſſertionibus utitur, & irrefragabilia argumenta noſtra in cauillos transformare apud ſuos conatur.

Nec quiſquam, inquit, cauillis eorum moueatur, qui garriunt ſub pane omnia accipi. Chriſtus enim ſciebat, ſub pane omnia accipi, nihilo minus tamen uinum inſtituit.

Sed non

Sed non cauillamur Luthere, immo uerba ſobrietatis loquimur, Sciebat Chriſtus (quod nobiſcum confiteris) ſub pane omnia accipi. Non carnem ſolam ſine ſanguine, ſed illam uiuam & uiuificam, de qua Ioannes, Et uerbũ caro factum eſt: totum, inquam, integrumq; ipſum Chriſtum. Haud tamen fruſtra ipſum inſtituiſſe credimus, etiã uini ſpeciem, atq; uſum calicis, Sed duobus modis, ex doctrina orthodoxorum patrum, conſideramus ſacramentũ hoc diuiniſſimum & ineffabile: nempe, ut rationem habẽs panis illius uiui & uiuifici: quomodo etiam nobis uiaticũ dicitur, Et ut oblationem illius agni immaculati pro mũdi ſalutem in ara crucis referens: utq; oblatio illa mundę eius ſalutariſq; hoſtiæ a nobis reiteratur in hoc myſterio. Primo modo, ut a ſpetie panis illud ipſum ſufficientiſſime ſignificatur, ita integra eius plenitudo & efficacia ſub eadem exhibetur fidelibus, Secundo modo, utramq; requirit ſpetiem: ita enim refert illam hoſtiam, ut in ara crucis oblata eſt, In qua, in remiſſionem peccatorum noſtrorũ, uniuerſus eius ſanguis effuſus eſt, & ſeparatus a corpore, Quare alia illic corporis, alia ſanguinis figura eſt: q̃uis ſub utraq;, totus integerq; Chriſtus.

Sed cum ſacerdotum, non laici populi ſit, ſacrificare & offerre illam hoſtiam, quæ ſemel in ara crucis pro nobis oblata eſt, Ad eoſdem quoq;, quando hoc faciunt, & hoſtiam illam nobis referunt, utriuſq; ſpetiei uſus neceſſario pertinet. Vt uero a Chriſti fidelibus inde quæritur fructus ſpiritualis alimoniæ, quæritur uita, atq; illi uitæ incorporatio, atq; per eandem, cum Deo unio, tantum iiſdem præſtatur ab illa carne uerbo, ſub unius panis ſpetie, quantum præſtaretur ſub utraq;. Hæc eſt, Luthere, ratio, Cur ſciens Chriſtus ſub alterutra ſpetie tantum ſumi, quantum ſub utraq;, utramq; nihilominus inſtituerit, Quam ſi nobiſcũ

humiliter curaſſes diſcere,& ſequi in catholica Chriſti æccleſia,careremus hijs turbis,his controuerſijs,pugnis,& tumultibus.

De uſu æccleſiæ grecæ, cōmunicādi ſub utraq; ſpetie, quē proferunt aduerſarij.

Quod Græcam hic æccleſiam proferunt, etiamnum perſeuerantem in ritu,ut dicunt, primitiuæ æccleſiæ communicandi ſub utraq; ſpetie, Quid aliud agunt, q̄ ut mōſtrent nobis Chriſtum in deſerto, in angulis & penetralibus:& abducāt extra Chriſti æccleſiam,quæ Petri authoritatem recognoſcit & ſequitur, In qua una inueniri ueritatē,inueniri Chriſtū & ſalutem, ſupra demonſtrauimus.

Quanq̄ non damnemus ritum hac in re Græcanicæ æccleſiæ, Intelligentes nec hunc,nec illum, Chriſti præcepto exigi: cum uideamus utrumq;, diuerſis temporibus uſitatum fuiſſe in æccleſia, Conſtat ſane B.Leonem etiam præcepto aut edicto exegiſſe, populi communionem ſub utraq; ſpetie in Romana æccleſia:ad confundendam Manichæorum inſaniam, Quorum ſuo tempore etiam Romæ apud plæroſq; repullulaſcere cœpit impietas, affirmantium, Chriſtum ueniſſe ad nos, nō in uero,ſed in fantaſtico,& exangui corpore, nec paſſum uere, nec mortuū, nec reſurrexiſſe a mortuis, Proinde & dominicum corpus ſub panis tantū ſpetie ſumebāt,abſtinentes a calice: quod exangue eius corpus fuiſſe atq; eſſe crederent, Quare ſanctus Pontifex ad reprobationē peſtilentiſſimi erroris,præcepit,populum communicare ſub utraq; ſpetie, Quod tamen ut faceret opus non fuiſſet, ſi eatenus ita recepta, ut ex Chriſti inſtituto neceſſaria,fuiſſet cōmunio populi ſub utraq; ſpetie.

At poſt,ceſſante ea cauſa,immo quas ſupra cōmemorauimus urgentibus cauſis contrarijs, communio calicis, quod ad Laycos pertinet,tacito quodam Chriſti fidelium & æccleſiæ præpoſitorum conſenſu, eſt abolita: & multis

ſæculis

ſæculis uſitata communio ſub panis tantum ſpetie.

Quemadmodũ & azymi, & fermentati panis qui cõſecraretur, fuit obſeruationis diuerſitas, Nam, quod Chriſtus nouiſſima illa ſua cœna cõſecrauerit in pane, non fermentato, ſed azymo, quippe, prima die azymorum, poſt eſum agni legalis ac typici, quando ſub grauiſſima internitionis pœna reperiri non licebat fermentatũ in uniuerſis domibus filiorum Iſraël, atq; ita ab initio, Chriſti imitata exemplum, obſeruarit illa primitiua & apoſtolica ęcclesia, plane indubitatum eſt, Quia tamen aliquanto poſt, aperta iam luce ueritatis euangelicæ diffuſæ in orbem, abolendo in uniuerſum Iudaiſmo, qui ab initio, lucrãdis Chriſto Iudæis, & ouili eius incorporandis, ex conſilio ſpiritus S. ferebatur ab apoſtolis, ijdem illi, ſucceſſoreſq; eorũ toto ſtudio incumberent, quod etiam in illo ipſo azymo, Iudaizãtes quidam, imaginarentur quiddam Iudaicum: quo etiã hoc ipſum euellerent, æccleſiaſtico decreto introductũ eſt, ut ubiq; conſecraretur in fermentato, non in azymo: ſane intelligentibus ijſdem ſanctis patribus, Chriſti exemplũ, non induxiſſe obligationem, ut ſic perpetuo fieret: q̃uis azymum, q̃ fermentatum, ſignificantiæ & myſterio magis congruat, At ceſſante illa cauſa, ob quam primitiuus ille ritus immutatus fuerat, Romana, & cum ea uniuerſa occidentis, meridei, & ſeptrionis æccleſia, ad eundem, ut Chriſti exemplo conformem, & myſterio congruentiorẽ reuerſa eſt, Græcanica uero æccleſia iã ſemel receptum fermenti uſum mordicus retinuit: ſingularitatis nota notabilem ſe, ut in alijs plæriſq; faciens, Quod ipſum ſingularitatis ſtudiũ, poſtq̃ ſe tandẽ diuiſit a Romana æccleſia, etiã in hæreticã impietatem (ut ſunt indiuiduæ ſbrores, ſchiſma & hæreſis) facile transformatum eſt: ut qui, abominationẽ, non conſecrationẽ affirmarunt deinceps, quæ ſit a nobis

De azymo & fermentato.

Græca æccleſia, ſingularitatis ſtudio ſemper notabilis.

Vt nũc, etiam hæretica impietate excercetur azymum.

in azymo, Quo ubiq; comprobetur infallibilis illius Chriſti promiſſionis ueritas, Qua, ut pollicetur aduerſus ęccleſiam inędificatã illi Cephę ac lapidi, que Petri (quẽ Chriſtus ſui ouilis paſtorem & rectorem conſtituit) authoritatẽ ac magiſterium agnoſcit & ſequitur, non præualituras inferorum portas: quas infidelitatem, hæreſes, & orthodoxæ fidei cõtrarios errores alibi oſtendimus: ita innuit, nec obſcure ſignificat, diuiſas ab eodem illo ſaxo & lapide, & quæ communione atq; obedientia non coniunguntur æcclſiaſticæ hierarchiæ rectori ac præſidi, mox tradi poteſtati ſathanæ: & in ipſas mox præualere eaſdem illas inferorum portas, quas diximus, hoc eſt, fidei errores, & hęreſes, quas ingreſſus, omni ſpe ſalutis excluditur.

Qui Græcam q̃ Romanã & illi cõſentientẽ uniuerſam mauult ſequi æccleſiam, is mauult Chriſtum in deſerto & in angulis fruſtra quærere, q̃ in illo corpore certo inuenire ad quod cõgregantur aquile.

Quare, quiſquis, aut hac in re, aut quacumq; alia, Gręcam ſequi mauult, q̃ Romanam, & uniuerſam occiduam æccleſiam, quæ illi, in orthodoxa & catholica fide coniungitur, mauult Chriſtum contra Chriſtum in deſerto quærere, in angulis, & penetralibus, q̃ in illo corpore æccleſiaſticæ domus & ædificij illi Cephæ inædificati, certo inuenire, Sed nihil ita quærendo, q̃ portas inferorum, damnationem & interitum inueniet.

Ad argumentum Io. Huſſi, ex uerbis Criſti apud Ioannem, Niſi mãdu. &c. & biberitis. &c.

Reſtat adhuc Huſſi illius, quod ex Chriſti uerbis apud Ioannem ſupra inductum eſt, argumentum ſoluere, Quo, tametſi aduerſarij nos nõ perurgeant, ut qui nolunt locũ illũ uniuerſum, quicq; ptinere ad Euchariſtiam, aduerſus orthodoxorum patrum, & clariſſimã uerborum Chriſti ſententiam, Quia tamen unum hoc, maximi apud Boẽmos momenti eſt, atq; etiam alijs fuit erroris occaſio, neceſſario pertractandum eſt.

Vetus hęc fuit Armeniorum, atq; etiam aliorum quorundam hinc ducta, q̃uis non ſana ſententia, ut aſſererent, æque cõmunionẽ ſub utraq; ſpetie ac baptiſmi ſacramẽtũ,

omnibus

omnibus ad ſalutem neceſſariam. Proinde & mox baptizatos, ꝗuis uſu rationis carerent, infantes, atq; etiam amẽtes, altaris ſacramento reficiebant. Quem morem diu duraſſe in primitiua æccleſia. B. Dionyſij, Cypriani, & Auguſtini ſcriptorum monumenta comprobant. Sed hanc ſententiam, & euidens ratio, et apoſtolica ſententia redarguit, Nam quod Chriſtus, qui omnes uult ſaluos fieri, quicꝗ conſtituerit ad ſalutem prorſus neceſſariũ, niſi, quod nõ difficulter poſſit exhiberi omnibus, nulla ratio admittit. At eiuſmodi eſt, unicum baptiſmi ſacramentum, quod facile exhiberi poteſt in hanc lucem æditis quibuslibet, ꝗuis infantibus, atq; aliter mente captis, atq; uſu rationis carentibus: non uero, ſui corporis, & ſanguinis ſumptio, ſub ſpeciebus panis & uini in Euchariſtia. Quæ ut edantur & bibantur ab infantibus, nondum aſſuetis ſolido cibo & potu, immo quibus ingeri nihil poteſt ꝗ lac ex maternis uberibus, prorſus fieri non poſſet: ſed nec ſtultis, & mente captis, niſi perſuaſis, quod non ſemper poſſet fieri. Non eſt ergo inſtituta a Chriſto, ut omnibus ad ſalutem neceſſaria.

Rationi huic ſubſcribit ſentẽtia apoſtolica, & diuerſam ſententiam euidenter redarguit. Siquidem ſumi ille non uult, niſi ab hijs, qui ſe ante probauerint. Quod facere non poſſunt, niſi quibus eſt rationis uſus & iudicium: alioqui indigne ſumi affirmat, & ad iudicium: nec deeſſe diuinam ultionem in hac etiam uita, aliter ſumentibus. Probet, autẽ ſeipſum, inquit, homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indigne, iudicium ſibi manducat & bibit, non dijudicans corpus domini. Ideo. & inter uos multi infirmi, & imbecilles, & dormiũt multi.

Quare catholica Chriſti æccleſia, ueram germanamq; Chriſti aſſecuta ſententiã, ut dicta eius uerba. Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem,

non habebitis uitam in uobis,non dici omnibus intelligit: ſed hijs tãtũ,qui iuxta apoſtolicã doctrinã,ſeipſos probare poſſunt,& dijudicare ac diſcernere, a cõmuni & profano, cibũ illũ ſacrũ,& myſticum:& propterea eorũ damnat ſententiã,qui ex eiſdẽ Chriſti uerbis uolũt omnibus ad ſalutẽ neceſſariũ,manducare carnẽ filij hominis,& eius ſanguinẽ bibere:æque ut renaſci ex aqua & ſpiritu. Ita credit ſuos filios,ſub panis tãtũ ſpecie,ſacroſanctũ illud & uiuificũ Chriſti corpus fideliter ſumentes, non fore expertes illius uitæ, quã idẽ ille,negat habituros eos, qui & carnem ipſius non manducauerint,& non biberint ſanguinẽ, Vt,quę,ſane intelligit,carnem illam quę exhibetur ſub panis ſpecie,nõ eſſe carnem exanguem et mortuam:ſed uiuam,atq; etiam uiuificam:illam inquam ,de qua ille tonitrui filius, Et uerbũ caro factum eſt:nempe, totum integrumq; Chriſtum. Id quod idem ipſe nobis Chriſtus clariſſimis uerbis affirmat. Nam qui dixit, Panis quem ego dabo uobis caro mea eſt, quã ego dabo pro mũdi uita:Idem ipſe affirmat ſe eſſe illũ panẽ,quẽ carnẽ ſuam dixerat:ut quiuis intelligat,de carne uerbo,ipſum,ſua uerba intelligere. Ego,inquit ſum panis uitæ,& rurſus. Sicut miſit me uiuens pater,& ego uiuo propter patrem, et qui manducat me, uiuet propter me. Totus itaq; Chriſtus ſumitur, & manducatur ſub una panis ſpecie in Euchariſtia. Is ille panis,æque ſitim ut eſuriẽ ſedat:proinde & cibus ,& potus eſt:quando ſumitur,& caro manducatur,& ſanguis bibitur. Ego,inquit, ſum panis uitæ. Qui uenit ad me,non eſuriet,qui credit in me,non ſitiet in æternũ. Qui uenit ad me,qui meæ menſæ participat quã ego meis exhibeo,hoc eſt (ut ante dixit & cõtinuo repetit)qui me manducauerit,non eſuriet. Quomodo autẽ uenire ad ipſum oporteat,& ad ſacroſanctã illã menſam accedere,nempe ex fide ſyncera & integra,apertius explicãs.

Vt ſub panis ſpecie, & corpus Chriſti ſumatur, et ſanguis.

Qui

Qui credit, iquit, in me nõ ſitiet: Nã firmiter credẽdo, & ante etiã diſcuſſa probataq;, iuxta apoſtoli doctrinam, cõſciẽtia, oportet ad illum accedere: in illo pane accepturi, æque ſitis, ut famis remedium. Qui credit in illum, & panem illũ edit, nec eſuriet nec ſitiet in æternũ: nullo proinde poculo opus habet amplius. Sic autem loquitur, ut rerum ſenſibilium quadam figura ac methaphora, uiuifici huius myſterij latentem nobis uim explicet. Nam fames & ſitis, reſolutionem, &, ut ſic dixerim, corruptionem continuam noſtrorum corporum, uelut ſymphomata quædam conſequũtur. Quum enim quodlibet animal per cutim diſſipetur in ambientem aërem, principio, partes cuti ſubditæ inanes redduntur. At natiua harũ facultas eſt (quemadmodũ eſt demõſtratũ a medicis) ut nutrimẽtũ ex uicinis partibus (quo rurſus impleatur id quod reſolutione inane factum eſt) ad ſeſe alliciant: quod & illæ ex ſibi uicinis faciunt: breuiter, uniuerſæ, ex proxima quaq; parte facto celeri tractu, perinde quaſi in choro aliquo, donec ad uentriculum productæ uenæ inanes euadant, quæ ex uentriculo nutrimentũ ad ſe conſueuerunt euellere, uelut ſtirpium radices in terram dimiſſæ, quæ plantis, uentriculi uice eſt, Quem animalibus, utpote terræ non adhærentibus, uelut nutrimenti promptuarium quoddam neceſſario fabrefecit natura: inſuper & facultatem addidit, qua ſuã ſentiret penuriã: quo animalia ad cibum potumq; incitata, non deficerent. Nam cũ uenæ illę ex uẽtriculo trahũt, uelut mulgẽtes ſugẽteſq;, uẽtricul⁹ eiuſmodi ſuctionẽ nõ ferens, ſed tanq; diuulſus, huius moleſtiæ remediũ, cibũ, potumq; exquirit: quo & ipſe eiuſmodi moleſtia liber ſit, & reſtituẽdis, quæ reſoluta ſunt, ex corporis partibus alimentum ſufficiat. Hic uentriculi ſenſus, hæc appetentia, & fames & ſitis eſt, quæ conſequuntur, ut iam explicauimus, reſolutionem, & corruptionem cõtinuam

Fames et ſitis in nobis ut fiãt

nuam totius corporis. Quæ ſi tolleretur, atq; incorruptibilia nobis corpora fierent, nec fami, nec ſiti locus foret reliquus.

Vt manducata ex fide Chriſti caro, et famẽ et ſitim excludat.

Hoc eſt ergo quod dicit Chriſtus. Ego ſum panis uitæ, qui uenit ad me, non eſuriet, qui credit in me, non ſitiet in æternum, Quod uidelicet, panis ille, ipſum mãducantibus ex fide, uitam confert incorruptibilem. Id quod continuo abſq; eiuſmodi circũlocutione aut metaphora, clare explicat dicens, Ego ſum panis uiuus, ſi quis manducauerit ex hoc pane, uiuet in æternum. Et panis quem ego dabo, caro mea eſt, quam dabo pro mundi uita. Bis dedit eam carnem, primum in cœna diſcipulis, cum dixit, Accipite, & manducate, hoc eſt corpus meũ, ſecundo: in ara crucis pro mundi uita, Quod ſi manducata, ut oportet, caro Chriſti, præſtat uitam immortalem atq; incorruptibilem, & famẽ, & ſitim excludit: & qui carnem illam manducat, is & ſanguinem bibiſſe intelligendus eſt, niſi ſibi uelis Chriſtũ cõtrarium. Nam qui ex fide manducantibus ex illo pane, carne ſua, pollicetur uitam, eodem loco, negat illam contingere, niſi etiam bibentibus ſuum ſanguinem. Ergo illum panem edens, intelligendus eſt etiam bibiſſe eius ſanguinẽ.

Vt illum panẽ edens ex Chriſti uerbis conuincitur, intelligi etiã bibiſſe eius ſanguinem.

Et hæc de cõtrouerſia, quæ inter aduerſarios & nos eſt, de communione ſub utraq; aut altera ſpecie, ſatis mihi ſuperq; dicta uidentur.

De

DE ADORATIONE CHRISTI IN EVCHARISTIA.

Controuerſia octaua.

An recte adoretur Chriſtus in Euchariſtia, illi ſuppli‑
cetur, et cũ omni honoris & reuerentiæ ſignificatione atq;
exhibitione tractetur, deferaturq; & ingeratur populo.
An uero hoc ipſum ad dei irriſionem pertinet, ut
docent aduerſarij.

Reſtat adhuc una inter aduerſarios & nos, quæ Euchariſtiã concernit, controuerſia. An recte adoretur Chriſtus a nobis in Euchariſtia, recte illi, uelut nobis realit̃, uere, quẽadmodũ, quibus, cũ in terra uiuebat p̃ſenti, & quaſi familiarius ſe ingerenti ſupplicemus, recte etiã illã cũ oĩ honoris & reuerẽtiæ ſignificatiõe ac delatione, ob eiuſdẽ Chriſti præſentiã tractemus, deferamus, atq; ingeramus populo, prouocandæ deuotiõis ſtudio, excitandiq; eundem, ut ad ſuum redemptorem, uelut præſentem, & quaſi oculis eorum ſe ingerentem, mẽte affectuq; ſyncero confugiat, quemadmodũ ipſi a patribus noſtris, uiris religioſis, fieri uidimus: et omnes, ubiq; facere, didicimus: & toto orbe multis ſęculis factum certo cognoſcimus: nec dubitamus ita uſitatum ab initio. An uero hęc facientes, deum derideamus, & uelut idolatriæ crimen cõmittamus: quemadmodum magno conſenſu nunc docent aduerſarij: Tametſi in confeſſione ſua, eam ipſam ſententiã ſuam diſſimulauerint, ne nimium aduerſum ſe prouocarẽt Maieſtatẽ Cæſ: auitæ & catholicæ religionis obſeruantiſ: cœteroſq; orthodoxos Principes. Quo conſilio & pleraq; alia ſuæ doctrinæ in eadẽ confeſſione obtexerũt myſteria:

quæ nunc res ipſa loquitur, & palam facit: ut a nobis diſſi-
mulari non poſſint.

Quod uero ad præſentem controuerſiam attinet, ſatis admirari non poſſum, de temeritate & iniquitate iudicij eorundē, de ſuis noſtriſq; patribus & maioribus, uiris prudētibus, orthodoxis, & religioſis: utq; eos, & toto orbe catholicos multis ſœculis omnes, habere pro ſtultis et fatuis, & qui Deū pie ſe colere arbitrantes, eundem ludibrio habuerint, habere audeant.

Quod ſi hic dicant ſcripturæ ſe inniti authoritati & iudicio, cui credendum ſit, etiam ut uniuerſus mundus contra ſentiat, Ego ſane, q̄tūuis diligenter ſcripturas excuſſerim, nuſq; inueni prohiberi, adorari Chriſtum nobis præſentē ac ſe ingerentem in Euchariſtia, Illi ueluti pręſenti fidelius & familiarius ſupplicari, Illi, omnem reuerentię & honoris teſtificationem exhiberi.

Sed ad hoc, inquiunt, non eſt in Euchariſtia, ut adoretur, ſed ut manducetur a fidelibus: nec legimus in ſcripturis, illic ſic ſe coli & adorari uelle, Et hijs adiungunt ſuum illud axioma (cuius ſupra euidentem falſitatem demonſtrauimus) Idololatricum eſſe cultū, qui Deo exhibetur ſine expreſſo eius uerbo, quo ſic coli inſtituit, & a nobis exigit.

Quid hic audio? Ergo Idololatre fuere Magi illi, qui Chriſtum adorauerunt in cunabulis, & myſticis illis honorauerunt muneribus? Neq; enim ad hoc incarnatus, & in mundum natus eſt, ut hic adoraretur in mortali corpore: ſed ut conſpueretur, cæderetur, crucifigeretur, & pro noſtris omnium peccatis ſatiſfaceret: nec ullū dei uerbū ex ſcripturis proferēt, quo a Magis ille cultus exactus fuerit.

Hoc mihi uellē reſponderent aduerſarij, ſi Chriſtū uiderent præſentem corporalibus oculis, quemadmodū hic

in terris

in terris agentem, primum in mortali, deinde in glorioſo corpore uiderunt eius apoſtoli, nec dubitarent uere Chriſtum eſſe, quem uiderent, quacumq; demum cauſa illi placeret ſe nobis exhibere & oſtendere, an dubitarent illum adorare; illi ſe proſternere: illi uelut familiarius ſe ingerenti fiducialiter ſupplicare; & omnis reuerentię & honoris ſignificationem deferre? An forte ante, ipſum interrogarent, an uellet adorari a nobis? Hoc certe nos docet omnes, lumen diuini uultus ſignatum ſuper nos, ut diuinum numē adoremus, ubicumq; perſentiſcimus ſingularē eius familiarēq; aliquã nobis ingeſtam præſentiam. Id quod feciſſe ſemper ſanctos omnes, uniuerſa ſcriptura teſtis eſt. Quod ſi de hoc ſe dubitare, non audebũt dicere, quid igitur dubitant adorare præſentem in Euchariſtia? in qua tã uere pręſentē uident, fidei multo certioribus, q; corporalibus oculis, tam inquam uere, q; erat in matris gremio, cum adoraretur a Magis: q; pendebant in cruce, q; nũc ſedet in patris dextera? Neq; enim cum ſacramentarijs nunc nobis eſt controuerſia, qui iſtiuſmodi dicentes, ſuo dogmati conſona dicerent: ſed cum hijs, qui credũt Chriſtũ realiter & uere eſſe in Euchariſtia, Cũ quorũ doctrina, quũ ex hijs palã conſtet pugnare hanc eorundem aſſertionem, & ſententiam, pro qua nullũ iotha ex ſcripturis proferunt, exiſtimo ſatis explicatã hanc cõtrouerſiam, ut facile ab uno quolibet dijudicari poſſit, & ualeat.

DE POENITENTIA, ET QVAE AD EAM PERTINENT, CONtritione, Confeſſione, & ſatisfactionibus, Controuerſia Nona.

Aduerſariorũ de ſua pœnitẽtia doctrinæ iactabunda gloriatio, Et in noſtram, calũnie

TAmetſi pœnitentiæ doctrina, cũ ea quæ de noſtri iuſtificatione eſt, ita coniuncta ſit, ut ab ea ſeiungi non debuerit, Quia tamen non noſtro, ſed aduerſariorũ, hæc nũc tractamus arbitrio, confeſſionis eorum ordinem ſequentes, nunc explicanda eſt, In qua, more ſuo, plurima nobis affingentes, quæ cũ doctrina noſtra plane pugnant e diametro, & eandem cõfuſiſſimam, obſcuriſſimam, errorum & hypocriſis plenam, obſcurantem beneficium Chriſti, poteſtatem clauium, & iuſtitiam fidei, odioſiſſime criminantes, a ſe (ſi Chriſto placet) pia doceri, ſalubria & neceſſaria uniuerſæ Chriſti eccleſiæ, plurimumq; lucis per Lutheri ſcripta inuectum in hanc doctrinam pœnitentiæ gloriantur & iactitant, De quo, cum etiam ad bonorum omnium iudicium, uelut cauſæ ſuæ ſecuri, libere prouocent, mihi erit curæ, utrinq; eam ſic explicare, ut fortaſſis ipſi, de eadem met aliter iudicaturi ſint.

Propoſitio cũ partione.

In primis itaq; pœnitentiæ noſtræ doctrinam, quam ita traducũt, explodunt, & exibilant, paucis explicabimus, Quo ſecum perpendant aduerſarij, an eam, uſq; nunc, recte intellexerint. Deinde, quam & illi in eius locum introducere conati ſunt, illam ſuam tam expeditam, tam facilem, tam ſalutarem ſubiungemus, quo ſit collatio facilior: atq; ita excutiemus, ut uel parum oculato litem hanc pronuntiare, non erit difficile,

Pœniten-

Pœnitentiam,& ſi ex uſu latini ſermonis, intelligamus pœnam,aut diſplicentiam quæ nos tenet,de eo quod commiſimus,fecimus,noſtraue uoluntate, aut conſilio factum eſt. Ex uſu tamen diuinarum ſcripturarum,& doctrinæ ec cleſiaſticæ,eam intelligimus,odium, deteſtationemq; uitæ ueteris,admiſſorumq; a nobis criminum,quia illis diuinæ maieſtatis oculos offendimus:& ab eiſdem nos expurgandi,& diuinæ miſericordiæ ac gratiæ impetrandæ, conatū ſyncerum,ac diligens ſtudium. Per quod,exquirimus uniuerſa,quę ille nobis ad hoc media & remedia cōſtituit:atq; illis libenter,humiliter,confidenterq; nos ſubdimus:ſperātes de illius benignitate & miſericordia.

Explicatio doctrinæ catholicæ de pœnitentia.

Pœnitentia, quid?

Hæc,aduerſariorum illam fidem ſpecialē,a Deo, Chriſto, Apoſtolis,ſcripturiſq; ignoratam,prorſus ignorat: ſed oritur ex fide catholica. Quæ,hinc,ſcelerum conſcientia,diuini iudicij terrore,& gehennæ mœtu nos concutit:inde, infinitam Dei,etiam ultro,quuis peccatores nos, ad gratiā ſuam inuitantis, bonitatem & miſericordiam ſuggerit,& ante oculos ponit:ut inde,certa ſpe ueniæ concepta,audeamus ad ipſum,quuis multipliciter a nobis offenſum,reſpicere;audeamus ad illum nos conuertere:illi nos humiliter,et cum certa ueniæ impetrandæ fidutia,proſternere. Primus itaq;,atq; adeo unicus nobis pœnitentiæ fons eſt,fides orthodoxa & catholica:ex qua,ſpes illa, & ueniæ impetrandę fidutia,uelut riuus quidam ſcaturit. Ex quibus duabus, fide inquam,& ſpe,ſalutaris pœnitentiæ ortus eſt. Cuius tamen,illas ipſas,non partes,ſed cauſas intelligimus. Ipſa enim eſt,ut diximus,auerſio a uia peccatorum, qua pergebamus ad interitum, & ad Deum,per eius ſyncerum amorem, & humilem ueniæ commiſſorum implorationem,reuerſio & conuerſio.

Vt oriatur neceſſario ex fide catholica, & ſpe.

Fidem et ſpem nō partes, ſed cauſas eſſe pœnitentiæ.

Et quoniam nondum baptizatis,Chriſtus,baptiſma,

Pœnitentibus quæ aſſequendæ remiſſionis peccatorũ media ſint propoſita.

medium aſſequendæ remiſſionis peccatorum propoſuit, ideo illis, a pęnitentia, baptiſmum ad ſalutem neceſſarium docent, diuinæ apoſtolicæq; litteræ. Itaq; Iudæis, concionante Petro ad fidem Chriſti conuerſis, & ex cordis compunctione, quo ſibi ad ſalutem opus foret perconctãtibus, reſponderũt, Pœnitẽtiã agite, et baptizetur unusquiſq; ueſtrũ in noĩe Ieſu Chriſti in remiſſionẽ peccatorũ ueſtrorũ.

Baptiſmus, nõ dũ baptizatis.

Hijs uero, qui baptizati, peccatis & ſceleribus cõmacularunt quam in baptiſmo acceperũt innocentiæ tunicam, quoniam uelut alteram a naufragio tabulam, qua enatarent, Chriſtus obtulit, ut peccatorum remiſſionem, ſacerdotum ſuorum miniſterio quærerent, affirmans fore, ut quorum illi peccata remitterent, tamen uere pœnitẽtibus, a Deo remiſſa ea forent in cœlis: retenta uero, hoc eſt, non remiſſa, quæ illi retinerent ac non remitterent: hoc habuit ab initio, & habet dogma catholicæ æccleſiæ, ut pœnitentes eiuſmodi, qui remiſſionem peccatorũ ſuorum a deo ſyncere quærunt, ſacerdoti eius ſe humiliter ſubdant ea detegant, & uniuerſum cordis ſui habitum aperiant: quo intelligere poſſit, remittere ne ea, an uelut ueræ contritionis calore nõ ſatis cocta, retinere adhuc debeat: ut quicquid in alterutram partem fecerit, cum iudicio faciat: cui pœnitentes, ſimpliciter ſe ſubmittere debeant, amplexariq; & ſequi, quæcumq; media ac remedia ſalutaria aduerſus ſibi detecta peccata proponit.

Sacerdotalis abſolutio, baptizatis.

Abſolutionem eiuſmodi, peccatorum cõfeſſionem neceſſario prærequirere.

Vtq; ſubmittere ſe debeat pœnitẽs ſacerdotis iudicio.

Hæc eſt catholicæ æccleſiæ, & noſtra doctrina, de pœnitentia a baptiſmo peccantiũ: non curioſe diſputans de eius partibus: non de poteſtate clauium: ſed ſuos filios plane docens, quo pacto per eandem reconciliari Deo, ad illũ reuerti, peccatorum remiſſionem ab eodem conſequi debeant. Cuius tamẽ ſi partes quærantur, ſecundũ ſententiã orthodoxorũ patrũ has aſſignare poſſumus. Cordis contritionẽ

Pœnitentiæ partes.

Contritio.

Confeſſio

Confeſſionem ſacerdoti factam: quo eius miniſterio, peccatorum noſtrorum remiſſionem aſſequamur: cum humili et parato animo illius obſequēdi iudicio. Nam fides, & ſpes, eius cauſæ, non partes ſunt.

Confeſſio cum obſequendi ſacerdotis iudicio humili ac parato animo.

Contritionem intelligimus, diſplicentiam uehementē, & dolorem de commiſſis a nobis peccatis, ex corde ſyncero & intimo: atq; eo reſpectu, quod diuinam illis maieſtatem offendimus: eiuſmodi inquam, ut Deum, propter rem nullam uellemus offendere amplius: cū humili ſupplicicq; imploratione ueniæ ab eodem: & uoto, aut certo decreto ac propoſito, eiuſdem uoluntati & præceptis deinceps obſequendi. Eiuſmodi enim propoſitum, ſaltem uirtute, neceſſario includitur in dolore iſtiuſmodi.

Cōtritio quid?

Non omnem cordis pœnitudinem, & de peccatis diſplicentiam ac dolorem, etiam magnum & uehementem, contritionem intelligimus, qualis in pœnitentia ſalutari requiritur. Nam & Saulem, & Iudam, peccatorum ſuorum uehementer pœnituiſſe, & ingenti dolore affectos fuiſſe, ut etiam ex eo, hic recurrerit ad laqueum, & ille, haud multū abſimilia extremæ deſperationis ſigna æddiderit, plane indubitatum eſt. Non tamen ille, quantumuis immenſus dolor, cordis contriti fuerat, ad quem reſpicit dominus. Qui enim ex ſui tantum amore, ſui commodi reſpectu, nempe ob gehennæ mœtum, de peccatis dolor procedit, etiā quātumuis uehemens & immenſus ſit, non eſt qui cor contritū facit, aut ueniam impetrat.

Contritionis ueritatem pēdere non tam ex doloris magnitudine, quā amore ex quo procedit.

Si quis homini quem offendit, ſi ſeruus domino, diceret & uere diceret, Doleo equidem uehementer, quod te offenderim, non tamen propter te, ſed propter me doleo: quia ob tuā offenſam merito cędor, uinculis conſtringor, bonis, quib⁹ tibi obſequētes ſuauiter perfruūtur, ego miſer careo, nūquid hic talis, pœnitentia offenſæ iſtiuſmodi a domino impetraret

Simile.

impetraret ueniam? Deo ita dicit, quiſquis ita dolet, quod ipſum offenderit: cũ eius oculos nihil lateat, ſed noſtra omnia, qualia ſunt, talia illi ſe produnt, atq; eſſe loquuntur. Non fallitur, non irridetur. Debet ſane dolor offenſæ impetratiuus ueniæ, eſſe, de offenſa, quia offenſa illius eſt quem offendimus, & non tantum, quia nobis damnoſa & incõmoda.

Veram contritionem, ex dei ſyncero et uincẽte amore neceſſario procedere.

Contritio ergo, quam Deus in nobis reſpicit, eſt dolor diuinæ offenſæ, non noſtri tantum, immo illius præcipue cauſa, quem offendimus. Cuiuſmodi ut ſit, neceſſario Dei amorem ex quo procedat, prærequirit. Id quod euidens cuiq; eſſe poteſt, qui amoris & odij in ſe attendit naturam, & ordinem. Nihil enim primo & per ſe, odiſſe, aut deteſtari poſſumus, ſed neceſſe eſt, ut omne odiũ ex alicuius amore procedat. Eſt enim odium aut deteſtatio, uoluntatis uelut fuga quædam, ab eo, quod apprehenditur ut diſconueniens, inimicum, aut contrarium alicui, cui amore afficimur. Ex amore ergo aliquo ut procedat in nobis odium ac deteſtatio peccatorum, neceſſe eſt. Is igitur, aut noſtri tantum amor eſt, aut tantũ Dei, aut utriuſq;, & noſtri & dei.

Pœniten. ex ſui tantũ amore procedens.

Si noſtri tantum is amor ſit, ex quo procedit peccatorũ in nobis deteſtatio: ut quia & hic nos flagellari ob illa, perſentiſcimus: & adhuc peiora expectamus: & demum damnationem, & cruciatus infernales, quos ob illa ipſa nos manere non dubitamus perpetuos: nondum eſt ea deteſtatio aut diſplicentia peccatorum noſtrorum, uera contritio, digna quam Deus reſpiciat, Nec ueniam ea, offenſæ impetrat, de qua noſtri tantum cauſa dolemus, & non eius quẽ offendimus. Cum enim, ut beatiſs. Gregorij uerbis dicam, ex peccato pœna mœtuitur, & amiſſa dei facies non amatur, timor ex timore, non ex humilitate naſcitur: timor inquam

quam peccandi, ex timore pœnæ, non ex humilitate naſcitur: humilitatem apellans, eam ſubiectionem, qua peccator ad Deum reuertens, illi ſe proſternit, & uolũtati eius prorſus ſubijcit, Vnde ſubdit, Superbit enim, hoc eſt, diuinæ uoluntati ſe non ſubijcit, qui peccatũ, ſi impune liceat, non deſerit.

Pœnitẽtia damnatorum, magna, Sed quare infructuoſa.

Itaq; etiam in damnatis grauiſſimam pœnitentiã eſſe, & ingentem peccatorum ſuorum deteſtationem, ſcriptura teſtis eſt: de eiſdem affirmans, quod turbabuntur timore horribili, cum uidebunt iuſtorum gloriam: Et mirabuntur inquit, in ſubitatione inſperatæ ſalutis: gementes præ anguſtia ſpiritus, dicentes, (intra ſe pœnitẽtiam agentes) hij ſunt quos aliquãdo habuimus in deriſum, & ſimilitudinẽ improperij, Nos inſenſati uitam illorum æſtimabamus inſaniã, & finem ſine honore: ecce, quomodo cõputati ſunt inter filios Dei, & inter ſanctos ſors illorum eſt: Ergo errauimus a uia ueritatis, & iuſtitiæ lumen non illuxit nobis, & ſol intelligentiæ non eſt ortus nobis, Laſſati ſumus in uia iniquitatis & perditionis, & ambulauimus uias difficiles, uiam autem domini ignorauimus, &c. in malignitate autem noſtra conſumpti ſumus, Talia dixerũt in inferno, qui peccauerunt. Audis pœnitentiam eorum qui in inferno ſunt: utq; ſe peccaſſe grauiſſime doleant, & peccata ſua cũ deteſtatione & gemitu, ex anguſtia ſpiritus, cõmemorent, Sed infructuoſa eſt pœnitentia eiuſmodi, ut quę non ex dei, ſed ſui amore procedit: nõ quia illis diuinã maieſtatem offenderunt, ſed quia ea ſibi cauſam damnatiõis perpetuæ & nunq; defecturarum pœnarũ infernaliũ ſentiũt.

Pœnitẽ. ex dei tantum amore procedens.

Si uero ex dei tantũ amore procedat eiuſmodi peccatorum deteſtatio ac diſplicentia, Ea uera eſt, quæ facit cor contritum, & humile, quod Deus non deſpicit, ſed benigne reſpicit.

Pœnitẽtia quæ ex dei noſtriq; amore ſimul procedit, tunc eſſe ueram, cũ uincit Dei amor.

Quod ſi, & ex noſtri, & ex Dei ſimul amore (ut plerumq; fit) illa ipſa procedat peccatorũ deteſtatio, ac diſplicentia, ita tamen, ut Dei amor, primas teneat, & amori noſtro præponderet: & ea quoq; pœnitudo & contritio ſalutaris eſt, Quoniam ea, ita deteſtamur diuinam offenſam, ut ob rem nullam uelimus Deum offendiſſe amplius.

Sed ſi Dei amor nondum uicerit in regno animæ, ſit uero, quod illi præfero, illo plus diligo, nec ex eiuſmodi quidem amore ſalutaris pœnitẽtia, peccatorumq; deteſtatio proficiſcitur. Quæ, niſi ſimpliciter & in uniuerſum diſpliceant, quia diuinæ maieſtatis oculos offenderunt, atq; ita diſpliceant, ut ob nullã rem, nec uitã quidẽ propriã ſeruandã, ipſum uelimus offendiſſe amplius, & ſyncero hoc ipſum corde agatur, non ore tantũ dicatur, & labijs, nõ eſt ea ſalutaris, ut diximus, pœnitẽtia. Talis uero eſſe non poteſt, niſi ex uincẽte dei amore procedat, Nã ſi eſt quod illi præfero, conſequens eſt, ut non dubitẽ in illius plus amati gratiam, minus amatum Deũ offendere, Quo affectu, quã diu ſum, cor uere contritum humiliatumq; non habeo.

Ex toto corde nobis querendam ſalutẽ noſtram.

Certe non eſſe rem tã leuem, tam facilem, tamq; perfunctorie peragendam, q̃ uulgo creditur, pœnitudinem, per quam Deo reconciliari quærimus, immo, ex toto corde nobis quærendam ſalutem noſtram, ubiq; clamat diuina ſcriptura, & ſancti patres nos commonefaciunt.

Itaq; per Moiſen, quæ mala manerent peccatores, & legum ſuarum tranſgreſſores, hoc eſt, captiuitatem, exterminium & alia q̃ plurima, populo ſuo prędicens ac denũtians dominus, hoc tamen adiecit, paratum ſe ſemper, uel in medijs ipſis malis reuertenti ad ſe, ignoſcere, & impartiri ſuã gratiã, modo ex toto corde reuertatur, Cũq;, inquit, quæſieris ibi (hoc eſt in terra captiuitatis tuæ, in quam ob peccata tua eiectus fueras) dominũ deũ tuũ, inuenies eum,

ſi tamen toto corde quæſieris, & tota tribulatione animæ tuæ. Toto ergo corde quærendus nobis eſt, ſi modo eius gratiam inuenire uoluerimus, Quod ſi ſit, iam amor eius, amores omnium, qui ſunt in corde noſtro, reuera uincat & ſuperet neceſſe eſt. Per amorem enim quęritur, & ſimul cũ tribulatiõe animæ noſtræ, adflictione & diſplicentia de eo quod ipſum offendimus. Quæ non qualiſcunq; ſufficit, ſed tota ſit oportet: hoc eſt, perfecta, uincens & dominans: ita, ut nihil æque nobis, ac peccaſſe, diſpliceat. Dicit proinde, tum demum, nec aliter, nos inuenire Deũ, propitiũ, poſtq; ipſum offendimus, ſi toto corde, hoc eſt, amoris affectu, & tota animę tribulatione, aut animi contritione & diſplicẽtia diuinæ offenſæ ipſum quæſierimus, Ita ubiq;, ut toto corde peccatores conuertantur, reuertanturq; ad dominũ, quo uiciſſim cõuertatur ad ipſos, ſcriptura clamat atq; intonat, hoc facientibus, beatitudinẽ ſalutemq; promittens.

Nec eſt uerum, quod ſubinde recurrit apud aduerſarios, non prius nos poſſe diligere Deum, q̃ fide iam facta ſit reconciliatio, & remiſſionem peccatorum ab eodem acceperimus, Cum eatenus, lex, peccatorum noſtrorum & diuinę offenſę conſcientia, illum nobis uelut iratum, terribilem, uindicem, & iudicẽ ingerat, ac nos terrefaciat, Non poſſe autem in hunc modum, perterrefactam conſcientiã, amare Deum ita apprehenſum, atq; eius iudicium: immo, non poſſe ab eodem non refugere.

Cauilli aduerſariorũ remotio.

Neq; enim eatenus perterrefacit tantum nos lex, & Deum, ut terribilem nobis ingerit: ſed etiam, commendata ac propoſita nobis infinita eius bonitate, & miſericordia, omnibus obuia ad ſe confugientibus, & eandem expetentibus, ad ſpem certam impetrandæ ab eodem ueniæ, remiſſionis peccatorum, & gratiæ nos prouocat, erigit, & confirmat: ut inde, timor incuſſus, a peccatis

Vtiq; poſſe nos Deum diligere, ante aſſequutã iuſtificatiõis gratiã.

nos reuocet & cohibeat: hinc, ſpes, ad miſericordiſſimum dominum reducat, Quid igitur prohibet, quo minus illũ poſſimus diligere, quem omnis nobis boni authorem certo credimus: a quo nos conditos, cum nihil eſſemus, ut ſuæ beatitudinis in æternum participes & conſortes faceret: Quem, etiam poſt noſtram erga ſe de his omnibus, ingratiſſimam, & omni damnatione merito plectendam ingratitudinem, inobedientiam, contumaciam, intelligimus nihilominus, & credimus nos reuocare ad pœnitentiam: reuocare ad ſe: prebere nobis adiutricem manum, quo nos e lacu miſeriæ & luto fecis, in quod nos ipſos demerſimus, ſubleuet: in pedes reſtituat: confirmet, adiuuetq́, quo ad ſe reuerti ualeamus: obuiam gratiam reuertentibus offerre; atq́ ea gratia miſiſſe ad nos filium ſuum: atq́ eundem dediſſe pro nobis, atq́ adeo dediſſe nobis.

Hunc talem, ita a nobis apprehenſum, in hoc ipſo actu, in hoc ipſo ad illum reditu, quamuis peccatis noſtris adhuc merito offenſum, nos diligere impoſſibile eſt: ab hoc refugere, hunc nos odiſſe eſt neceſſarium: Sunt hæc impia impiorum hominum commenta, & mendacia: quibus miſeris peccatoribus perſuadent, nihil ad ſalutem ſuam conari, ſed in peccatorum ſuum ſtrato molliter quieſcere: atq́ expectare, donec Deo placeat, inde nos gratis, nihil agentibus, nihil conantibus nobis eripere, Quando, ante impartitam nobis gratis ab illo iuſtificationis gratiam, etiam quicquid fecerimus, adeo non poſſimus ad illũ appropinquare magis, & accedere uicinius, ut etiam magis elongemur, refugiamuſq́ ab eo.

Dilectionem Dei neceſſario in nobis præ=

Certe, Quod Dei dilectio in nobis, neceſſario præcedat reconciliationem noſtri; & iuſtificationis gratiam, & non contra, Ioannes aptiſſime nos docet, qui affirmat

cos.

eos qui non diligunt, in morte permanere. Ergo, ante dile-ctionem, uita animæ non eſt. Quare ſi dilectionē, neceſſa-rio præcedat iuſtificatio, neceſſe eſt, ut poſſit eius cum mor-te eſſe ſocietas. Recte proinde pro maximo incōuēienti ha-bet Auguſtinus, ut ſine amore Dei quis conſequeretur re-miſſionem peccatorum, ſine quo, inquit, nemo inuenit gra-tiam.

cedere iuſtifi-cationis grati-am.

Quod de iudicio Dei adiungunt, a quo neceſſario refu-giat, quiſquis adhuc peccatorum ſuorum conſcientia mor-detur, & perterrefactam conſcientiam habet: conuincit eoſ-dem, de iudicio diuino, ſine iudicio loqui. Siquidem, perter-refactam, quemadmodum prædictum eſt, conſcientiam, & Dei timore confixam, inſuper, & ſpe erectam, & ad benig-niſſimi domini inuitantem ad ſe bonitatem ac miſericordi-am reſpicientem, ſe conuertentem, conantemq; reuerti ad eundem, non neceſſario refugere eius iudicium, ſed deſyde-rare, anhelare, & amplecti potius, tamen illud amabile, & peccatoribus omnibus merito deſyderabile, quod ex ſolio gratiæ & miſericordiæ prolatum eſt. Illud inquam iudiciū iuſtificationis noſtræ, quod carnis noſtræ uelut trabea in-dutum Dei patris uerbum exercuit, certum atq; indubita-tum eſt.

Quod pecca-tor non neceſ-ſario refugiat iudicium Dei.

Duplex enim Dei iuditium docent ſacræ litteræ. Quæ ab aduerſarijs non recte diſtingui & intelligi, quantumuis ſibi ſolis ſcripturarum noticiam atq; intelligentiam arro-gent, ſed plane confundi intelligo. Alterum, retributionis, (quod eſt aduentus ſecundi) ſecundum noſtra opera et me-rita: ſeu bona ea, ſeu mala ſint. Alterum, non retributionis, ſed abſolutionis & ſaluationis per Chriſtū gratuitæ, quod ad primum eius aduentum pertinet. Illud, uniuerſale erit, & ſingulorum, & omniū. Hoc uniuerſale quidem extitit, ſed non ſingulorum. Illud, manifeſto peragetur. Hoc, oc-

Diuinum Iudi ciū duplex ce-lebrari in ſcrip turis.

Retributionis

Abſolutionis, Iuſtificationis et ſalutis no-ſtræ.

culte peractũ eſt, ita, ut et principē huius mundi, aduerſus quē exercebat, lateret, cũ fieret. De quo apud Ioannē Chriſtus, Nunc iudicium eſt mundi, nũc princeps huius mũdi eijcietur foras: De quo iterum, apud eundem affirmat ſpiritũ S. arguere mundũ uelut ingratitudinis erga ipſum. Arguet, inquit, mundum de iudicio, Quoniam princeps hui9 mundi iam iudicatus eſt. Hoc ergo iudicio, humanum genus a damnationis reatu abſolutum eſt, & princeps huius mundi eiectus foras, ſpoliatusq́; quam in illud ipſum exercebat, tyrannide. Abſolutum inquam eſt genus humanũ, non ita ſimpliciter, uelut nuda, abſolutaq́; clementis domini ignoſcentis uolũtate: ſed iuſto iudicio: non tamen ob iuſtitiam quæ in nobis inuenta eſt: nõ ob noſtra, ſed ob Chriſti redemptoris noſtri merita & iuſtitiam: qui noſtram in ſe cauſam aſſumpſit: & pro nobis dependit, quod nobis ſolutu impoſſibile fuerat: ſeq́; ipſum pro nobis in ara crucis ſacrificium deo patri cum præcibus & obſecrationibus obtulit: a quo auerti fas patri non erat: ſuam iuſtitiam, noſtræ iniquitati opponens, & ſuperfundens ſui ſanguinis preciũ. Hoc inquã iudicio, a damnationis reatu, uniuerſaliter quidem ille nos abſoluit omnes, & iuſtificauit, quod ex ipſo equidem fuerat: ſed non ſingulos. Quando ex nobis ipſis de eſt, quo minus abſoluamur, iuſtificemurq́; noſtrũ q́; plurimi. Abſoluit omnes, qui ſuæ miſeriæ conſcij, ad ipſum per ſyncerum, & uincentem in corde ſuo amorem confugiunt, quemadmodum ſupra a nobis explicatum eſt. Quo qui carent, optabilis illius, ſalutariſq́; iudicij, participes non ſunt.

Hoc iudicium, & ille ſuſpirabat, qui dixit. Iudica iudicium meum, & redime me: propter eloquium tuum uiuifica me, Iudica, inquit, iudicium meum, non, quo reddas mihi ſecundum mea, aut merita, aut demerita, (quod idem ille deprecabatur, dicens. Non intres in iudicium cum ſer-

uo

tu tuo,quia nõ iuſtificabitur in cõſpectu tuo oĩs uiuẽs)ſed, quo redimas me, Hoc eſt ipſum noſtræ,ut diximus,liberationis redemptioniſq; iudicium: cuius iuſtitia, ſecundum quam nomẽ meretur iudicij,in me non eſt,qui prouoco ad hoc iudicium: ſed in eloquio tuo, in uerbo tuo,quod carne indutum pro nobis dependit ac ſatisfecit. Addidit proinde,Et propter uerbum tuum uiuifica me. Hoc iudicium iuſtitiæ diuinæ,iuſtificationis autem noſtræ, ſemper cum gratiarum actione ante oculos uerſant ſancti, Septies, inquit ille,in die, laudem dixi tibi,ſuper iudicia iuſtitiæ tuæ. Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi, ſuper iudicia iuſtificationis tuæ,quia in ipſis uiuificaſti me, Eadem iudicia,& iuſtitiæ,& iuſtificationis appellans. Iuſtitiæ quidẽ, quatenus Chriſtum,& perſolutum ab eo pro nobis noſtræ redemptionis precium: iuſtificationis autem, quatenus nos reſpiciunt, & effectum quem operantur in nobis, ſed Dei iuſtificationes exquirentibus. Nam a cæteris longe abeſſe ſalutem,diuinus ſpiritus per os Dauid pronunciat, Longe, inquit,a peccatoribus ſalus,qui iuſtificationes tuas non exquiſierunt. Exquirere autem, uehemens,diligens,ac ſollicitum ſtudium in quærendo importat. Quærimus autem,ut dictum eſt,amore, & aſſequendi deſyderio: & inuenitur ab his qui toto corde, tota tribulatione animi quærunt eum: quemadmodum per Moyſen ab eodem diuino ſpiritu affirmari oſtendimus. Proinde, ut iuſtificationis gratiam,& ſalutem aſſequamur, ſyncerum illum & uincentem omnia amorem præcedere in nobis oportet, quemadmodum paulo ante plenius autem controuerſia ſecunda, de fide, & iuſtificatione noſtri demonſtrauimus. Falſum proinde eſt, quod affirmant aduerſarij, Deum diligere nos non poſſe ante acceptam iam iuſtificationis gratiam.

Neq;

Neq; ulla argumentationis lege concludit probatio, quam ſubnectunt huic ſuo axiomati, Lex enim, inquiunt, non fit ſine Chriſto, eodem ipſo affirmante, quod ſine ſe nihil poſſumus. Et quoniam per ipſum ſolum, habemus acceſſum ad patrem. Ergo niſi ante iuſtificati, non poſſumus diligere Deum, Per quem obſecro locum dialecticum? Iuſtificamur mere gratis a Deo propter infinitam eius bonitatem & miſericordiam: per quam, & Chriſtum nobis redemptorem, mediatoremq; noſtræ reconciliationis dedit, ut per illum diuinæ pro nobis iuſtitiæ ſatisfaceret, & propter eundē nobis ignoſceret: ſed nō, niſi ante, ad ipſum, per ſynceri amoris affectum recurrentibus, & ex eodem dolentibus, quod ſuam maieſtatem offenderimus, Ad quæ nihilominus ipſa, ut ea poſſimus, nobis adiutricem manum porrigit. Nihil ergo ſine ipſo poſſumus, nec uiuimus, nec ſubſiſtimus. Sed hoc, quid ad ordinem iuſtificantis, qua nos dignatur, gratiæ: & affectus amoris, quo ad illum conuertimur, Quid etiam illud, quod per ipſum, tanq; per uiam, tanq; etiam per mediatorem accedimus ad patrem? An non debemus ante conuerti ad Deum, quo ipſe uiciſſim conuertatur ad nos? An accedemus ad illum quē non diligimus? a quo refugimus?

Et hactenus de prima Chriſtianæ pœnitentiæ parte, quam contritionem dicimus, ſatis mihi explicatū uidetur.

De altera pœnitētiæ parte. Confeßione.

Alteram Chriſtianæ pœnitentiæ partē, ſacerdoti factā peccatorū noſtrorū humilē, apertā, purāq; confeſſionē poſuimus: quo, eius miniſterio, eorūdē remiſſionē aſſequamur. Nam hoc certū ante omnia nobis eſt, nullo opere noſtro, nulla contritione, aut pœnitentia, peccata noſtra delere, aut remiſſionem eorundem mereri, nos poſſe: ſed etiā poſt omnē noſtrā pœnitentiā, omnē contritionē, omne ſtudiū, nihilominus ab uno Deo, mere gratis in Chriſto, ea nobis remitti.

Eſt

Eſt & hoc certũ, ſuis ſacerdotibus authoritatẽ remit-tendi nobis peccata, dediſſe Chriſtum: & impoſuiſſe nobis neceſſitatem, ut eorum miniſterio quæreremus, accipere-muſq; remiſſiõem eiuſmodi, Nam ſicut remiſſum affirma-uit a Deo, quicquid remitteretur eorum miniſterio, tamen uere pœnitentibus: ita retentum coram Deo, quicquid ab illis remiſſum non foret. Voluit enim mitis & humilis ma-giſter, nos humiliari, non ſolum ſub potenti manu Dei, ſed etiam ſub manu mortalis hominis, ſui tamen ſacerdotis & uicarij: eidem, ſibi datam a Deo patre ſuo poteſtatem di-mittendi peccata, committens: atq; ita committens, ut pla-ne conteſtetur a ſe quoq; reſeruatũ iri, quicquid non quæ-ſierimus illius remitti miniſterio: quo ita frangeretur elatę mẽtis noſtræ, aduerſus deũ ſeſe efferẽtis ſuperbia, Et quo, rubore & uerecũdia cõfuſi, detegere cogeremur ſacerdoti & presbytero, mortali alioq; & nullius præcij homini, qui-bus diuinæ maieſtatis oculos offendere non erubuimus. *Oſtenditur a Chriſto impoſita nobis eius neceßitas.*

Voluit quoq; nos meminiſſe perpetuo, non ullo no-ſtro merito, non ullo noſtro opere, ſed ex merito & uirtu-te illius ſalutaris pro nobis oblatæ hoſtiæ, atq; aſperſione eius ſanguinis, peccatorum noſtrorum nos remiſſionẽ ac-cipere, Et proinde, pro ea, poſt omnem a nobis adhibitã reconciliandi nos Deo diligentiam, ad uiſibilem aliquem hominem, ſacerdotem eius, & qui ipſius ea in re perſonam nobis exhibet, nos recurrere uoluit, & ab eo deſyderatam quæſitamq; remiſſionem accipere.

Intelligit proinde Chriſti fidelis, uere iam peccatorũ ſuorũ pœnitẽs, & eorũ remiſſionẽ humiliter quærens, ac fideliter expectans, quæ ſuæ partes ſint: nempe, ut liben-ter & alacriter amplexetur, quod ſolum intellligit nobis a Chriſto ad hoc relictum medium, nec difficile, Vt Chriſti ſacerdoti, eius ipſius perſonam nobis referenti, humiliter

& fideliter ſe ſubmittat, ab illo ſibi remitti ſua peccata im-petret.

Et quoniam iam cum mortali homine neceſſarium eſt illi negotiũ, qui ſcire non poſſit, quid ille commiſerit, quod ſibi remitti poſtulet: intelligit quocꝫ ſuas partes eſſe, ut integram, quoad licet, peccatorum ſuorum, quæ remitti ſibi poſtulat, confeſſionem, ſacerdoti faciat: quo ille rite poſſit delegato ſibi ea in re fungi officio, Præſertim cũ eius poteſtatis & arbitrij non ſit, quæcumcꝫ, & quibuſcũcꝫ, dimittere: ſed cum iudicio, uere, dignecꝫ pœnitentibus. Neceſſe eſt proinde, ut ille ſecreta cordis tui cognoſcat, & peccata, & pœnitentiæ tuæ modum atcꝫ habitum, quo offitio ſuo ſatisfaciat: neceſſe eſt, ut intelligat, an remittere tibi peccata, an uero adhuc retinere debeat: an hulcus adhuc crudũ, apertionem, ſectionem, medicationemcꝫ nondum admittat: an illius ueræ contritionis calore concoctum & maturum iam, ut pus educatur, deſyderet, & medicamenta recipiat (quãdoquidẽ cocta, non cruda utiliter medicari docet Hypocrates) & ſecundum eius habitũ ſalutaria illi pharmaca pręſcribat, ac temperet.

Epilogus doctrinæ catholicæ de Pœnitentia ſalutari poſt baptiſmũ.

Hæc eſt euãgelicæ lucis certa & aperta ueritas, quam clariſſimis, ut audiſti, uerbis nos Chriſtus docuit, Cuius, ut in umbra illa æccleſiæ ueteris, expreſſam eſt uidere clarãcꝫ deliniatiõem, & effigiem, ijs quibus de lectione ueteris legis, uelamen abſtractum eſt: ita palam comprobatur certa illa orthodoxæ ueritatis amuſſi, catholicæ per orbem æccleſiæ ab ipſo ſui initio conſenſu ac ſententia: quã poſt clariſſime demonſtrabimus.

Has duas ſolas Chriſtianæ pœnitẽtiæ poſt baptiſmũ partes agnoſcimus, nempe, ueram cordis contritionem: & per humilem, apertam, diſtinctamcꝫ noſtrorum peccatorum confeſſionem ſacerdoti factam, remiſſionem eorundẽ

eius miniſterio aſſequendi fidele ſtudium, Quod requirit, ut eiuſdem prorſus nos ſubmittamus iudicio: parati facere quicquid idē, eius gratia nobis impoſuerit. Ponat, inquit ille, ſe peccator, omnino in poteſtate iudicis, in iudicio ſacerdotis, nihil ſibi reſeruans ſui, ut omnia eo iubente paratus ſit facere, pro recuperanda animę uita, quęcūq; faceret pro uitanda corporis morte. Et hoc cū deſyderio: quia uitā recuperat infinitā, Cum gaudio enim debet facere immortalis futurus, quæ faceret pro differenda morte moriturus. Hęc Auguſtinus lib. de uera, & falſa pœnitentia.

Satisfactionem uero quam pœnitentię adnumerant, non eius partem, ſed ſequelā quandā intelligimus, hoc eſt, dignos fructus pœnitētiæ, de quo poſt agemus copioſius.

Satisfactio, ſequela, & fructus pœnitentiæ, non pars.

Et hæc eſt, ut dixi, ſumma noſtræ & catholicæ doctrinæ de pœnitentia: nihil in ſe habens obſcuri, ſenticoſi, perplexi, ſed uelut per ſe euidens: plana, facilis, ſubnixa euidēti ueritate lucis euangelicæ, Quę collatione ad aduerſariorum ſentētiam adhuc reddetur illuſtrior, Quam iam nunc explicare aggredimur.

Peroratio.

EXPLICATIO DOCTRINAE ADVERſariorum de Pœnitentia.

CVm nihil pene magis ſit neceſſariū, q̄ ut hoēs, quid ſit uera ac ſalutaris pœnitētia, clare intelligāt, ut quę una, relicta eſt, nobis peccantibus poſt baptiſmū, tabula, qua enatare poſſimus ab inuoluente peccatores omnes damnatiōis diluuio: atq; eo in primis noīe doctrinā de eadē noſtrā, q̄uis falſiſſimo, criminētur aduerſarij, quod obſcura perplexaq; ſit, & difficilis: decebat ſane, nouā hanc ipſorū doctrinā, qualiſcumq;

Pœnitētiæ doctrinam, ante omnia, eſſe debere clariſſimā

alioqui eſſet,tamen eſſe claram, apertam,& ex qua quiuis ille certo intelligere poſſet quã ipſi pœnitentiam doceãt, Quod an ita ſe habeat,nunc paucis accipe :non ex ſcriptis eorum diuerſis,uarijs,& pugnãtibus,ſed ex una, eademqꝫ hac ſua confeſſione,eiuſqꝫ aſſertione, communi omniũ nomine Auguſtæ ædita.

Quã obſcure perplexe, & pugnanter pœnitentiam ſuã explicent aduerſarij.

In aſſertione aut Apologia, qua parte,ſententiam ſuã de fide & noſtri iuſtificatione aſſerunt, pœnitentiam,ſimpliciter, terrores affirmant. Habent enim in hæc uerba,de fide illa ſua loquẽtes, Et quia in pœnitentia,hoc eſt in terroribus,conſolatur & erigit corda noſtra,regenerat nos,& affert ſpiritum ſanctum. Hic itaqꝫ pœnitentia, illis ſimpliciter, terrores ſunt: ſed quales terrores, nihil hic attinebat dicere.

At hoc loco,in eadem ipſa confeſſione,ſummam illius ſuæ luculentæ doctrinæ de eadem pœnitentia, hijs uerbis explicant.

Conſtat,inquiunt,pœnitentia, hijs duabus partibus, altera, eſt contritio, ſeu terrores incuſſi conſcientiæ agnito peccato: altera,eſt fides, quæ concipitur ex euangelio,ſeu abſolutione, & credit propter Chriſtum remitti peccata: & conſolatur conſcientiã:& ex terroribus liberat, Deinde, ſequi debent bona opera,Hactenus illi: Ex quibus cõſtat, quod hic, pœnitentiam,non ut ante,ſimpliciter,terrores, faciant:ſed ex duabus partibus compoſitam: nempe,contritione,& fide illa ſua,Contritionem tamen interpretantur, terrores incuſſos conſcientiæ agnito peccato. Cuiuſmodi uero illi terrores ſint aut eſſe debeant,non explicant, niſi quod aliquando ueros,aliquando magnos terrores dicunt. Quos nonnunqꝫ etiam dolores appellant.

Eodem hoc loco,in Apologia, ubi noſtram de ſatiſfactionibus ſententiã aliquãto poſt,impugnãt. Pœnitẽtia,

iiſdem

ijſdem definitoribus,eſt conuerſio ſeu regeneratio. Habēt enim in hæc uerba.Nos dicimus,quod pœnitentiam,hoc eſt,conuerſionem,ſeu regenerationem,boni fructus,bona opera ſequi debeant.

Hanc tantam uarietatem in unius pœnitentiæ deſcriptione,apud eoſdem,in eadem ſuæ fidei confeſſione atq; explicatione,quis animaduertens,quam certam ſibi pœnitētiæ ueſtræ notionem conſtituet? Hoccine eſt tam luculentę illius ueſtræ doctrinæ,ſe dignum initium? Sed excutienda eſt, aliquanto preſſius, quo, qualis ſit,clarius poſſit intelligi.

Nos,inquiunt,conſtituimus partes pœnitentiæ,Contritionem.& fidē.Recte ſane.Nam conſtituiſtis uos. Quā recte uero,iam nunc uidendum eſt.

Conſtituere il los duas partes pœnitētiæ Cōtritionem, & fidem.

De contritione præcidimus,inquiunt,illas otioſas & infinitas diſputationes, quando ex dilectione Dei, quando uero ex timore pœnæ doleamus.

Quam autem ille,nec otioſæ nec infinitæ ſint,ex explicata noſtra de uera contritione ſententia,quiuis ille poteſt intelligere.Cum omnis dolor,ex alicuius amore neceſſario oriatur ac dependeat:& toto genere diuerſa ſint,dolere peccaſſe ſe ex amore Dei;aut ex amore ſui,gehennæq; timore: Proinde in quam confuſionem, ſublata illa amoris ex quo dolor pēdet diſcretione,hac in re nos conijciant,nemini obſcurum eſt:& mox elucefcet clarius.

Vt nihil illis referat,ex Dei aut ſui amore procedat contritio.

Sed dicimus,inquiunt,contritionem eſſe ueros terrores cōſciētiæ,quæ ſentit deū iraſci peccato,& dolet ſe peccaſſe.

Cōtritionē, ut definiant, ueros terrores conſcientiæ.

Contritionem illā, quam reſpicit deus in peccatore pœnitente, eſſe deteſtationem peccatorum eiuſmodi, quæ ex dei ſyncero & uincente apud nos amore procedat, atq; ita nos afficiat,ut pro re nulla uellemus deum offendiſſe amplius,ſupra demōſtrauimus, Terrorē quoq;,mœtus aut ti-

Definitionis excuſſio.

Terror quid.

moris incuſſionem, latine loquentes, intelligimus. Eſſe proinde, actionem territantis, aut timorem incutientis. Cuius in terrefacto effectus eſt, incuſſus mœtus aut timor. Quē & ipſum, ſi terrorem dicere placeat, improprie ſe loqui, nec ita ſignificanter, quam ſi incuſſum timorem mœtumue dicerent, ut fateantur neceſſe eſt.

Sed eſto. Terror ſit mœtus incuſſus a territante. Quid ille cum eiuſmodi dolore, deteſtatione, aut diſplicentia cōmiſſi peccati habet cōmune, aut cōmercij? Nunquid timor gehennæ, eſt contritio? Timorem eſſe uoluntatis anxietatem, & uelut fugam a malo, quod imminere uidetur, ex ipſa eius ratione eſt euidens. Aeque & hoc. Quod dolor ſit triſtitia, aut diſplicētia de malo præſenti, & quod adeſt, aut de præterito, cuius adhuc effectus aliquis nobis diſplicens remanet, Aduerſarijs omnia ſunt comixta, cōfuſa, & tranſpoſita. Contritio illis terrorem, terror timorem, timor dolorem ſignificat.

Timor.

Dolor.

Vt aduerſarij etiam uocabulis omnibus, utātur cōtra rationē propriā.

Iam & hoc quale eſt, & quis intelligat? quod terrores, conſcientiæ, dicant. Si terrorem, pro ſuo effectu, hoc eſt, timore aut mœtu qui terrefacto incuſſus eſt, intelligāt: ille neutiquam conſcientiæ, ſed uoluntati cōpetit: niſi etiam & harum nobis diſcretionem auferant: uoluntatis eſt, amare, odiſſe, ſperare, timere: cōſcientiæ officium eſſe, ut uoluntati uelut pœdagogus quidam adſiſtat, & eidem ſibi obſequenti bonum teſtimonium perhibeat, non uero obſequentem arguat, ipſæ nos docent ſacræ literæ, & ſupra, non ſemel demonſtrauimus. Rerum ergo natura nō admittit, ut terrores ſint conſcientiæ. Quin potius, ipſa conſcientia perterrefacit nos, quando eius monita negligimus, & ad carnis deflexímus deſideria: nobis proponens iuſtum Dei in nos iudicium, & gehennæ, damnationiſq; timorem incutiens.

Terrores non conuenire conſcientiæ.

Aduerſarijs

Aduerſarijs uero terrores ſunt conſcientiæ: & terror, dolor, quo conſcientia dolet ſe peccaſſe: quæ tamen non peccat, ſed peccantes nos arguit, immo, nec in damnatis a ſuo ceſſat officio. Atq; ita ſane loquuntur & tam proptie, ac ſi calcaneum obthalmia, oculos ſurditate laborare dicerent. Et hæc eſt illa clara pœnitentiæ doctrina, quam Lutherū, tandem aliquando, propitijs bene ſuperis, inuexiſſe gloriantur in eccleſiā, pro qua oēs illi ingētes debeamus gratias?

Nota obſecro lector quā proprie ac definite in definitione Cōtritionis loquātur aduerſarij.

Sed qui obſecro, hac in re, aut Lutherus ſecum, aut uos cum Luthero uobiſcumq; conſtare, conſentireq; poteritis?

Vt nec cū Luthero nec ſecū de Cōtritione conſentiant.

Hic Luthero & uobis, contritio, eſt altera & prior pars pœnitentiæ: quam ſubſequitur ueſtra illa fides, pars eius altera: ut ſic tota, hijs binis ſuis uobis conſtet partibus. Contritio, uobis definientibus, terrores ſunt conſciētiæ, ſentiētis deū iraſci pctō. Terror eſt, timoris incuſſio, aut ut poſſit terrefacto cōpetere, mœtus, timorue incuſſus. Timor iſte, uobis authoribus nō procedit ex amore dei, nec poteſt. Cū affirmetis impoſſibile homini, diligere deū, niſi prius peccata ſibi remiſſa certa fide apprehendat. Ita enim et hic dicitis, et dixiſtis ſupra in aſſertione iuſtificantis illius ueſtræ fidei. (Nec prius dilectio adeſt, q̃ fide reconciliatio facta ſit.) Relinquitur ergo, ut hic terror, aut timor, cōſcientiæ incuſſus (quam cōtritionem dicitis) ſit gehennæ damnationiſq; timor, ex ſui ipſius amore procedens. Nam timor, eſt inſtantis imminentiſq; mali, quod apprehendimus, ei quod amamus inimicum & contrarium. Luthero autem, qui uobis, nobiſq; (ſi uera dicitis) huius tam luculentæ, ſalutariſq; de pœnitentia doctrinæ author eſt, iſtiuſmodi contritio, ad aſſequendā remiſſionem peccatorum, adeo nihil promouet, ut ab eadem etiam abducat longius. Is enim, contritionem, quæ paratur per diſcuſſionem, collectionem, & deteſtationē peccatorum noſtrorū, ponderando eorūdē

Contritio ipſis gehennæ damnationiſq; timor, ex ſui amore tantum procedens.

Luthero Contritionem hãc, quã hic primã partem ſalutaris pœnitentiæ faciunt, hypocritas nos & magis peccatores facere.

grauitatem, multitudinem, fœditatem, & damnum quod per ea incurrimus, & qua quis recogitat annos ſuos in amaritudine animæ ſuæ, affirmat hypocritas nos & magis peccatores facere. Quomodo ergo hic, prima ſalutaris pœnitẽtiæ pars ab eodem, uobisq; conſtituitur? Præclaram ſane nos pœnitentiam docetis, quæ nos Deo adeo non reconciliet, ut magis etiam elonget ab eodem: adeo illius ad nos miſericordiæ oculum non aduocet, ut eius in nos iram magis prouocet: non peccatorum remiſſionem impetret, ſed peccatores etiam magis faciat.

Veros terrores ueros dolores eſſe etiam in deſperatis ac damnatis.

Quod alicubi, uelut differentię, aut diſtinctionis alicuius gratia, contritionem, ueros terrores, ueros dolores dicitis, nihil magis explicatis. Eſt enim uerũ, quod opponitur ficto & ſimulato. Iudas, non ſimulabat dolorem, ſed reuera doluit, & in tantum doluit, ut dolorem non ferens, cucurrerit ad laqueum. Damnati in inferno non ſimulant dolorem, nec leuiter dolent, ſed reuera grauiſſime dolent, ut paulo ante demonſtratum eſt. Nihil refert, q̃ uerus, q̃ magnus ſit dolor de peccatis, ſed a quo amore dependeat. Cui, ut conformiter ſe habeat, & in ueritate, & in magnitudine, plane neceſſe eſt. Qui inordinato uehementiq; ſui amore laborant, ſimili ad rationem, dolore, afficiuntur ex hijs quę apprehendunt adeſſe, ſibi nociua, inimica, & contraria. In eundem modum qui Deum ſyncere diligunt, ad proportionem etiam eius amoris, amati offenſam deteſtantur & odiunt.

Nihil referre, quã uerus, aut q̃ magnus ſit dolor de peccatis, ſed ex quo amore dependeat.

Et hactenus quidem ex notione Contritionis Lutheranę & aduerſariorum, quæ ſit luculentia doctrinæ eorundẽ, de pœnitentia, guſtũ nõ nullũ exhibuimus. Quem tibi magis confirmabit, modus, quem docent, generationis eiuſdem illius contritionis ſuæ, ſi ipſum excuſſeris.

Et hæc contritio, inquiunt, fit quando uerbo Dei, arguuntur

untur peccata, Quia hæc eſt ſumma Euangelij; arguere peccata, & offerre remiſſionem peccatorum; & iuſtitiam propter Chriſtum,& ſpiritum ſanctum, & uitam æternã, ut renati benefaciamus.

Quomodo cõtritionem generari in nobis doceant.

Animaduertite obſecro, quid ex hijs uerbis, aut ſani, aut certi quiſq; poſſit intelligere.

Et hæc contritio (illa inquam quam terrores conſciētiæ definierunt) fit, quando uerbo dei arguuntur peccata, Nunquid aliter nunq;, aut nulla alia ex cauſa? An non, fidelem hominem,etiã ſi nullus adſit alius diuini uerbi præco,ſua ipſius conſcientia non frequenter redarguit, terret, & diuini iudicij damnationiſq; timorem incutit?

Attende obſecro lector doctrinæ huius luculentiam.

Sed probant,rē ita habere,Quia hæc eſt ſumma Euãgelij, arguere peccata & offerre remiſſionem peccatorum propter Chriſtum.

Iterum quæſo Lector hic aduerte animũ. Supra aſſerentes uiuam illam energiam ſuæ illius ſalutaris fidei, ſcripturam uniuerſam in hos duos locos partiuntur,quos ſibi conſtituũt,uelut e diametro: legem inquam,& promiſſiones, hoc eſt, Euangelium. Siquidem,Euangelium, nihil eſſe, q; promiſſionem remiſſionis peccatorum & iuſtificationis propter Chriſtum affirmant. Legis munus propriũ faciũt,accuſare ſemper,& perterrefacere conſcientias. Perterrefactam autem conſcientiam refugere,non amare Dei iudicium,Contra,Euangelio tribuunt, conſolari nos: gratuitam ſalutem, propter Chriſtũ ingerere: conſcientiæ terrores a lege incuſſos depellere, Hic plane contra ex Euangelio legem faciũt, Hic illis Euangelij ſumma eſt,peccata arguere: terrores incutere conſcientiæ: quod illic legis, ut contra Euangelium diſtinguitur, eſt proprium. Quo igitur pacto,hoc pſalterium concordat,cum illa cythara?

Quam ſecum pugnent ubiq;

Iam & illud quale eſt? Quando uerbo Dei arguuntur

peccata, conſcientia terroreq́ ac timore cōcutitur, diuini in-quam iudicij & gehennæ, cū nondum diligat: accedit deinde fides, & perſectum eſt pœnitentiæ myſterium. Hoc inquam eſt, quod explicari cupio, quo ſecum pacto cohæreat, ut fides ſequatur, non præcedat ueſtram illam contritionem: hoc eſt, incuſſos conſcientiæ timores a uerbo Dei? De ſide inq̃ loquor, nō de noticia hiſtoriæ, quā nemo ſidē intelligit. Cū uerbo dei arguunť peccata, aut ſidē iā habet peccator, aut non habet, Si non habet, non credit uerbo Dei; nec proinde mœtu, aut terrore, ex audito & non credito uerbo dei concutitur, Si fidem habet, iuſtus eſt, uobis ipſis authoribus: etiam anteq̃ pœniteat, conterreatur, aut terroribus illis cōcutiatur eius conſcientia.

Quam fœliciter, ad ſuā illā cōtritionē ſtabiliēdam, ſcripturas accommodent.

Exiſtimo Lectorem iā ſatis intelligere, q̃ta ſit perſpicuitas doctrinæ pœnitētiæ apud aduerſarios, Et ex notione cōtritionis, quā primā eius partem faciunt: et ex modo, quem docent, generationis eiuſdē. Nunc audiq̃ fœliciter, q̃ efficaciter ad eandem ſtabiliendā ſcripturas accommodent.

Et de hijs, inquiunt, terroribus loquitur pſal: xxxvij. Quoniā iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meū, & ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me, Afflictus ſum & humiliatus nimis. Et pſal: vi. Miſerere mei domine, quoniam infirmatus ſum.

Quis uobis obſecro, hoc affirmātibus, hos pſalmos de terroribus loqui, crediturus eſt: qui nullum de terroribus uerbum continent? Et ut a ſecundo, qui ordine primus eſt, incipiam, Ille, uere ſuæ miſeriæ conſcij, & uere pœnitentis, & diuinam miſericordiam implorantis orationē continet: ſed de terrore nullum uerbum loquitur. Dicit proinde ille eiuſmodi, Miſerere mei domine, quoniā infirmus ſum, ſana me domine, quoniā cōturbata ſunt oīa oſſa mea, & anima mea turbata eſt ualde. Sed tu domine uſq̃ quo? Cōuertere

domine

domine, & eripe animam meam: ſaluũ me fac propter miſericordiam tuam. Miſeriam ſuam agnoſcit, in quã ex peccato incidit: magnitudinem doloris ac diſplicentiæ, quam ex recordatione diuinæ offenſæ concepit, explicat: & pro uenia ac ſalute ſupplex confugit ad Dei miſericordiam.

Ita quoq; pſal: xxxvij. in quo, nec terroris, nec mœtus ulla ſit mentio: ſed ut in priori, uere pœnitentis peccatoris habitus, affectuſq; explicatur: & deſyderium & oratio exprimitur, Qui merito dolenter agnoſcit, iniquitates ſuas ſupergreſſas caput ſuum, & dominatas ſibi: illiſq; ſe, grauibus certe duriſq; tyrannis, miſere ſeruijſſe in opere luti, palearum, & laterum: de quibus ex animo dolet, uere humiliatus iam ſub Deo: atq; ita dolet, ut cordis gemitu, lachrymis ac rugitu illum ipſum dolorem palam cõteſtetur. Sed hæc nihil ad Lutheranam, & aduerſariorum, ſed ad noſtrã pœnitentiam, & contritionem proprijſſime pertinent.

Supereſt iam altera pœnitentiæ aduerſariorum pars, fides illa earum ſpetialis, qua credimus peccata noſtra nobis gratis remitti ob Chriſtum, Quam, cum ſupra demonſtrauerimus ignoratã ſcripturæ, Deo, Chriſto, Apoſtolis, & uniuerſæ uſq; ad Lutherum inauditam fuiſſe catholicæ æccleſiæ, conſtat ſane q̃ ſalubrem, q̃ luculentam pœnitẽtiæ doctrinam, ipſi cum ſuo Luthero inuexerint in ęccleſiam. Et q̃ bene ſit conſultum illis, qui ſe hijs credunt magiſtris & doctoribus.

De ſecũda parte Pœnitentiæ aduerſariorũ. Illa ſua fide.

Quam ſuam fidem, quod hic in Apologia, quæ iã eſt recens ædita, (Nam prior quam Auguſtæ ædiderunt; ijs caret omnibus) perinde quaſi ſupra ab ipſis nihil actum ſit, uelut ex integro plæriſq; ſcripturarum authoritatibus aggrediuntur aſtruere, ſane perdunt operam, Cum una reſponſione dicatur ad omnia, quæcũq; ex ſcripturis de fide proferri poſſunt, nullum eſſe in illis iotha, nullum apicem,

qui ad illam aduerſariorũ fidem ſpecialem pertineat, Sed uniuerſam; loqui ſecundum aliquem modorum, qui conͥtrouerſia ſecunda a nobis diligenter explicati ſunt; aut de fide catholica, atq; illi coniuncta in dei ueritatem innitenͥte fiducia, idq; biſariam: aut ſimpliciter: aut uiua: aut de ea fiducia in Dei bonitatem & miſericordiam, quæ ſpei aſſeͥquendæ ueniæ & remiſſionis peccatorũ coniuncta & affiͥnis eſt: aut deniq; de altera illa fiducia certa aſſequẽdæ coͥronæ & gloriæ, & obtinendi a deo quicquid petimus: quę ex familiari iam amore Dei naſcitur: & habet ſuæ illius ſeͥcuritatis ſponſorem, Dei amorem, per ſpiritum ſanctum nos inhabitãtem, diffuſum in cordibus noſtris. Quæ fiduͥtia, multis paſſibus (ut illic demonſtrauimus) peccatorum remiſſionem ſubſequitur; quam, ut altera illa fides, præceͥdat, neceſſe eſt. At de fide aduerſariorum nullum uerbum in ſcripturis eſt. Intelligunt proinde fruſtra ſe ſcripturas proferre, loquentes de iuſtificante quadam fide, niſi demõͥſtrauerint quod loquantur de ſua illa ſpeciali promiſſæ in Chriſto ſalutis fide; & non de noſtra fide catholica: ſeu ſimͥpliciter; ſeu uiua, ut dictum eſt: ſeu de illa fiducia qua erga familiariter; & mutuo amatum utimur, quæ impetrat ab amico quæ uult.

Peroratio, De doctrina pœnitẽtiæ, aduerſariorũ, & catholica.

Proinde, ſi q̃ctum diiudicandæ hinc inde, & aduerſaͥriorum, & noſtrę de pœnitentia doctrinæ, uiris bonis ſuffiͥcere poſſit, dici oportuit, iam ſatis dictum exiſtimo.

Ne tamen rationibus, quibus & ſuam ſententiã aſtruͥunt, & noſtrã impugnant, non ſatisfactũ querantur, etiam hoc tedij adhuc deuorandum eſt.

Explicatio rationũ, quibus ſuam aſtruũt.

Itaq;, quod recte & ſecundũ ſcripturas poſuerint illas duas partes pœnitentiæ, nempe, illã ſuam contritionem, hoc eſt, terrores conſcientiæ, illamq; ſuã fidem, ita demonͥſtrare pergunt.

Chriſtus

Ratio prima.

Chriſtus dicit, Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam uos. Hic duo membra ſunt, inquiunt. Labor & onus ſignificant contritionem: hoc eſt, pauores & terrores peccati et mortis. Venire ad Chriſtū, credere eſt, quod propter Chriſtum remittuntur peccata. Sunt igitur hæ duæ p̄cipuæ partes pœnitentiæ, contritio & fides.

Excuſſio.

Si in hūc modū pro ueſtro arbitrio interpretantibus uobis ſcripturas teneremur nos credere, facile ex illis aſtrueretis quidlibet. Sed nondum perſuaſiſtis nobis, uos eſſe illos, de quibus nobis per ſcripturam dicitur. Et facies quodcumq; dixerint, qui præſunt loco quem elegerit dominus, ſequeriſq; ſententiam eorū. Non diſcedes a uerbo quod annunciauerint tibi ad dexteram nec ad ſiniſtrā. Quorum, uos, cum audeatis ſententiam contemnere, merito nos, ueſtras expoſitiones non recipimus: præſertim, quæ clariſſimam ſcripturæ ſententiam corrumpūt & adulterāt.

Tu uero in his rationibus omnibus perpende lector, quā apte ſcripturas ſuæ ſententiæ accommodent.

Chriſtus inuitat laborantes, laſſatoſq; in uijs iniquitatis, difficilibus ſane, & ſub peccatorum onere fatiſcentes, ad ſe ueniant: uenientibus promittit refectionem & exonerationem a peccati, ſub qua laborant, ſarcina. Imus ad Chriſtū, non pedum, ſed cordis, ſed amoris paſſibus: atq; ad ipſum couertimur. Quod dum facimus, etiam ipſe uiciſſim cōuertitur ad nos: & onere peccatorum, ſub quo laboramus, nos liberat: & ſua gratia reficit. Quid igitur? Ergo cōtritio, hoc eſt, terrores, & ueſtra illa fides, ſunt præcipuæ partes pœnitentiæ? Per quam obſecro dialecticam, niſi ſecundū quā quodlibet infertur ex quolibet.

Eiuſdem formæ argumentum addunt alterum.

Ratio ſecūda.

Apud Marcum dicit Chriſtus. Pœnitemini, & credite Euangelio. Hic, inquiunt, in priore articulo, peccata redarguit: in ſecundo, conſolatur nos, & oſtendit remiſſionem peccatorum propter Chriſtum donatam. Hæc enim re-

occiderit, Ergo ne cõtritio,hoc eſt,terrores conſcientiæ, & ueſtra illa fides,ſunt partes pœnitentiæ?

Rurſus. Exprimens deſiderij ſui impotentiam, quo Chriſti ſaluatoris & uerbi in carnem expectabat aduentũ, Defecit, inquit, in ſalutari tuo anima mea, & in uerbum tuum ſuper ſperaui, Defecerunt oculi mei in eloquium aut uerbum tuum, dicens, quando conſolaberis me? De pœnitentia uero,de terroribus, de fide illa ueſtra, nullum hic prorſus uerbum eſt.

In cantico Annæ, cum Samuelem filium offerret domino,eadem agnoſcens uim & authoritatem diuinæ in humañis rebus prouidentiæ,& quod prius ſterilitatis percuſſa opprobrio,fęcunditatis deinde beneficio,donata fuerat, & contra alij diuinis beneficijs cumulati, quod de illis ingratos ſe præſtiterunt,reciderint in contrarium, Arcus,inquit,fortium ſuperatus eſt: & contra, infirmi accincti ſunt robore,Repleti prius,pro panibus ſe locauerunt: & cõtra, famelici,ſaturati ſunt: quin & ſterilis,peperit plurimos: contra uero,quæ multos habebat filios, infirmata eſt, Dominus mortificat & uiuificat, deducit ad inferos & reducit, Dominus pauperem facit, & ditat, humiliat & ſubleuat &c. Eius enim ſunt cardines orbis terræ. Sed hæc ad pœnitentiam atq; eius partes, ad contritionem illam ueſtram, hoc eſt,conſcientiæ terrores, ad illam fidem ueſtram quid pertinent?

Adducunt præterea & alios quoſdam locos in ædita auctaq; nouiſſime, ſua illa Apologia, (nam prima dictos tantum habet) ſed ad eandem omnes monetam pertinent: nec ullam difficultatem ingerunt ei, qui uel paululum aſſueuit iam indicatæ ſubinde a nobis illorum dialecticæ. Proinde ad rationes eorum,quibus ſuam illam,tam q̃ audiſti, luculentam,expeditam, & planam,pœnitentiæ do-

ctrinam

ctrinam aſſerunt, iſta mihi ſufficere uidentur.

Noſtram doctrinam impugnare cum uideri uolunt, Andabatarum more in tenebris dimicant: immo doctrinã noſtram non intelligentes, ſua ipſorum ſomnia, quæ nobis impudenter affingunt, impugnant.

Quomodo catholicã doctrinam impugnare uolẽtes, ſua ipſorum, quæ illi affingunt, ſomnia impugnent.

Aiunt nos affirmare, ita remitti peccatum, quia contritus eligit actum dilectiõis, per quem, remiſſionem peccatorum mereatur accipere, In quo confutando, ſe fruſtra fatigant, cum nos nihil aſſeramus minus, Neq; enim dilectionem ex contritione, ſed contra, contritionem ex amore ac dilectione procedere dicimus. Quamdiu peccator non diligit, manet in morte: quemadmodum ille ueritatis Euãgeliſta, clariſſimis uerbis affirmat, Quando autem quis ad ſyncerum Dei amorem perductus eſt, tantum neceſſario dolet, & ſibi diſplicet, quod ipſum offenderit, q̃tum amat, Hæc enim neceſſario commenſurantur: amor, & diſplicẽtia, aut dolor de offenſa amati, Quo cum perductus eſt, iã eſt corde uere contrito ac humili: ad quod, oculo illo miſericordiæ, Deus iam dignatur reſpicere, Ipſe enim diligentes ſe, uiciſſim diligit: non diligentes non dignos habet ad quos reſpiciat. Neq; tamen, per ipſum actum dilectionis, & ex ea procedentis contritionis, dicimus peccatorem mereri remiſſionem peccatorum, aut iuſtificationis gratiam, merito illo proprie dicto, quod quem debitorẽ conſtituat, Ita enim gratia non eſſet gratia.

Somnium primum.

Veram contritionẽ ex amore, non cõtra, amorem ex cõtritione procedere.

Nec amorem, nec cõtritionẽ mereri iuſtificationis gratiam, eo merit. genere, quod ex opere debitorẽ cõſtituat.

Quis de merito cõgrui, ut cum ſcholaſticis dicamus nullum hoc incõueniens exiſtimemus admittere, Tameſi ipſi, hoc aperte falſum, alienumq; & a ſcripturis, & orthodoxis patribus dicant; ſed dicant tantum, & non demonſtrent. Hoc enim, bono, pio, & miſericordi domino congruit, uere pœnitẽtibus ignoſcere: & ad animandos, reuo-

Vtiq; tamen, merito cõgrui quod uni domini liberalitati, & miſericordiæ innititur.

Bb candoſq;

candoſq; ad ſe, ſalutemq; ſuam miſeros peccatores, eidem bonitati placuit, etiam hoc ipſum promittere, & uelut promiſſo ad hoc ſeſe obligare. Proinde toties ad nos clamat in ſcripturis, per prophetas, & apoſtolos, Quacumq;, inquit, hora ingemuerit peccator & conuerſus fuerit, omniũ iniquitatum eius non recordabor. Et rurſus, Conuertimini & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus ueſtris, & non erit uobis in ruinam iniquitas, Nunquid uoluntatis meæ eſt mors impij dicit dominus, Et non potius ut conuertatur a uijs ſuis & uiuat? Reuertimini & uiuite. Ita quoq; per Zachariam, Conuertimini ad me, & ego conuertar ad uos. Ita & Iacobus, Appropinquate Deo, & appropinquabit uobis. Ita & ipſe Chriſtus, Venite ad me omnes, qui ſub peccatis laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam uos, Noſtra ad ipſum conuerſio, noſter acceſſus, præcedit; quam concomitatur Dei conuerſio, & appropinquatio ad nos: de qua, uelut promiſſa, certos nos reddidit, ſi præceſſit in nobis, quod ex nobis requiritur, Ad quod ipſum nihilominus, ſua bonitate, & gratia nos prouocat, inſtigat, & adiuuat: ita ut nulli quicq; ex ipſo, ad ſalutem deſit. Ego ſto, inquit, ad oſtium, & pulſo. Si quis audierit uocem meam & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum. Ipſe pulſat, ut ſibi ianuam cordis noſtri aperiamus: dat nobis facultatem, ut eandem ſibi aperire poſſimus: non tamen eam ipſe effringit, atq; ita ad nos ingreditur: ſed ſi nos ipſi, eius equidem adiuti gratia, quæ omnibus parata offertur, eandem ipſi aperuerimus. Quod cum facimus, promittit aut affirmat ſe ingreſſurum ad nos. Itaq; in hymno quadrageſimali ita canit æcleſia, Si rennuis, quis tribuet? indulge quia potens es, Si corde rogamus mundo, certe debes ex promiſſo.

Peccatorũ remiſsio uere pœnitētibus debitá ex promiſſo

Ad

Ad hæc, aiunt nos affirmare, ad deletionem peccati, ſolam deteſtationem criminis ſufficere. Item, Quod per attritionem, ut contra contritionem diſtinguitur a doctoribus, mereamur gratiam. Quod item ſuſceptio ſacramenti pœnitentiæ ex opere operato, ſine bono motu utentis, hoc eſt, ſine ſide in Chriſtum, conferat gratiam. Quæ cum ſint euidentia, atq; impudentia mendacia, nihil eſt opus ea aliter refellere. Tantum mirari cogimur, quid nam illis in mentem uenerit, iſtiuſmodi nobis affingere, quæ cum doctrina noſtra pugnant e diametro. *Somniũ ſecundum.* *Tertium.* *Quartum.*

Aeque merum eſt ſigmentum & inſomnium, quod affingunt ſcholaſticis de poteſtate clauium, doceri ab illis, quod ualeant ad remiſſionem peccatorum, non coram Deo, ſed coram æccleſia. *Quintum.*

Quę de poteſtate clauium, nobis nulla hic ſit diſputandi neceſſitas: ut quas, huc pertinere non credimus, ſed ſignificare authoritatem regendi domum æccleſiaſticam, Quarum officium præcipuum eſt, ſui regiminis habenis moderari Chriſtioues & familiam: ſuum cuiq; officium præſcribere: ſigere, reſigere, obligare, & obligata reſoluere. Nec uſq; ſit mentio clauium a Chriſto, q̃ unico loco; ad unum Petrum, uelut æccleſiaſticæ hierarchiæ conſtituendum a ſe rectorem & præſidem: ubi & dictum clauium officium in æccleſia, clariſſimis ſuis uerbis exponit, ſubiungens; Et quodcumq; ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in coelis, quodcumq; ſolueris, ſolutum. *Poteſtatẽ clauium toto genere diuerſam eſſe a poteſtate remittendi peccata.* *Quod earum officiũ explicatũ a Chriſto.*

Principale & primum harum opus eſt, præſcribere omnibus qui ſunt in domo æccleſiaſtica, in regno Chriſti, quod hic ſuper terram eſt, cuiq; quod eſt ſui officij: & obligare omnes præceptionum ſuarum uinculis.

Secundarium eſt, conſtituta & obligata reſoluere, Et quicquid ille huius rei agit, in regno Chriſti ſuper terram, hoc coram Chriſto, ratum eſt in cœlis. At alia, & ab hac diuerſiſſima poteſtas eſt, quę eſt data, non ſolū paſtori ouilis Chriſti, & regni eius rectori, non ſolum apoſtolis, quos nobis Epiſcopi referunt, ſed una etiam diſcipulis, & in eis, ſacerdotibus omnibus, (de qua poſt Chriſti reſurrectionem apud Ioannem) remittendi hominibus peccata, atq; eadem retinendi: Cuius opus primum ac principale eſt, peccata dimittere: quod nihil cōmune habet, cum primo & principali opere poteſtatis clauium: nempe, ligare, figere, præcipere, obligare, Secundarium uero, & minus principale, eſt, peccata retinere, Quod & ipſum, nihil cōmune habet, cum opere ſecundario, poteſtatis clauium: quod eſt, ſoluere, hoc eſt, ligata, fixa, ſtatuta, obligata reſoluere, & obligationem tollere, libertatem reddere. Sed obiter iſta.

Vt alterā chriſtianæ pœnitētiæ partē, Cōfeſsionē, nēpe, nullis rationibus oppugnēt, ſed ſuam tantū ſententiam de ea pronunciēt.

Alteram noſtræ pœnitentię partem, confeſſionem uidelicet peccatorum noſtrorū ſacerdoti factam, impetrandæ atq; obtinendæ remiſſionis eorundem gratia, nullis rationibus, aut argumentis impugnant: ſed tantum, legislatorum inſtar, ſuam de eadem ſententiam pronunciant, Quam, quis nos maiori ratione poſſimus ſimpliciter reijcere & contemnere. Quia tamen de re graui agitur, paulo preſſius excutienda eſt, Quo & noſtræ ſententiæ magis illuceſcat ueritas, & illorum ſit euidentior falſitas: certiuſq; a uiris bonis, ab omnibus qui hæc noſtra lecturi ſunt, proferri poſſit iudicium.

Eiuſdem explicatio.

Appellant bonorum uirorum iudicium, quòd in illuſtrandis ueris illis pœnitentiæ ſuæ partibus, contritione & fide, ſerio & fœliciter uerſati ſint, De Confeſſione uero, & ſatisfactionibus, ut rebus nihili, aut non magni momenti, non

admodum ſe rixatos eſſe. Se nihilominus ipſam etiam confeſſionem retinere, propter abſolutionem. Quæ eſt, inquiunt, uerbum Dei, quod de ſingulis authoritate diuina pronunciat poteſtas clauium. Cæterum enumerationem delictorum in confeſſione, ſentiunt diuino iure minime neceſſariam: ſed poſſe ſacerdotem, abſoluere peccatorem, quamuis peccata eius prorſus ignoret: modo tantum in genere conſiteatur, ſe peccatorem, & remiſſione peccatorum opus habere. Quamquam pro ſimplicibus, examinandæ conſcientiæ eorundem gratia, & quo certius poſſint inſtitui, probent confeſſionem eiuſmodi, quæ enumerationem particularē peccatorum habeat. Apud ſcriptores æccleſiaſticos confitentur quidem haud infrequentem mentionem confeſſionis recurrere; ſed non loqui illos de noſtra hac confeſſione quę enumerationem occultorum peccatorum habeat, ſed tantum de ritu publicę pœnitentię. Qua, quia lapſi aut famoſi recipiebantur, nō tamen ſine certis ſatisfactionibus, ideo illos confeſſionem feciſſe apud presbyteros, ut pro modo delictorum, ſatisfactiones præſcriberentur iiſdem.

Hæc fere ſumma eſt, omnium quę de confeſſione, uelut legislatores quidam, & tanquam ex tripode proferunt. In quibus coufutandis, ſi pręter inſtitutum hic paulo prolixiores fuerimus, boni conſulet Lector. Quandoquidem, non de re leuis, ut ipſi uideri uolunt, momēti, ſed ex qua neglecta, ſalutis iacturam incurrimus, hic agi intelliget.

DE PECCATORVM CONFESSIONE

demonſtratur quæ ſit doctrinæ Euangelicæ ueritas.

OStendimus ſupra, uere pœnitentem, fideliter & libēter ſe ſubdere, omnibus mediis, ac remediis, quæ pro obtinēda peccatorum remiſſione inſtituta a Chriſto intel-

Ex Chriſti uerbis.

ligit. Intelligit autē ex ipſis uerbis Chriſti, nobis eſſe neceſſariū, ut ea remitti obtineamus ſacerdotū ſuorū miniſterio. Quandoquidem clariſſimis uerbis affirmat, non remiſſum coram Deo, quod ab illis retentū eſt, aut remiſſum non eſt. Intelligit quoq; datam ijſdem hanc poteſtatem remittēdi peccata, non quibuslibet, aut ad ſuum ipſorum nudum arbitrium, ſed uere pœnitentibus. Et proinde, cum iudicio præuio: quo, ex modo pœnitentiæ prudenter diſcernant, remittenda ne hæc, an uero retinenda adhuc peccata ſint, ut calore ſalutaris contritionis, nondum cōcocta ſatis. Qua in re, ſacerdos ſuo rite fungi officio non poſſet, niſi peccator ſuum ipſi morbum aperuerit: lepram animæ ſuæ detexerit: & ſe totum inſpiciendum præbuerit. Hanc eſſe certam, apertamq; ueritatem lucis Euangelicæ. Quam ut clariſſimis nos uerbis Chriſtus docuit, ita palam comprobatur certa illa orthodoxæ ueritatis amuſſi, catholicæ per orbem æccleſiæ, ab ipſo ſui initio, conſenſu ac ſententia. Quam orthodoxorum ſanctorumq; patrum, diuerſis ab initio ſœculis, diuerſis orbis terræ cardinibus, ſcripta, magno conſenſu comprobant. Quod ut certo intelligas, & ſimul q̄ illud uerum ſit, quod tam confidenter pronunciant, æccleſiaſticos ſcriptores, cum de confeſſione peccatorum loquuntur, nihil de noſtra confeſſione loqui, ſed tātum de ritu pœnitentiæ publicæ, paucis demonſtrandum eſt.

Ex catholicæ per orbem æccleſiæ cōſona ab initio fide ac ſententia.

Et ut ex illo ipſo ſœculo incipiam, q̄ ſyncera adhuc uigebat Chriſti religio. Nam de poſteriori ſœculo, ut non diffitentur publice receptam hanc ſententiam, ita eius authoritatem, non perinde tanti faciunt.

Catholicæ eius fidei S. Leo teſtis luculētiſ.

Ille ter ſanctus Leo, Epiſcopus catholicæ æccleſiæ, orthodoxæ & ſynceræ fidei aſſertor, (quibus ipſum elogijs Calcedoneñ. ſynodus exornauerat) ante annos undecies cente-

centenos, ad Theodorum foroiulienſem Epiſcopum ſcribens, Multiplicem miſericordiam Dei ita lapſibus ſubueniſſe humanis affirmat, ut non ſolum per baptiſmi gratiā, ſed etiam per pœnitentiæ medicinam ſpes uitæ reparetur æternæ; ſic diuinæ bonitatis præſidijs ordinatis, ut qui regenerationis, dona uiolaſſent indulgentiam Dei, niſi ſacerdotum miniſterio nequeant obtinere. Mediator enim, inquit, Dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus, hanc præpoſitis æccleſiæ tradidit poteſtatem, ut & confitentibus actionem pœnitentiæ darent, & ſalubri ſatisfactione purgatos ad communionem ſacramentorum, per reconciliationis ianuam admitterent. Audis quid ille dicat Leo, traditam poteſtatem æccleſiarum paſtoribus, ut confitentibus impartiantur reconciliationis gratiam, preſcripta eiſdem actiōe, modoq; pœnitentiæ. Quod autem non loquatur de ritu pœnitentiæ publicæ, & confeſſione, qualis in ea ſolet peragi, ſed de pœnitentia, quæ cuiq; peccatori, pro obtinenda diuina indulgētia eſt neceſſaria, ipſa, ut, audiſti eius, uerba clariſſime loquuntur: dicens ita ordinaſſe Deū ſuæ bonitatis præſidia, ut ab hijs qui regenerationis dona uiolaſſent, niſi ſacerdotali miniſterio, indulgentia & peccatorum remiſſio obtineri nequeat. Poteſtatem autem illam remittendi peccata, a Chriſto datam, ſacerdotibus, æccleſiarum paſtoribus: non tamen remittendi quibuslibet, ſed confitentibus. Inſuper, & pertinere ad eandem illam eorum poteſtatem, quam a Chriſto acceperunt, ut confitentibus actionem, & modum pœnitentiæ præſcribant. Sed hoc ad ſatisfactionem pertinet, de qua mox tractabitur.

Eiuſdē catholicæ per orbē fidei, etiā D. Auguſtinus teſtis irrefragabilis.

Iam & alterum, & ex alio orbis cardine, & dicto Leone aliquanto uetuſtiorem, nec minus idoneum teſtem accipe, quod, quam diximus de confeſſionis neceſſitate ſententia, cōmunis catholicæ per orbē ęccleſię ſētētia, & doctrina fuerit.

ſuerit: Auguſtinum inquam, ex Africa.

Hic capite IIII. lib. II. de uiſitatione infirmorum, habet in hæc uerba. Sunt, inquit, quidam, qui ſufficere ſibi exiſtimant, ſi ſoli deo, cui nihil occultum eſt, quem nullius latet conſcientia, ſua crimina confiteantur, Nolunt enim, aut erubeſcunt, ſeu dedignantur oſtendere ſe ſacerdotibus, quos tamen inter lepram & lepram diſcernere per legislatorem conſtituit dominus, Sed nolo ut decipiaris opinione, quatenus confundaris confiteri Chriſti uicario, tabeſcens præ rubore, uel ceruicoſus præ indignatione. Nam ipſius eſt humiliter ſubeundum iudicium, quem dominus ſuum non dedignatur uicarium, Ergo ad te uenire roges ſacerdotem: & fac ipſum conſcientiarum tuarum penitus participem. Erroneam autē eſſe perſuaſionem contrariam etiam argumentis confirmare pergens, hoc dicit teſtari ſanam doctrinam, quod ſacerdotis egeamus, qui inter deum & nos mediator ſit ſalubri iudicio. Alioqui, inquit, & ſub lege, & ſub gratia. Ite & oſtendite uos ſacerdotibus, reſponſum diuinum, quomodo conſummaretur? Confitemini alterutrū peccata ueſtra, quomodo compleretur? Et alio loco. Ergo ſine cauſa dictum eſt, Quæ ſolueritis in terra, ſoluta erunt in cœlo? Ergo ſine cauſa datæ ſunt claues ęccleſiæ dei? Fruſtamus Euangelium dei: fruſtamus uerba Chriſti: promittimus nobis, quod ille negat: nonne nos decipimus? Quid hic dicturi ſunt aduerſarij? An de ritu publicæ pœnitentiæ Auguſtinum hic loqui? An de confeſſione eiuſmodi, qua ſacerdoti peccator diceret, Peccator ſum; egeo remiſſione peccatorum, proinde dimitti mihi ea? Quid eſt ergo, quod confeſſionem, quam ut neceſſariam exigit, affirmat adiunctam habere erubeſcentiam, ob quam, grauis ſit peccatoribus? An eſt quiſq;, qui ſe peccatorem confiteri erubeſcit, quod de omnibus pronunciat diuinæ ſcrip-

turæ

pturæ certa authoritas? Quid eſt, quod de occultis, & ſoli Deo notis, confeſſione detegendis loquitur? Quid, quod iubet, ut faciamus ſacerdotem conſcientiarum noſtrarum penitus participem? Non iam interrogo, quanti illis ſit Auguſtini authoritas, Sed hoc cupio, quod mecum perpendant aduerſarij, & quicumq; apud ſe in hac cauſa aliquod ſunt prolaturi iudicium, an credant Auguſtinum hac in re docuiſſe tunc ſibi commiſſos Chriſtifideles, atq; interim ſemper uniuerſam Chriſti æccleſiam, ſua ſomnia, ſua inuenta, & nō potius, quā ille didicerat in catholica æccleſia, doctrinam ſanā & catholicam? Docet autem, Euangel[illegible]m Dei, & uerba Chriſti fruſtrare, ſe alioſq; decipere, ſibi promittere quod negat Chriſtus, qui perſuadent ſibi & alijs, peccatorum qu em remiſſionem conſequi, qui non humiliter ſe ſubmiſerit ſacerdotis iudicio: qui aut dedignantur, aut erubeſcunt ſe illi oſtendere, ſua illi peccata confiteri, ſuam conſcientiam aperire, Qui & alio loco docet, ut non per nuncium, non per ſcripturam, ſed ore proprio, peccata noſtra confiteri debeamus ſacerdotibus, Vt qui, inquit, per uos peccaſtis, per uos erubeſcatis, Erubeſcentia enim ipſa, partem habet remiſſionis, In hoc enim, quod per ſe ipſum qs dicit ſacerdoti, & erubeſcētiā uincit timore offenſi, uenia ſit criminis, Multum enim ſatisfactionis obtulit, qui erubeſcentiam domans nihil eorum quæ commiſit, nuncio Dei denegauit.

Hæc perpendant, quæ D. Auguſtini ſæculo, de cōfeſſionis neceſſitate fuerit doctrina catholicæ eccleſiæ.

Eiuſdem catholicæ fidei & doctrinæ, ex eodem quidē ſæculo, ſed ex diuerſo orbis cardine, oriente, nempe, etiam Chryſoſtomum illum, teſtem accipe.

Hic Hom: iij. in Matheum, habet in hæc uerba, Confeſſio, inquit, peccatorum, teſtimonium eſt conſcientiæ timentis Deum, Qui enim timet iudicium Dei, peccata ſua non erubeſcit confiteri, Qui autem erubeſcit, non timet.

Chryſoſtomus teſtis eiuſdem catholicæ fidei

Perfectus enim timor, ſoluit omnem pudorem. Illic enim turpitudo confeſſiõis aſpicitur, ubi futuri iudicij pœna nõ creditur, Nunquid neſcimus, quia confeſſio peccatorum habet pudorẽ? Et quod hoc ipſum, erubeſcere, pœna grauis eſt? Sed ideo magis iubet Deus confiteri peccata, ut uerecundiam patiamur pro pœna, Hactenus ille, Quem, puto, non dices ſua ſomnia inuentaq; docuiſſe cõmiſſum ſibi populum, ſed doctrinam, quã nouerat uir doctiſſimus, & ſanctus Epiſcopus, catholicæ Chriſti æccleſiæ. Audis autem, ut intellexerit & docuerit, confeſſionem peccatorum, non eſſe poſitam in noſtro arbitrio, ſed præceptam a Deo. Ideo, inquit, Deus iubet magis confiteri peccata, ut uerecundiam patiamur pro pœna, Nec fingere quiſq; poteſt, eũ loqui aut de confeſſione publica, aut illa, qua quis tantum diceret ſacerdoti in genere, peccaui, Sed de ea quę omni peccatori eſt neceſſaria, Qualis publica nõ eſt, De ea item, quę pudorem & uerecundiã comites, ut neceſſarios, ita homini graues habet, qualis illa generalis non eſt.

Teſtes quoq; Baſilius. Ambroſius. Hieronimus.

Eiuſdem doctrinæ catholicæ teſtes ſunt, ille Magnus Baſilius, lib. de inſtitutione monachorum. Et b. Ambro: lib ij. de pœnitentia.

Subſcribit eidem & ille (teſtis plane irrefragabilis) D. Hieronimus, Qui capite xviij in Eccleſiaſten, habet in hęc uerba, Si quem ſerpens diabolus occulte momorderit, & nullo conſcio, eum peccati ueneno infecerit, ſi tacuerit qui percuſſus eſt, & non egerit pœnitentiam, nec uulnus ſuũ fratri ſuo & magiſtro uoluerit cõfiteri, magiſter ei prodeſſe non poterit, Si enim erubeſcit ęgrotus uulnus medico cõfiteri, quod ignorat, medicina non curat. Hactenus ille. Vides autem qualem confeſſionem illi faciendam doceat, quem ſerpens momorderit in occulto, qui peccati ueneno infectus eſt, nullo conſcio: nempe, talem, per quam, hoc

ipſum

ipſum latens conſcientiæ ſuæ uulnus detegit: non deo, cui nihil occultum eſt: ſed fratri, & magiſtro: ſacerdoti uidelicet, quem nobis Chriſtus, animarum noſtrarum conſtituit medicum: denuntians, niſi illi confeſſus fuerit, curationem minime recepturũ. Vides illum clariſſime ſignificare, confeſſionem neceſſario requiri ad pœnitentiam peragendã, Nec ſemel hoc dixiſſe contentus, continuo ipſum repetit, & alijs uerbis iterum inculcat, Si uulnus, inquit, ſuũ, fratri & magiſtro ſuo noluerit confiteri, ille cui a Chriſto data eſt medicandi, hoc eſt, peccata remittendi poteſtas, prodeſſe ipſi non poterit, Si erubeſcit ægrotus uulnus medico cõfiteri, quod ignorat, medicina non curat, Vides ut hic doceat, non generalem illam, qua quis tantum ſe peccatorem profiteretur, ſed ſpecificam uulneris, conſcientiæ detectionem: alioqui ipſum curari non poſſe, pœnitentiæ medicamento, & remiſſionis curatione, quam impartit animarũ magiſter & medicus, Eam, nempe, per quã, cordis intima, & quæ quis in ſecreto cordis ſui, ſola cogitatione perpetrauit, aperit: non Deo, ſed fratri, mortali homini; non qualicumq; ſed magiſtro ſpirituali. Eiuſmodi confeſſionem ille docet, & exigit, ut quis digne pœniteat, & commiſſorum remiſſionem poſſit percipere.

Immo quod non ſolũ D. Hieronimi, ſed etiã Cypriani, ſed etiã Origenis, immo Dionyſij temporibus, hoc eſt, ab ipſis continuo Apoſtolis, uſitata in æccleſia fuerat, & exacta uelut neceſſaria, peccatorum, quãtumuis occultorũ, diſtincta, & non illa generalis confeſſio, ijdem ipſi luculentiſſimi teſtes ſunt.

Cyprianus ille ſanctiſs. martyr & Pontifex, ſerm: v. de lapſis, loquens de hijs, qui corde tantum lapſi ſunt, Hij, inquit, quãuis nullo ſacrificij aut libelli facinore conſtricti ſunt, quoniam tamen de hoc uel cogitauerunt, *Eiuſdem fidei, teſtis Cyprianus.*

Cc ij hoc

Hoc ipſum apud ſacerdotes Dei dolẽter & ſimpliciter cõfiteantur: exomologeſim cõſcientiæ ſuæ faciant: animi ſui pondus exponant: ſalutarem medelam paruis licet & modicis uulneribus exquirant, Et paulo poſt, Confiteantur ſinguli, quæſo uos fratres, delictum ſuum, dum adhuc qui delinquit, in ſæculo eſt, dum admitti eius confeſſio poteſt, dum ſatisfactio & remiſſio per ſacerdotem apud Deũ grata eſt. Hactenus ille, annis circiter centum quinquaginta, anteq̃ illa Hieronimus ſcriberet, Quem audis docentem, ſola cogitatiõe lapſos, hoc ipſum, apud ſacerdotes Dei dolenter & ſimpliciter confiteri debere: et obſecrando exhortantem omnes, delictum quemq; ſuum, dum tempus habet, dum remiſſio per ſacerdotem facta Deo grata eſt, confiteri. Nec puto te dicturum, hunc ſanctum & doctiſſ. Pontificem, ſua hic aut ſomnia, aut inuenta docuiſſe Chriſtifideles: ſua authoritate (quæ temeritas potius fuiſſet, & præſumptio) ijſdem impoſuiſſe hanc confeſſionis peccatorum occultorum ſarcinam: ſed hoc docuiſſe, quod habebat doctrina ſana, quam didicerat in catholica æccleſia, Nec poſſunt hæc detorqueri ad ritum pœnitentiæ publicæ: ad quam, neq; tũc, neq; nunc, obligatus eſt aut fuit quiſq;, ob ſolum cogitationis peccatum.

Eiuſdẽ quoq; teſtis origenes Ante hunc & Origenes ille, audi, quale, confeſſioni ęccleſiaſticæ, qualis uſq; ad nos perdurauit in ęccleſia, perhibeat teſtimonium.

In pſal. xxxvij. habet in hæc uerba, Vide, inquit, quid nos edocet ſcriptura diuina, Quia oportet peccatum non celare intrinſecꝰ: fortaſſis enĩ, ſicut ij qui habẽt intus incluſam eſcam indigeſtam, aut flegmatis humorem ſtomacho grauiter & moleſte innitentem, ſi uomuerint: reuelantur, ita etiam hij qui peccauerunt, ſi quidem & occultant, & retinẽt intra ſe peccatum, intrinſecus urgentur, & propemodum

modum ſuffocantur a flegmate,aut humore peccati. Si autem peccator ipſe ſui accuſator fiat, dum accuſat ſe ipſum, & ſuum peccatum confitetur, ſimul euomit delictum, & omnem morbi cauſam digerit. Tantummodo circumſpice diligentius,cui debeas confiteri peccatum tuum:proba prius medicum, cui debeas cauſam languoris exponere,qui ſciat infirmari cum infirmante,flere cum flente:qui condolendi,compatiendiq́ꝫ diſciplinam nouerit :ut ita demum, ſi quid ille dixerit,ſi quid cõſilij dederit,facias & ſequaris: Et ſi intellexerit & præuiderit talem eſſe languorem tuũ, qui in cõuentu totius æccleſiæ exponi & curari debeat,ex quo fortaſſis & cæteri ædificari poterunt, & tu ipſe facile ſanari,multa hoc deliberatione, & ſatis perito medici conſilio procurandum eſt. Hactenus Origenes ille. Quem docentem audis,quodcumq́ꝫ lethale delictum in animi penetralibus latens,euomendum per confeſſionem,ſi modo peccator ſanari uoluerit. Quod q́ꝫ diu factum non eſt,miſeram intus urgeri & ſuffocari conſcientiam. In cuius uerbis, etiã hoc diligenter obſerua,q́ꝫ clare diſtinguat confeſſionẽ publicam, & qualis in publica pœnitentia peragebatur, a priuata,quæ quotidie de omni lethali delicto facienda eſt. Nã de priuata, hoc nos admonet, ut circumſpiciamus caute, cui credamus ſecreta noſtra,ut ante probatus ſit nobis medicus,cui exponamus languorem noſtrum,qui ſciat cõdolere & compati infirmitati alienæ. De publica uero docet, non facile, nec temere ad ipſam ueniendum eſſe:nec, niſi præuia priuata confeſſione apud ſacerdotem peritum, & de eius matura deliberatione,et cõſilio:idq́ꝫ ob cauſas quas idem commemorat: uidelicet, ſi peccatum eiuſmodi ſit,ut & tua correctio & aliorum ædificatio,publicam tuam pœnitentiam requirere uideantur:ut uerbi gratia,publicę cõmiſſum homicidium: aut ſtupri,aut adulterij conſuetudo

Nota quã clare diſtinguat Origenes Confeſſionẽ et pœnitentiam publicã à priuata.

Ob quas cauſas ſubeũda ſit pœnitẽtia publica.

notoria: item ſi qui in perſequtione, ſuppliciorum aut mortis mœtu Chriſti nomen abnegarunt. Siq; ſeducti in ſchiſma aliquod, aut hæreſim, a catholica ſe diuiſerunt ęcclesiæ: In ijs, atq; eiuſmodi, tamę iuxta ſententiam prudentis medici ac ſacerdotis, cui ſecreta primum facta eſt peccatorum confeſſio, publica pęnitentia in conſpectu totius ęcclesiæ peragenda, imponēda eſt, ut qui ſcandalizati ſunt de notorio et enormi peccato, emēdētur de correctiōe et pęnitētia.

Eiuſdem fidei et doctrinæ teſtis Dionyſius.

Quin & ex b. Dionyſij epiſtola ad Demophilum monachum, clariſſime eſt uidere, eundem ritum, confeſſionis ſecretæ qui adhuc obſeruatur, uſitatum fuiſſe etiam tunc in æccleſia. Ita enim ſcribit inter cætera. Tu uero, ut tuæ literæ indicant, procidentem ſacerdoti impium (ut ais) atq; peccatorem, neſcio quo pacto cōtra ordinem diſciplinæ aſtans, calce abieciſti: cū ille quidē uerecūde, quod oportuit, fateretur ſe ad peccatorum remedia quęrenda ueniſſe. Neq; exhorruiſti inſuper ſacerdotem optimum lacerare conuitijs: miſerabilē eum dicens, qui pœnitentē atq; impiū iuſtificaſſet. Hactenus ille. In quibus uerbis, hoc in primis notandum eſt, quod Demophilū grauiter arguat, quod cum in ordine ſacerdotali non eſſet, contra æccleſiaſticæ diſciplinæ ordinem aſtitiſſet ſacerdoti cum ante eum, pœnitentiæ cauſa, peccator procideret, peccatorum ſuorū quęrens remedia. Clare indicans, æccleſiaſticæ diſciplinæ ordinem, etiam tunc, in pœnitentia & confeſſione requiſiſſe ſecretum. Deinde, et illud diligenter obſeruandum eſt, quod ſcribit peccatorem ante ſacerdotem procidiſſe, peccata detexiſſe, ueniam eorundem poſtulaſſe, eademq; deinde fuiſſe remiſſa a ſacerdote: cui Demophilus ille eam ob cauſam conuitium fecit, quod iuſtificaſſet impium: ſed pœnitentem, & peccatorum ſuorum remedium, remiſſionemq; humiliter expetentem. Qui uniuerſus, etiam noſtratis cōfeſſionis

Eundem tunc ritum Confeſſionis fuiſſe, qui adhuc hodie obſeruatur

feſſionis,ut hactenus in æcclesia celebratur, ritus eſt.

Itaq; ſi hactenus dicta uniuerſa in unum conferas, non dubitabis eundem qui nunc eſt, ritum confeſſionis peccatorum clanculariæ, ab ipſis ad nos uſq; apoſtolorum temporibus,uſitatum fuiſſe in æcclesia , & ex Chriſti conſtitutione traxiſſe originem : qua,in obtinenda peccatorum noſtrorum remiſſione,ſacerdotum ſuorum nos ſubiecit iudicio & miniſterio:quo illi erga nos fungi non poſſent,niſi confeſſione præuia. Cuius ſententiæ, uelut catholicæ doctrinæ,ex omnibus ab initio ſæculis,ex omnibus orbis terræ cardinibus,irrefragabilia teſtimonia protulimus,eorũ, quorum conſenſus,communem catholicæ æcclesiæ (cuius fuere uelut columnæ quædam & membra præcipua) nobis ſententiam certo indicat.

Concluditur, ex præmiſſis conſtare, eundem qui nunc eſt ritum Confeſſionis clãcu lariæ ex Chriſti conſtitutione, ab initio fuiſſe in æcclesia.

Cui non refragantur,immo,apertiſſime ſubſcribũt Zozomeni uerba,quæ recitantur in tripartita hyſtoria, ubi explicatur,quid ſub Nectario (quod mox audies) Conſtantinopoli actum fuerat:unde diuerſæ ſententiæ antiſtites,irrefragabile argumentum aduerſum nos ſe inueniſſe exiſtimant.

Quæ obijciuntur ex Zozomeno,cõfirmare,nõ infirmare dictam ſententiam.

Quoniam,inquit,omnino non peccare,diuinum & ultra humanam naturam eſſe cognoſcitur:peccantibus autẽ, & pœnitentiam agentibus,ueniam dari Deus præcepit: qui uero confiteri refugiunt,maius peccatorũ onus acquirunt:propterea uiſum eſt antiquis Pontificibus,ut uelut in theatro,ſub teſtimonio eccleſiaſtici populi,delicta pandantur:& ad hanc rem,presbyterum conuerſationis bonæ,ſeruantemq; ſecretum,ac ſapientem uirum ſtatuerunt:ad quẽ accedentes hij,qui deliquerunt,delicta propria fatebantur Et ille ſecundum uniuſcuiuſq; culpã indicebat & mulctã. Quod etiam hactenus diligenter in Occidentalibus ſeruatur Eccleſijs. Hactenus ille.

In qui-

Nota, ut Zozomenus clare diſtinguat ordinationem diuinam ab æccleſiaſtica, circa Confeßionẽ peccatorum.

In quibus equidem uerbis, clariſſime diſtinctam uides, ordinationem diuinam ab æccleſiaſtica. Diuinam ordinationem requirere ſignificat, ut peccantes per humilem cõfeſſionem peccatorum ſuorum recurrant ad pœnitentiam, aperte affirmans, eos qui refugerent peccata ſua confiteri, grauius onus peccatorum incurrere. Quod minime eſſet, niſi ad confeſſionem peccatorum obligaremur. Et eam ob cauſam uiſum fuiſſe antiquis pontificibus, ſuper hoc ædere ordinationem æccleſiaſticam, per quam, Dei ordinatio impleret decẽtius, & minori cũ periculo cõfitẽtiũ: electis ad id muneris, presbyteris bonę cõuerſationis, ſapientibus & prudentibus, & continentibus ſecretum. Qui non in ſuis ædibus priuatis, (ne hoc prætextu matronis & uirginibus machinari aliquid poſſet periculi) ſed uelut in theatro, & ſub teſtimõio æccleſiaſtici populi, (quo abeſſet omnis mali, aut ſpecies, aut ſuſpicio) confitentium peccata audirent, & ſalutarem eis pœnitentiam iniungerent. Vides ꝙ clare hijs explicet, eundem confeſſionis ritum, qui uſqꝫ nunc obſeruatus cernitur per catholicam æccleſiam, dudum ab antiquis pontificibus ordinatũ fuiſſe, obſeruatumqꝫ per uniuerſam æccleſiam. Ab antiquis, inquit, pontificibus, uelut in extremam antiquitatem, hoc reijciens, cuius certum nõ inueniretur initium: ut dubitari non poſſit, ab ipſis uſqꝫ Apoſtolorum temporibus deſcendiſſe. Quãꝙ Socrati, qui eodem loco citatur, uiſum ſit, ab eo tempore hoc retuliſſe initium, quo Nouatianorum hæreſis ab æccleſia damnata eſt: quod tamen apud nullum alium inuenitur ſcriptorem æccleſiaſticum.

Vt diſerte loquatur de Cõfeßione clancularia.

Vides inſuper, ut apertiſſime loquatur de cõfeſſione, nõ publica, ſed priuata: & eiuſmodi, per quam ſecreta peccata noſtra panduntur ſacerdoti. Quando illi ſtudioſe præſicie-

batur

batur ſacerdos ſciens ſeruare ſecretũ. Cui, in eo quod publica confeſſione detectum eſt, nullus locus eſt. Fuiſſe tamẽ præter quotidianam illã priuatamq́ꝫ, etiam aliam in uſu, ſolennem quandam ac publicam confeſſionem & pœnitentiam, ſupra ex Origene annotauimus, Ad quam pertinent, quæ idem ſubijcit Zozomenus, de eo modo pœnitẽdi quem ſcribit etiam tum obſeruari in Romana æccleſia, innuens tamen Conſtantinopoli, aut Orientalibus æccleſijs, non ita uſitatum fuiſſe, ſed tantum illam ſecretam, tamen publice ſuſceptam à presbytero, ſub teſtimonio æccleſiæ.

Vt ab ea diſtinguat etiã publicam.

Nihil uerò aduerſus noſtram hanc ſententiam facit, quod eodem loco, ex eiuſdem Zozomeni uerbis ſubiectũ, diligenter notant aduerſarij. Morem illũ publicũ ſeruatũ fuiſſe etiã Conſtantinopoli, uſq́ꝫ ad Nectarij tẽpora, a quo antiquitatis ea conſuetudo illic antiquata ſit, eo quod nobiliſſima quædam mulier confeſſa presbytero, & accepta ab eo pœnitẽtia, ut ieiunaret, Deoq́ꝫ ſanctis operibus ſupplicaret, dũ ea occaſione aut prætextu, præter morem ſæpe diuq́ꝫ moraretur in æccleſia, a Diacono ſollicitata, cũ eodẽ concubuiſſe ueniſſet in publicũ. Qua cauſa, tumultuante, & in ſacerdotes ſæuiente populo, Nectarius amoto ſcelerato diacono, ex quorundam conſilio, etiam populum, quod ad confeſſionem attinet, ſuæ libertati & conſcientiæ dimiſit, Hęc inquam nihil aduerſus nos faciunt: quoniam non, quid per catholicam æccleſiam, ſed quid in una Conſtantinopolitana æccleſia, quorundam conſilio, an ſatis ſano, ipſi uiderint, ab uno Nectario, ut occurreret furori tumultuantis populi, factum fuerit, illic explicatur. Quod tamẽ nec ipſi Zozomeno uiſum eſt ſanum fuiſſe conſilium.

Qua cauſa Nectarius Cõſtãtinopoli antiquum illũ Cõfeßiõis ritũ ſuſtulerit, atq; eũdem reliquerit in populi arbitrio.

Cum, inquit, ut arbitror, minora peccata pro pudore confeſſionis, & ſubtilitate examinantium perpetrarentur,

Zozomeni iudiciũ, de facto Nectarij.

A ſucceſſoribus Nectarij, mox reuocatũ morẽ Confeſſionis antiquũ & publicum.

Sed nec durauit diu ea libertas aut licentia ſubſequẽtibus Nectariũ Epiſcopis: a quibus antiqua catholicæ æccleſiæ cõſuetudo & obſeruatio, etiã illic cõtinuo reuocata & exacta eſt, Quod ex b. Ioannis Chryſoſtomi (qui Nectarium continuo ſubſequutus eſt) uerbis quę ſupra citauimus, luce clarius eſt cernere.

Ex præmiſſis cõſtare, q̃ti facienda ſit aduerſariorũ, de confeſſiõe, nuda aſſertio dãnata orthodoxorum omniũ et totius ab initio æccleſiæ ſententia.

Proinde quanti facienda ſit ijs quibus ſua ſalus cordi eſt, aduerſariorũ de confeſſione nuda aſſertio, aduerſus Chriſti uerba, & tot ſanctorum orthodoxorumq; patrum, immo catholicæ ab initio per orbem æccleſiæ conſonantẽ ſentẽtiam, bonis omnibus, & qui a ueritate prorſus auerſi non ſunt, confidimus ex hijs ſatis fore perſpicuum.

Itaq; quod dicunt aduerſarij, Confeſſionem, q̃uis minime neceſſariam, retineri tamen a ſe propter abſolutionẽ, quam nobiſcum uidentur admittere, ut diuino iure neceſſariam, ubi eam non excludit neceſſitatis articulus: ſi ita retinerent illã propter abſolutiõem, quod hæc, ſine illa, non poſſit fieri, iam hac de re inter nos conueniret, Sed ipſi, hoc admittentes, etiam neceſſitatem confeſſionis cogerentur admittere: ut ſine qua, rem neceſſariam, nempe abſolutionem, aſſequi non poſſemus, Quomodo etiam nos, eius neceſſitatem tantum confitemur: hoc eſt, ex conſequenti, & quia ſine ea neceſſariam remiſſionem peccatorum ſacerdotali miniſterio aſſequi non poſſumus: non uero, quod immediate & directe a Chriſto præcepta ſit.

Sed quoniam non ita, nec eam ob rem, confeſſionem retinent, uelut ad abſolutionem neceſſariam: ſed ſolũ tanq̃ utilem, & ab hoc tantum utilem, ut inſtitui hoĩes melius ualeant, diſſentimus e diametro, Ita enim homini docto, qui ſcit quidem uolũtatem domini ſui, ſed non facit, nullla erit confeſſiõis utilitas, Ita Chriſtus, noſtro ipſorum, non ſacerdotũ ſuorũ, in remittẽdis retinendiſq; peccatis noſtris,

nos

nos ſubiecíſſet iudicio: et pars altera illa ſacerdotalis autho-ritatis, ſup retinẽdis quoq; peccatis noſtris, ab ipſo fruſtra eſſet addita, Sed, ut iam demonſtrauimus, orthodoxorum ab initio patrũ & totius per orbem æccleſiæ ſententia, hãc aduerſariorum damnat ſententiam, cui eo minus probabilitatis eſt, quominus ullo ſolido argumento ſubnititur.

Nec eſt uerum, quod calumniantur, noſtra doctrina iniji conſcientijs laqueos, qua integram peccatorum confeſſionem exigimus, Nam integritatem illam, non intelligimus abſolute & ſimpliciter, ſed pro noſtræ poſſibilitatis modulo, Nec grauem hanc ſentit confeſſionis ſarcinam, quiſquis peccatorum ſuorum uere pœnitet. *Calumniæ depulſio.*

DE SATISFACTIONIBVS.

Reſtat nunc de ſatisfactionibus pertractare, Quæ non ſunt pars, ſed ſequele quædam ſalutaris pœnitentiæ.

De quibus, proponenda prius eſt aduerſariorum ſententia, Deinde explicanda doctrina quam de eiſdem didicimus in catholica æccleſia: atq; ita utrinq; conſtituenda ob oculos, ut quiuis ille inter nos facile poſſit certum proferre iudicium. *Propoſitio.*

In primis, Satisfactionis nomen, ex antiquato iamdudum, illo publicæ pœnitentiæ ritu nobis reliquum affirmant, cum nonnullo ueſtigio remanentis moris ueteris, quo, confitentibus certa quædam facienda præſcribebantur, quas ſatisfactiones appellant, De hijs ſe ſentire, quod diuino iure, ad remiſſionem peccatorum neceſſarie non ſunt. Retinendam quippe ſuam illam de fide ſententiam, quod ea conſequamur remiſſionem peccatorum *Aduerſariorũ de ſatisfactionibus ſentẽtia.*

propter Chriſtum, non propter noſtra opera pręcedentia, aut ſequentia, Quorum nulla uolunt ad placandum Deũ ualere, De ſatisfactionibus, quas iiſdem ſcripturas accommodamus nos, minime loqui, ut, non ita nuper natis, Imo, meram calumniam eſſe, quod detorqueamus ſcripturas, quo non pertinent, Chriſtum morte ſua, plene ſatisfeciſſe pro peccatis noſtris, non ſolum pro culpa, ſed etiam pro pœna, quã illis ſumus meriti: hoc eſt, morte æterna, Iuxta illud, Ero mors tua o mors. A Deo uero, nullam a nobis pœnam, aut punitionem peccatorum exigi aliam, quàm contritionem, per quam diuinæ iuſtitiæ ſatis, puniri in nobis uolunt peccata, Vniuerſos ſcripturæ locos, qui a noſtris adducuntur, loqui de dignis fructibus pœnitentiæ: hoc eſt, mortificatione corporis peccati, & piis operibus, quæ nobis a Deo præcepta ſunt, quæ & ipſi confitentur uerã pœnitentiam neceſſario conſequi: non uero de aliquibus operibus indebitis, aut ultro aſſumptis, aut nobis confitentibus a ſacerdote impoſitis, Hæc ſumma eſt aduerſariorum hac de re ſententiæ. De nobis ſibi ſuiſque perſuadent, quod doceamus opera illa pœnalia, quæ pœnitentibus ſub ſatisfactionis titulo imponuntur, eſſe precium, propter quod debeatur peccatorum remiſſio; proinde, doctrinam noſtram, doctrinam dæmoniorum appellant, Multa licenter, ne dicam impudenter affingunt nobis alia, a nobis alieniſſima: multis conuitiis, parum memores Chriſtianæ modeſtiæ, nos lacerant. Ad quæ conniuentes uniuerſa, noſtram nunc explicabimus atque aſtruemus doctrinam & ſententiam, Cuius ubi ueritas conſtat, aduerſariæ quoque, eadem euidentia conſtabit falſitas. Age igitur.

Vt præter illam Cõtritionem ſuã, nullam a pœnitẽtibus punitionem pro peccatis exigant.

Qualia affingãt catholicis.

Explicatio doctrinæ catholicæ de ſatisfactionibus.

Duo nos habere certa principia, ex quibus, tanquam a Chriſto traditum neceſſario tenendum & credendum aliquid

certo

certo demonſtrari poſſit, nempe, ſcripturam canonicam, & ecclesiaſticæ traditionis regulam, & ſupra, & alibi, copioſius demonſtrauimus. Ex utroq; in pœnitentiæ doctrina, de peccatorū ſatisfactione, quid tenere & ſequi debeamus, nunc inquirendum eſt.

Aduerſariorū illam Cōtritionem, impetrādæ remiſsioni peccatorū plane inutilem.

Inprimis non eſſe rem tam facilem, tam perfunctoriā, quæ ab eo qui ſe multis grauiſſimisq; ſceleribus commaculauit, a Deo exigitur, quo eidem remittat, non ſolum offenſam, ſed etiam omnem pœnam commeritam, q̃ eſt aduerſariorum illa contritio, hoc eſt, terrores, mœtus, timoresq; conſcientiæ, diuinum iudicium & gehennam mœtuentis agnito peccato, euidens mihi uidetur, ex hijs quæ de ſalutari pœnitentia & cordis contritione, ſupra a nobis demonſtrata ſunt.

Intellexiſſe ab initio fideles omnes, etiā remiſſum à Deo peccatum, non dimitti impunitum.

Deinde & hoc intellexiſſe ſanctos, immo fideles ab initio omnes, peccatorum ſuorum ſyncere pænitentibus, & ad Deum toto corde ſe conuertentibus, remitti quidem eadem a miſericordiſſimo domino, & a reatu quo conſtringebantur. æternæ damnationis, eoſdem abſolutos fieri: non tamen impunitum, etiam poſt remiſſionem, peccatum dimitti: ſed ſecundum rationem eius, etiam punitionē illi deputari, uniuerſa ueteris ſcripturæ teſtatur authoritas. Teſtatur inprimis humani generi miſeria, in quam parentes illi noſtri per peccatum ſuum inciderunt, quam æque, remiſſo peccato, tot annis perferre debuerunt. Teſtantur Moyſes & Aaron, qui ad aquas contradictionis offendentes dominum, quod eidem, non tam fidenter q̃ debebāt, dederunt gloriam, tametſi eius offenſæ mox remiſſionem obtinuerint, pœnam tamen offenſę etiam poſt ueniam perferre debebant. Teſtatur, horum ſoror Maria, quæ detractionis in Moyſen, etiam poſt remiſſum peccatum, lepram dierum ſeptem, pœnam perferre debuit. Pro qua Moyſi

deprecanti reſpondit dominus. Si pater eius ſpuiſſet in faciem illius, nonne debuerat ſaltē ſeptem diebus rubore ſuffundi? Separetur ſeptē diebus extra caſtra, & poſtea reuocabitur. Teſtatur Deus in uniuerſo illo ueteri populo: primum, poſt peccatum conflati adoratiq; uituli. Cui & ſi poenitenti, & fletu luctuq; poenitentiam demonſtranti, Moyſes ſua oratione impetraſſet commiſſi remiſſionem & ueniam, attamen ſubiunxit dominus, Ego autem in die ultionis uiſitabo & hoc peccatum eorum. Deinde & in ea eiuſdem populi incredulitate & rebellione, qua detractabāt poſt reuerſos exploratores terræ promiſſionis, eandem ingredi. Qua cum grauiſſime offenſus deus eidē minitaretur exterminium, ad eiuſdem poenitentiā & Moyſis inſtantiſſimam orationem, remiſit quidem illi peccatum, non tamen etiam poſt remiſſionem impunitū. Dimiſi, inquit Moyſi, iuxta uerbum tuum, uiuo ego, & implebitur gloria mea uniuerſa terra: attamen omnes homines, qui uiderunt faciē meam, et ſigna quæ feci &c. non uidebunt terram, pro qua iuraui patribus eorum.

Deniq; teſtatur & ille Dauid, miſericordē equidem eſſe dominum, & quacumq; hora agnoſcenti confitentiq; peccatum ſuum & confugientiq; ad eius miſericordiam, eam ipſam paratam offerre: non tamen, q̄uis poſt ueniā, impunitū peccatum dimittere. Itaq;. Dixi, inquit, confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam domino, & tu remiſiſti impietatē peccati mei. Nihilominus, gemitibus ac lachrymis & uigilijs etiam poſt ueniam, carnem ſuam macerauit, & afflixit. Proinde, poſtq̄ corde contrito ac humili confiteretur peccatum ſuum domino, ac ſupplex ueniam poſceret, audiuit per Nathan Prophetam. Dominus quidē tranſtulit peccatum tuum, non morieris, ueruntamen, quia blaſphemare feciſti inimicos nomen domini, propter uerbum hoc,

filius

ſilius qui natus eſt tibi, morietur. Ad hæc. Non recedet, inquit, gladius de domo tua, in ſempiternum. Inſuper, & hæc dicit dominus. Ecce ego ſuſcitabo ſuper te malum de domo tua, & tollam uxores tuas in oculis tuis, & dabo eas proximo tuo &c.

Rurſus idem. Cum animaduerteret ſe offendiſſe Deum in numerando populo, dixit ad dominũ. Peccaui ualde in hoc facto: ſed precor domine ut transferas iniquitatem ſerui tui, quia ſtulte egi nimis. Quid igitur exiſtimas? An hic miſericordiæ ſuæ oblitum dominum, ut agnoſcenti conſitentiq; peccatum ſuum, & de eo pœnitenti ex animo, & corde humili contritoq; ueniam poſcenti, non ignouerit? Audi tamen quid ſubiungat ſcriptura. Venit Gad Propheta ad ipſum dicens. Hæc dicit dominus. Trium tibi datur optio: elige unum quod malueris ex hijs. Aut ſeptẽ annis ueniet tibi fames in terra tua: aut tribus menſibus fugies aduerſarios tuos, & illi te perſequentur: aut certe tribus diebus erit peſtilentia in terra tua. Cui Dauid. Coartor nimis: ſed melius eſt ut incidã in manus domini (multæ enim miſericordiæ eius ſunt) q̃ in manus hominum. Immiſit itaq; dominus peſtilentiam in Iſraël.

Vides, ut etiam pro dimiſſo peccato nihilominus pœnã temporalẽ ſumat deus, & uindictã exigat: de quo recte nos admonet ſapiẽs, ne etiã de ꝓpiciato pctõ ſim⁹ abſq; mœtu.

Punitionem illam, quam pro remißis peccatis Deus à nobis exigit, deprecari nos poſſe, et in nos ipſos ultronea animaduerſione auertere.

Poſtremo. Et hoc quoq; ex diuinis ſcripturis eſt euidẽs. Quod punitionem illam temporariã, quam a nobis etiã pro remiſſis peccatis deus exigit, poſſimus deprecari: poſſimus & noſtra ipſorũ in nos ipſos animaduerſione anteuertere, & flagella dei a nobis auertere. Quod & Paulus nos docuit dicens. Si noſmetipſos dijudicaremus, non utiq; dijudicaremur. Semetipſos dijudicant, qui de perpetrato malo, de ſemetipſis ſumũt ſupplicium. Et hij a domino nõ dijudicãtur

diiudicantur, puniuntur, & flagellantur. Proinde ſubiungit Apoſtolus. Cum autem iudicamur a domino, corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur. Itaq; D. Auguſtinus ſermone quodam, triplicem pœnitentiã diſtinguẽs, unam quæ baptiſmo præexigitur, alteram, quæ pro quotidianis & minutis peccatis eſt neceſſaria. Tertia, inquit, actio pœnitentiæ eſt, quę pro illis peccatis ſubeũda eſt, &c. de quibus Apoſtolus ait. Quoniam qui talia agunt, regnũ dei non poſſidebũt. In hac ergo pœnitentia, maiorẽ quiſq; in ſe ſæueritatem debet exercere, ut a ſeipſo iudicatus non iudicetur a Deo. Sicut idem apoſtolus ait, Si enim nos iudicaremus, a domino non iudicaremur.

Irrefragabilis teſtis David. Certe fidelis ille David nobis fideliſſimus teſtis eſt, & quod eam ipſe fidem habuerit, & quod res ita habeat. Siquidem poſt impetratam a Deo ueniam adulterij, & commiſſi in Vriam Etheum homicidij, cum tamen denunciaretur ei per Nathan Prophetam pœna peccato conſtituta a domino, in qua & hoc erat, quod moriturus eſſet natus illi filius, deprecatus nihilominus eſt dominum pro paruulo, & proſtratus in terram ſe afflixit ieiunio & cilicio. Quem cum poſt diem ſeptimum ſuæ illius afflictionis intellexiſſet mortuum, ſurgens, lotus unctuſq; ceſſauit ieiunare, & ad uictum conſuetum reuerſus eſt, Cuius rationem, ſui, cum admirabundi quærerent, (exiſtimabant enim grauius ſe adflicturum infante mortuo) Propter infantem, inquit, dum adhuc uiueret, ieiunaui & fleui. Dicebam enim. Quis ſcit, ſi forte donet eum mihi dominus, & uiuat infans? In pœnã peccati ſui, prædicta erat illi mors filij. Sperabat nihilominus eam ipſam pœnam, per inflictam ſibi illam pœnã poſſe auertere. Quod tametſi ibi non obtinuerit, quod immutabili decreto hoc ipſum a Deo conſtitutum fuerat, obtinuit nihilominus in alio. Siquidem, cum ob peccatum numerati

merati populi, etiam poſtq; eius pœnituiſſet ex animo, & contrito, humiliq; corde pro eius uenia impetranda ſe conuertiſſet ad dominum, in eiuſdem punitionem daretur illi ex tribus optio, fames ſeptennij, bellum trimeſtre ſuperantibus hoſtibus, aut peſtis tridui, & hanc potius elegiſſet quæ inter Regem & plebeum ignorat differentiam, tantũ afflixit ſeipſum, ut eius reſpectu, Deus, cũ unius diei uindicta contentus fuerit. Proinde, cum angelum uideret cædentem populum, ita dixit ad dominum, Ego ſum qui peccaui, & ego inique egi, iſti, qui oues ſunt, quid fecerũt? Vertatur obſecro manus tua contra me, & contra domum patris mei, Qua Dauidis pœnitentia, mox ceſſauit plaga, quæ alioqui triduana conſtituta fuerat.

Vt clare intelligas, pœnam, aut temporariam illã punitionem, quam pro dimiſſis nobis peccatis Deus conſtituit, non eſſe irremiſſibilem, ſed auerti poſſe: ſi nos ipſos, ieiunio, fletu, & aſperitatibus alijs afflixerimus, & iuſti, ſeuericq; iudices in nos ipſos extiterimus: ſi inſuper miſericordiæ in proximos operibus, magis ſædulo, diligentius, & præter debitum inſtiterimus.

Conſona orthodoxorum ſententia. Alios eſſe fructus dignos pœnitentiæ, alios fructus nouæ uitæ.

Habuit proinde ſanctorum, orthodoxorumq; omniũ, & catholicæ æccleſiæ doctrina ab initio, alios eſſe fructus dignos pœnitentiæ, qui exiguntur & requiruntur a peccatoribus, ſuorum peccatorũ uere pœnitẽtibus: alios uero fructus bonorum operum, ſecundum Dei mandata: qui exiguntur a quibuslibet, & perpetuo. Vtq; uere & digne pœnitens, etiam licita alioqui plæraq; ſibi interdicendo, & indebita, hoc eſt, ad quæ alias non obligaretur, ſibi imperando, aſperitatibus ac operibus laborioſis, & pœnalibus ſe affligendo, ſuo conditori ſatisfacere debeat. Quod ut uериſſimum intelligas.

Et q̃ diuerſam omnes pœnitẽtiam, ab illa aduerſariorũ, doceant.

Beatus ille Gregorius catholicæ æccleſiæ Epiſcopus,

Gregorius.

(ut ab hoc incipiamus, & inde per omnes orbis cardines, omnia ante ipſum ſęcula percurramus ad initiū) explicans illud Baptiſtæ, facite ergo fructus dignos pœnitētiæ, Notandum eſt, inquit, quod amicus ſponſi non ſolum fructus pœnitentiæ, ſed dignos fructus pœnitentiæ faciendos admonet, Aliud namq; eſt, dignum fructū facere, aliud dignum pœnitentiæ fructum facere, Vt enim de pœnitentiæ dignis fructibus loquamur, ſciendum eſt, quod quiſquis illicita non commiſit, huic iure conceditur, ut licitis utatur: ſicq; pietatis opera faciat, ut tamen, ſi noluerit, ea quæ mundi ſunt, non relinquat. At ſi quis in fornicationis culpam, uel fortaſſis quod grauius eſt, in adulterium lapſus eſt, tanto a ſe licita debet abſcindere, quanto ſe meminit, & illicita perpetraſſe. Neq; enim par fructus boni operis eſſe debet, eius qui minus, et eius qui amplius deliquit, &c. Et rurſus. Cogitandum ſummopere, ut qui ſe illicita meminit commiſiſſe, a quibuſdam etiam licitis ſtudeat abſtinere, quatenus per hoc conditori ſuo ſatisfaciat: ut qui admiſit prohibita, ſibimet abſcindere debet & conceſſa. Hęc ille Gregorius.

Auguſtinus. In eandem ſententiam D. Auguſtinus eadem Baptiſtæ uerba tractans. Sunt, inquit, digni fructus uirtutum, qui non ſufficiūt pœnitentibus, Pœnitentia enim grauiores expoſtulat, Et libro de uera & falſa pœnitentia, prolixe exequitur, qui ſunt illi fructus digni pœnitentiæ: affirmās pœnitentem a multis licitis abſtinere oportere, qui per arbitrij libertatem plæraq; commiſit illicita.

Chryſoſtomus Chryſoſtomus eadem illa uerba præcurſoris explicās, facite, inquit, fructus dignos pœnitentiæ, Quo autem modo digne fructificare poterimus? Si utiq; peccatis aduerſa faciamus, Aliena rapuiſti? incipe donare iam propria. Lōgo tempore es fornicatus? a legittimo quoq; uſu ſuſpendere

dere coniugij, ac perpetuam continentiam ſæpius paucorum caſtitate dierum meditare. Iniuria quenq; uel opere uel uerbo affeciſti? refer benedictionis uerba: conuitijs te percutientes, nunc officijs, nunc beneficijs placare contende, &c. Delitijs ante ac temulentia diffluebas? ieiunio, & aquæ potu utrumq; compenſa. Vidiſti impudicis alienum decorem oculis? fœminam iam omnino non uideas. Et hom: iiij. de pœnitentia. Pœnitentiam, inquit, exhibuit Dauid, ita dicens. Lauabo per ſingulas noctes lectũ meũ, lachrymis ſtratum meum rigabo, Et olim patratum peccatum, poſt tot tempora, quaſi nuper accidiſſet, lugebat, &c. Pœnitentem nunquã oportet peccatũ obliuioni tradere: ſed Deum quidem rogare, ne eius meminerit. Si nos eius meminerimus, Deus eius obliuiſcetur, A nobis ultionẽ ſumamus, nos ipſos accuſemus, ita placabimus iudicẽ.

Vides quid, quantumue nobis reſtet expiandum, etiã poſt remiſſiõem peccatorum: ex ipſius Dauidis exemplo, qui iam olim dimiſſum peccatũ, tam longo poſt tempore, tãm longo & aſſiduo fidelium lachrymarum imbre abluebat. Vides alios eſſe fructus dignos nouę uitę, alios fructus dignos pœnitentiæ. Vides pœnitentem a multis abſtinere oportere, quę ſunt alijs conceſſa & licita: & cõtra, multa ſibi imperare debere, ad quę non obligantur alij. Vides deniq;, ut de ſe ipſo uindictam ſumere debeat, ſi diuinam ultionem, aut in hac uita, aut poſt hanc uitam longe grauiorem uelit effugere.

Quã multũ nobis reſtet expiandũ etiã poſt remiſſionẽ obtentam peccatorum.

In hanc ſententiã eadem illa de dignis fructibus pœnitẽtiæ pręcurſoris uerba exponit B. Ambroſius, Proinde & in epiſtola ad corruptã quandam, qua eandem ad pœnitentiam excitat, & ueræ pœnitentię formam tenoremq; præſcribit, inter cætera, habet in hæc uerba. Tu, inquit, ipſa proprij facti iudex eſto crudelior. In primis, oĩs cura

Ambroſius.

uitę huius interimenda tibi eſt,&c. Deinde, lugubris tibi accipienda eſt ueſtis, & mens, & membra ſingula digna caſtigatione punienda, Amputentur crines, qui per uanā gloriam occaſionem luxuriæ præſtiterunt, Defluant oculi lachrymas, qui maſculum non ſimpliciter aſpexerunt, Palleſcat facies, quæ quondam uiruit impudice, Denicꝫ totū corpus incuria maceretur: cinere aſperſum, & opertum cilicio perhorreſcat: quia male ſibi de pulchritudine placuit, Cor uero ſit liqueſcēs ſicut cera, ieiunijs inquietās ſeipſum, & cogitationibus uentilans, quare ſit ab inimico ſubuerſum, Senſus etiam crucietur, quia in membra corporis cū dominationem haberet, malo ceſſit imperio, &c. Peccator ergo ſi ſibijpſi non pepercerit, a Deo illi parcitur. Et, ſi futuras pœnas gehennæ perpetuas, in hoc paruo uitę ſpatio compenſauerit, ſe ipſum ab æterno iuditio liberat. Grandi plaga, alta & prolixa medicina opus eſt. Grande ſcelus, grandem habet neceſſariam ſatisfactionem. Hactenus ille.

Intelligunt puto aduerſarij, q̄ꝫ ſit huius orthodoxi ſanctiſſimicꝫ Epiſcopi, quemadmodum & ſuperiorum omnium, de uera ſalutaricꝫ pœnitentia, atcꝫ eius dignis fructibus, diuerſa ab eorum ſententia, Quam tamen, ſuos, non ut ſuam, ſed ut catholicam ſententiam docuit, & interim Chriſtifideles omnes docere non ceſſat, Quam illi non ſufficiat, ipſorum illa contritio: hoc eſt, terrores conſcientiæ qualitercumcꝫ incuſſi, cum fide, qua reliquum uniuerſum Chriſto committamus: ut qui pro nobis abunde dependerit: ſed aliud a nobis requirat & exigat: utcꝫ & ipſe intellexerit, etiam poſt quamcumcꝫ contritionem dignam, uel ultronea in nos ſæueritate & caſtigatione pro peccati grauitate, aut certe, grauiori diuinā ultione illud ipſum expiandum fore: utcꝫ ſcelus grande, grandem ſatisfactionem neceſſariam habeat.

Eadem

Eadem orthodoxus ille Hieronimus, ut certam catholicæ ęcclesiæ ſententiam, ubiq; inculcat: & ut ex multis locis eius unum & alterum proferam, In Malachiā habet in hęc uerba. Qui peccator eſt, & quem propria conſcientia mordet, cilicio pœnitentiæ accingatur: & plangat tam ſua delicta, q̃ populi: atq; iterum ingrediatur æccleſiam. de qua egreſſus fuerat: & cubet in ſacco, ut præteritas delicias, per quas Deum offenderat, uitæ auſteritate compenſet. Non ſufficit huic (ut uides) illa aduerſariorum contritio, cum eorundem fide, qua cætera committunt Deo, & expectant a Chriſto: immo opera pœnalia, uitæ auſteritarem, & carnis adflictionem, uelut recompenſam quandam & ſatisfactionem etiam pro dimiſſo per ueram contritionem peccato, exigit. Effert proinde Paulam ſuam, ſanctā mulierem, quā uere Chriſtianeq; dixiſſe, ſenſiſſe, & feciſſe commemorat. Turpanda eſt facies, quam contra Dei præceptum purpuriſſa, ceruſa, & ſtibio ſæpe depinxi. Affligendum corpus, quod multis uacauit delitijs. Longus riſus, perpeti flœtu compenſandus eſt. Mollia lintheamina, & ſerica prætioſiſſima, aſperitate cilicij commutanda ſunt. *Hieronimus.* *Paulæ, uere Chriſtiana ſententia.*

Ego ſane cum iſtorum uere Chriſtianorum hominum uere Chriſtianum ſenſum mecum perpendo, non ſolum aduerſariorum, ſed etiam noſtrorum plærorumq; cogor damnare ſententiam. Qui docent quidem ſatisfactionem in pœnitentia, ſed frigide de ea loquuntur: exiguam, immo pene nullam exigunt: nec hominibus diſtrictionem, qualis re uera eſt, proponunt & aperiunt: olei tantum lenitatem, non uini acrimoniam infundentes ulceribus. Quæ, dum, ob hominum delicatam mollitiem attractare ad uiuum reformidant, (quemadmodum in ægrotorum perniciem nimis indulgentes, aut certe imperiti medici,) non curant, ſed periculoſe corrumpunt ulcera, Id quod ille Cyprianus etiam *Cyprianus.*

ſuo tempore a plæriſq; factum toties queritur. Qui ſi noſtros mores, noſtram frigiditatem, negligentiam, ſecuritatemq; cerneret, quid non diceret? Hic ſer. V. de lapſis, quoſdam arguens, falſo errore, & peſtifera quorundam doctrina perſuaſos, fidem redintegratam hijs qui lapſi, aut in fide, aut in confeſſione fuerant, cum cordis contritione, & reuerſione ad Deum, ſibi ſufficere. Agite, inquit, pœnitentiam plenam: dolentis & lamentantis animi probate mœſtitiam: nec uos commoueat, quorundam aut error improuidus, aut ſtupor uanus, qui cum teneantur in tam grandi crimine, percuſſi ſunt animi cœcitate, ut intelligant peccata nec plangant, & poſt pauca. Pacem ſibi ultro nemine dante præſumpſerunt: falſa pollicitatione ſeducti, & apoſtatis & perfidis iuncti, errorem pro ueritate ſumpſerunt: communionem non communicantium ratam ducunt. Hominibus contra Deum credunt, qui contra homines Deo non credunt. Eiuſmodi, inquit, homines quantum poteſtis, effugite: pernitioſis contactibus adhærentes, ſalubri cautione uitate, Nam ſermo eorum ſicut cancer ſerpit: colloquium, ſicut contagium, tranſilit: noxia & uenenata perſuaſio, contagione ipſa peius interficit. Illic enim, pœnitentia, quæ ſatis facit, ſuper eſt, Qui autem pœnitentiam criminis tollunt, ſatisfactionis uiam claudunt, Ita fit ut dum temeritate quorundam uel promittitur ſalus, uel creditur, ſpes ueræ ſalutis adimatur.

Nota lector ut Cyprianus aduerſariorũ doctrinam, graphice explicauerit, & quid de ea ſenſerit.

Quibus uerbis an aduerſarios noſtros graphice, ac pene ad uiuum exprimat, ipſi ſecum ſapiēter perpendant. Mihi ſane dubium nullum uidetur, nec fore puto ulli quiſquis ueritati non prorſus clauſit oculos. Ad hoc, uelut ad notoriũ inconueniens, eos qui a peccatoribus & lapſis præter ſanã rectãq; fidem in Deũ, & cordis cõtritionē reuerſionēq; ad eun-

ad eundem, haud aliam requiri aſſerebant pœnitentiæ actionem, deducit, quod ſatisfactionis uiam tollant. Hij, inquit, ſatisfactionis uiam tollunt, atq; ita fit, ut ſpem ueræ ſalutis adimant. Quod cum aduerſarij noſtri aperta fronte faciant, docentes Chriſtum ſatis dependiſſe pro noſtris omnium peccatis, a nobis uero nihil requiri, præter ſuam illam informiſſimam contritionem, hoc eſt, terrores undecumq;, aut qualitercumq; incuſſos conſcientiæ agnito peccato, & fidem qua credimus nos donari a Chriſto iuſtificationis gratia & ſalute, tantum, quia hoc credimus, nec aliam pro peccatis noſtris a nobis punitionem Deum exigere, quam eam quæ in eiuſmodi illa contritione eſt, ſatisfactionem uero non ſolum tollant, ſed rideant, explodant, exibilent, Ita ut eorum corypheus dicere non dubitet ſe uehementer odiſſe, & ſublatum cupere hoc uocabulum, ſatisfactio, quod affirmat periculoſum ſenſum habere, quaſi Deo quiſq; poſſit pro ullo peccato ſatisfacere. Hæc inquam cum aduerſarij aperta fronte doceant, nemo Chriſtianus cui mens excœcata non eſt, non clariſſime intelligit, quo loco glorioſus Chriſti martyr & doctiſſimus Epiſcopus, eoſdem habeat, & Chriſti fidelibus habendos doceat: nempe, eiuſmodi, quos debeamus uelut præſentem contagioſamq; peſtem fugere: ut, quorum etiam contactus pernitioſus ſit, & ſermo, cancri inſtar, depaſcentis membra uitalia: colloquium, contagiū: immo quorum uenenata perſuaſio ipſa contagione peius interficiat. Nunc audiant, qualem ille, & q̃ diuerſam Chriſtifideles pœnitentiam ab illa ipſorum doceat.

Quam diuerſam, ab illa aduerſariorum, pœnitentiam docent.

Vos uero, inquit, fratres, quorum timor in Deum pronus eſt, & in ruina licet animus conſtitutus, mali tamē ſui memor, pœnitētes ac dolētes peccata ueſtra perſpicite: grauiſſimum conſcientiæ crimen agnoſcite: ad intelligentiam

delicti

delicti ueſtri oculos cordis aperite: nec deſperantes, miſericordiã Dei, nec tamẽ iã ueniã uendicantes. Q̃ magna deliquimus, tam grauiter defleamus. Alto uulneri, diligens & longa medicina non deſit. Pœnitentia, crimine minor non ſit, &c. Orare oportet impenſius, & rogare: diẽ luctu trãſigere: uigilijs noctes & flœtibus ducere. Tempus omne lachrymoſis lamentationibus occupare: ſtratos ſolo, adhærere cineri: in cilicio uolutari & ſordibus: poſt indumentum Chriſti perditum, nullum iam uelle ueſtitum: poſt diaboli cibum, malle ieiunium. Iuſtis operibus incumbere, quibus peccata purgantur. Eleẽmoſinis frequenter inſiſtere, quibus a morte animæ liberantur. Tandem concludens ſermonẽ. Qui ſic, inquit, Deo ſatisfecerit, qui pœnitentia facti ſui, qui pudore delicti, plus uirtutis & fidei, de ipſo ſui lapſus dolore conceperit, exauditus & adiutus a domino, quam cõtriſtauerat nuper, letam faciet æccleſiam, Hæc ille non minus eruditione & doctrina uere Chriſtiana, q̃ ſanctimonia inſignis, glorioſus Chriſti martyr & pontifex. Quibus non abſimilia, libro de pœnitentia inuenies. Breuiter, omnium orthodoxorum ab initio inuenies hanc conſonam doctrinam & ſententiam.

Quo reſpexerint ſancti orthodoxiq; oẽs, docentes tã operoſã ac diuturnã pro peccatis pœnitentiam.

Quos tamen omnes, eiuſmodi tam operoſam, tam uiuã ardentemq́, & tam diuturnam pro grauioribus illis criminibus pœnitentiam docentes & exigentes, hoc agere & exegiſſe exiſtimamus, non quod miſericordiæ Dei, moras uoluerint præſcribere & tempora: quo minus, etiam quacunq́ hora peccator ex intimo cordis uere contriti humiliatiq́ pro peccatis ingemuerit, & ad ipſum ſupplex conuerſus fuerit, illi neget aut differat ſuam gratiam; ſed quod intellexerunt diuinam nihilominus iuſtitiam, etiam pro remiſſis peccatis, ſecundum eorundem magnitudinẽ (quemadmodum paulo ſuperius etiã ex diuinis ſcripturis clariſ-

ſime

ſime demonſtrauimus)punitionem exigere: quam ipſa ad nouiſſimum quadrantem exactura ſit, niſi ipſi nos, in nobiſmetipſis eandem exercuerimus: aut charitatis feruore, & operibus pietatis in proximos, eius remiſſionem obtinuerimus.

Qua in re, ne ſi noſtro uniuerſum hoc committeretur arbitrio, torperemus deſidia, & noſtræ ſalutis negligentiores incideremus in horrendas manus diuinæ iuſtitiæ, hoc ab initio toto orbe recipit doctrina catholicæ æccleſiæ, ut æccleſiarum præpoſiti aut paſtores, peccatoribus ſua ipſis peccata confitentibus, & eorundem remiſſionem quærentibus, actionem pœnitentiæ darent, & ad grauitatem peccati ſatisfactionis modum præſcriberent. Cui humiliter ac fideliter ſe tenebantur ſubmittere, Et ſe ponere prorſus, (ut Auguſtini uerbis hoc dicam) in ſacerdotis iudicio: nihil ſibi reſeruantes ſui, ſed parati eo iubente etiam cum deſyderio & gaudio, omnia facere, quæ pro ſaluanda uita corporali non grauarentur facere, Simul nos admonẽs, & ante oculos ponens, q̄ ſit plenũ damni & periculi, eiuſmodi ſatisfactionem procraſtinare, & differre dũ nos mors præoccupet: humilem illam ſubiectionem ſacerdotis iudicio, & libentem, uoluntariamq́ impletionem ſatisfactiõis, ſibi tempus in finem uitæ ſuæ conſtituat: quem periculoſe ignorantia humana concludit: ut ad paucarum horarum ſe reſeruet incertum, Et cum poſſit pleniori ſatisfactione indulgentiam promereri, illius temporis anguſtias eligat, quo uix inueniat ſpatium, uel confeſſio pœnitentis, uel reconciliatio ſacerdotis.

Ab initio hoc habuiſſe doctrinam æccleſiæ, ut ſacerdotes confitentibus, ad grauitatem peccatorũ, ſatisfactiõis modũ præſcriberent.

Deinde, quo & illam ipſam procraſtinandi licentiam abſcinderet, & noſtram negligentiam, tarditatemq́ illam periculoſam, uelut calcaribus quibuſdam excitaret, nec prorſus relinqueret in noſtro arbitrio, quando liberet, per

Salutaris æccleſiæ conſtitutio, qua quilibet arctatur,

ſaltem ſemel quotannis ſe ſubdere ſalutari pœnitentiæ.

ſacerdotale miniſterium, peccatorum noſtrorum ſalutifera remedia quærere, ſalubriter ordinauit, ſancta mater æccleſia, ut ſaltem ſemel quotannis, quilibet Chriſtifidelis, iam ratiõis compos, ſe ſubdat ſalutari pœnitentiæ, peccata ſua confiteatur ſuo parrocho, & ſacerdoti: & impoſitã ſibi pœnitentiæ ſatisfactioniſq; actionem, pro uiribus adimplere ſtudeat: abſolutionemq; ſacerdotalem obtinere mereatur.

Peroratio, de peccatorũ pœnitentia & ſatisfactionibus ſecundum doctrinam catholicæ æccleſiæ.

Ex hijs, & quid ex diuinarum ſcripturarum authoritate, & quid ex catholicæ ab initio æccleſiæ (quæ ex aquilarum, quas audiſti, congregatione, conſenſu, & concordi ſententia indubitata eſt) de peccatorum ſatisfactiõibus tenendum ſit, euidens factum exiſtimo, Aduerſus quæ cum aduerſarij, nihil q̃ nuda ſua ſomnia, abſq; ulla ſcripturarũ authoritate, ulla demonſtrationis euidentia, ullo argumẽtorum pondere proferant, ſecuri ſumus, de omnium bonorum in hac controuerſia iudicio, Niſi quis dubitare poſſit, hos ne, ſimpliciter affirmantes aliquid, an illos, docentes conſonam catholicæ æccleſiæ doctrinam, etiã diuinarum ſcripturarum authoritate fundatiſſimam, ſequi ſit tutius.

Quæ euidenter falſa affingãt catholicis.

Non docemus, quod illi nobis falſo affingunt, opera illa pœnalia, quę ſub ſatisfactiõis titulo pœnitentibus imponuntur, eſſe precium, propter quod debeatur peccatorum remiſſio: immo, aliud nullum eius precium, q̃ unum Chriſtum, eius ſanguinem, paſſionẽ & mortem, agnoſcimus, Nec ignoramus, eũdem, quod ex ipſo eſt, dependiſſe abunde pro peccatis totius mundi: & ea, quoties remittũtur, nobis remitti gratis, eiuſdem illius precij intuitu: Attamen Deum, non ita ſimpliciter, ea cuiq; remittere: ſed exigere etiã in nobis, & a nobis plæraq;: in primis fidem: deinde ex fide peccatorum admiſſorũ pœnitentiã: ad hæc, cõuerſionem ex ſyncero corde ad ipſum, cũ obtinendę ab eo ueniæ fiducia, Ita quoq;, etiã poſtq̃ ea remiſit, temporariã nihilo-

nihilominus pro eiſdem punitionem exigit. Quam tamē, humiliter ac fideliter ſuſcepta expletaq; a ſacerdotibus ſuis iniuncta nobis actione pœnitentiæ, etiam ille ignoſcit miſericorditer: & exigua caſtigatione hic ita ſuſcepta, etiam pro magna, quam alioqui exacturus eſſet, contentus eſt.

Vt ſuam ſentētiam, impudēter ſtatuant aduerſus orthodoxorum omnium ſententiā.

Nos, inquiunt, dicimus, de ſatisfactionibus canonicis, ut nuper natis, non loqui ſcripturas, quæ eiſdem accōmodantur a noſtris. Bene habet, ut ſciamus a quibus iſta dicātur. Sed qui eſtis uos, quibus aduerſus prędictos, quos produximus teſtes, debeamus credere?

Quandoquidem illæ nuper natæ ſunt, inquiunt.

Sed etiam hoc uos dicitis, ſed non demonſtratis: & nos contra clariſſime demonſtrauimus, etiam B. Cypriani, tēporibus, fuiſſe uſitatas in catholica æccleſia: neq; tunc naſcebantur, ſed docebantur ab orthodoxis & catholicis Epiſcopis, ut Chriſti fidelibus neceſſaria.

Satisfactiones canonicæ, quæ dicantur.

Niſi forte in uocabulo (Canonicis) nobis moliamini inſidias. Nos canonicas ſatisfactiones intelligimus, quæ ab æccleſiarum præpoſitis, aut ſacerdotibus, quibus id commiſſum eſt, imponuntur pœnitentibus, & ſua peccata cōfitētibus, eorundēq; remiſſionē quærētibus, ſacerdotali miniſterio. In quibus imponēdis, quo certi⁹ agerēt, editi fuere etiam in ipſo æccleſiæ initio, canones quidam, quos pœnitentiales uocant, certis quibuſdā criminibus grauioribus, præſcribentes, & tempus & modum, formamq; peragēdæ ſatisfactionis & pœnitentiæ. Qui poſt, quando in multorum cordibus refrixit fides, & charitas, & elanguit uigor ille diſciplinæ æcclēſiaſticæ, & ne ea pœnitentiæ ſeueritas, molles & languidos, nec ſatis magnam ſalutis ſuæ curam agentes, prorſus abſterreret a ſalutari pœnitētia, obliterati ſunt. Et uniuerſum hoc ſacerdotū iudicio, et arbitrio relictū

Canones pœnitentiales antiquiſſimi et quare nunc obliterati.

 eſt.

eſt, A quibus tamen, quod minus ſit, Deus non negligit: ſed uel in hac uita immiſſis flagellis, uel poſt hanc uitam in igne purgatorio ad nouiſſimum quadrantem exigit.

Peroratio, de tota cõtrouerſia.

Et hactenus, De pœnitentia, & quę ad eam pertinent, aduerſariorum & noſtra, quam in catholica æcclesia hactenus didicimus, ſentẽtia, mihi ſatis explicata uidetur, de eadẽ ſecure ſubituri bonorum omnium iudicium.

ALBERTVS PIGHIVS, LECTORI S.

DEcreueram Lector Chriſtiane,uno continuoqꝫ libro edere uniuerſas,quibus nũc Chriſti fides,& religio exagitatur concutiturqꝫ controuerſias, quas promittit earundem Elenchus præfixus operi. Sed cum huc uſqꝫ proceſſiſſet impreſſio, ſum auocatus ab opere,& coactus hic telam abrumpere. Itaqꝫ cum explicatę nunc a nobis controuerſie uiderentur libri unius iuſtum modum explere poſſe,ne hæc mutile prodirent,uiſum eſt,uniuerſas in duos libros partiri, & hic librũ primum claudere;ſequentem editurus,ꝙ primum licebit. Interim,has gratanter accipies,ac leges diligenter,æquũqꝫ te iudicem in dijudicandis eis præſtabis,ſepoſitis tantiſper affectibus.Quod ſi feceris,neutrum laboris ſui pœnitebit, Et ſi certam te ex his ueritatem repperiſſe intellexeris, da Deo gloriam. Si quæ uero, minus ſufficienter explicata, ſicubi ſuſcepto argumento non ſatisfactum, ſicubi dormitatum a nobis,ſicubi prætergreſſam rectæ & exactæ dictionis lineam,breuiter,quicquid tibi uicij occurrerit,noſtrum id eſt, Hoc enim eſt hominis proprium,quamdiu hoc mortis corpus circumferimus. Interim memineris, hominem & te eſſe,nec humanum quid a te alienum exiſtima. Qua in re tanto æquiorem te nobis prebebis,quod in itinere, remoti ab edibus,rebus, & libris familiaribus,hæc lucubrauimus:ſaltem ſtudium noſtrum pro religionis & fidei ſynceritate,boni conſules,& ualebis fœliciter.